


IVSTI FVLGEBVNT SICVT SOL
IVSTITIAE COELO ORTA THRONVM CONFIRMAT
DISCITE IVSTITIAM MONITI
BEATI QVI ESVRIVNT ET SITIVNT IVSTITIAM QVONIAM IPSI SATVRABVNTVR
IVSTE IMPERANTES CLEMENTER EXAVDIT
TEMERARIOS ET DELINQVENTES CONDIGNA POENA AFFICIT
ICTI NICOLAI BECKMANNI DOCTRINA IVRIS



Jus Novissimum.
ROMANO-GERMANICUM
facili methodo ac modo elaboratum,
& in Lucem publicè editum
Ab
AUTORE JCTO
NICOLAO BECKMANNO, J. U. D.
Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario



Sumptibus Autoris
Et Literis VIDUÆ JOHANN-PHILIPPI MILTENBERGERI, 1678.

[illegible]

JURISCONSULTI

NICOLAI BECKMANNI,

J.U.D. Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarii

DOCTRINA JURIS,

Ex


Jure Naturæ, Jure Gentium, Canonico, Divino, Jure Civili Romano, Recessibus Imperii, Jure Feudali & Principiis Philosophiæ Practicæ in omnium Facultatum Studiosorum utilitatem sic hausta, & Typis publicè Mandata, ut nihil quicquam ad essentialem Juris scientiam necessarium in illa sit omissum.

Anno CHRISTI 1678.

Symbolum Autoris.

Piè & prudenter,
Sincerè & constanter.







Effigiem Beckmanni illustria scripta peremant
Edita Parisÿs, Londini, tum Noriberga.
Primum Pandectas, et fundamenta secundum,
Tertium amoena docet juvenes oracula juris.

H.I. Schellenberger fc:

POTENTISSIMO AC INVICTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO
DOMINO

LEOPOLDO I.

ROMANORUM IMPERATORI SEMPER AUGUSTO, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ,&c. REGI, ARCHI-DUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, SUPERIORIS AC INFERIORIS SILESIÆ, LUXENBURGIÆ ET WURTENBERGÆ. MARCHIONI S. R. IMPERII BURGRAVIÆ, MORAVIÆ, ET SUPERIORIS AC INFERIORIS LUSATIÆ, PRINCIPI SVEVIÆ, LANDGRAVIO ALSATIÆ, COMITI HABSPURGI, TYROLIS ET GORITIÆ, DOMINO SCLAVONIÆ, PORTUS NAONIS ET SALINARUM
ETC. ETC.

AUGUSTISSIME ET INVICTISSIME

CÆSAR,

Domine Clementissime.

SI altâ mecum mente condignè revolvo, quâ Clementia, quâve frontis ſerenitate me peregrinum ac immerentem.

SA-

SACRA VESTRA CÆSAREA MAJESTAS ante biennium Viennæ in Augustissima sua IMPERIALI SEDE susceperit; dum librum meum de Doctrina Juris MAJESTATI VESTRÆ CÆSAREÆ, ceu MAXIMO MUNDI MONARCHÆ non tantum humillimo calamo ac mente dedicare, verum etiam eundem devotissimâ ipse manu offerre sum ausus, utiquè in gaudia & applausus meritò prorumpere allicior. Hæc collata in me insignis clementia, & alia magna CÆSAREA beneficia diversis postea temporibus clementissimè exhibita, me hactenus quovis honesto modo excitare voluerunt, ut iteratis vicibus opus meum pro ingenii viribus excultum, auctum, & perfectum Augu-

gu-

AUGUSTISSIME ET IN-
VICTISSIME

CÆSAR,

DOMINE CLEMENTISSIME.

SI altâ mecum mente condignè revolvo, quâ Clementia, quâve frontis ſerenitate me peregrinum ac immerentem

SA-

SACRA VESTRA CÆSAREA MAJESTAS ante biennium Viennæ in Augustissima sua IMPERIALI SEDE susceperit; dum librum meum de Doctrina Juris MAJESTATI VESTRÆ CÆSAREÆ, ceu MAXIMO MUNDI MONARCHÆ non tantum humillimo calamo ac mente dedicare, verum etiam eundem devotissimâ ipse manu offerre sum ausus, utiquè in gaudia & applausus meritò prorumpere allicior. Hæc collata in me insignis clementia, & alia magna CÆSAREA beneficia diversis postea temporibus clementissimè exhibita, me hactenus quovis honesto modo excitare voluerunt, ut iteratis vicibus opus meum pro ingenii viribus excultum, auctum, & perfectum Augu-

gu-

gustissimi Vestri Nominis immortalitati devotissimè consecrarem. Suscipias ergo, Augustissime & Invictissime CÆSAR, Domine Clementissime, oblatum hoc chartaceum munus pro consueta ac connatâ summa Clementia in mei patrocinium & promotionem; præprimis si ex ipso rerum argumento ac operis deductione clementissimè viderit SACRA VESTRA CÆSAREA MAJESTAS, laborem hunc meum non minus cupidæ Legum Juventuti utilem, quàm Reipublicæ Romano-Germanicæ salutarem fore; quin imo Autoritati Vestræ CÆSAREÆ in multis proficuam. Quod si expetitam hanc gratiam juxta fervens meum votum, & piam intentionem humillimè impetravero, pro SACRÆ

VE-

VESTRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS incolumitate, augmento, ac perennitate noctes atquè dies DEUM ardentissimis precibus orare nunquàm cessabo. DEUS ut Rex Regum, & Dominus Dominantium faveat victoriosis Vestris armis CÆSAREIS, ac supprimat undiquè Vestros hostes, eosquè in totius Germaniæ solatium & tranquillitatem metu ac terrore maximoperè confundat. Summa ut verborum compendio omnia fausta & exoptata apprecari videar, summus honor, immortalis gloria, & gloriosa fama, ceu Justissima meritorum merces SACRAM VESTRAM CÆSAREAM MAJESTATEM ob incomparabiles virtutes heroicas, puta, prudentiam, Justitiam, Clementiam

tiam & justissima arma ad astra usquè æviternùm elevent, Vestramq; CÆSAREAM ac LEOPOLDINAM Familiam Gloriosissimam mediante novo Formosissimo atq; Augustissimo LEOPOLDO ut palmam & cedrum Libani perpetuo vere vigere, florere & multiplicare felicissimè efficiant. In quo ardentissimo & exoptatissimo voto constanter subsisto, qui ad ultimum vitæ spiritum permaneo

SACRÆ VESTRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS

devotissimus ac fidelissimus cliens

Nicolaus Beckmann, J. U. D.

Benevole Lector.

OB imputatum graviſſimum quendam errorem politicum commiſſum, me publicè excuſare cogor, ne præter meam intentionem & mentem ad frivolas lites injuſtè provocer. Mihi hiſce diebus poſt perfectam operis mei impreſſionem à Viro quodam Magni Nominis ſub ſevera reprehenſione objectum eſt, me Potentiſſimi & maximè Catholici Regis Hiſpaniarum Autoritati & Dominio ratione Burgundiæ plurimum detrahere, dum in Doctrina mea Juris pag. 60. & pag. 65. ut & in novo meo opere pag. 81. & pag. 87. Burgundiam inter decem Circulos Imperii, & perconſequens inter ejusdem membra refero; inſuper ſtatuendo, Glorioſiſſimum hunc Catholicum Hiſpaniarum Regem eſſe Burgundici Circuli Directorem. Ad imputatum hoc crimen plenè tollendum reſpondeo pro ſufficientiſſima perſonæ meæ excuſatione, quod ſub maxima conſcientiæ meæ violatione publicè aſſerere poſſim, me nunquam cogitaſſe, hunc Potentiſſimum & maximè Catholicum Regem vel minimo verbulo offendere, nedum aliquid ad deſtruendam ejus autoritatem ex proæreſi contra jura audacter aſſerere: quod autem aſſerta mea ratione, & legum autoritate non careant, in ſubſequentibus clarè demonſtro: approbantibus Wehnero, Hermanno, Lymnæo, & Reinkingio ceu juris publici Scriptoribus.

(1) Haud incongruè numeravi Burgundiam inter circulos Imperii, prout in Receſſibus Imperii de Anno 1512. §. 11. & de Anno 1548. §. 44. & 67. expreſſiſſimis verbis videre licet. (2) Nec ineptè refero Burgundiam inter Imperii membra: quoniam id in Inſtrumento Pacis inter Sacram Cæſaream Majeſtatem & Galliæ Regem Anno 1648. ſolennisſimè facto §. 3. clariſſimè oſtenditur. Verba §. ſunt ſequentia: *Circulus quidem Burgundicus ſit, maneatque membrum Imperii*

poſt

poſt controverſias inter Galliam Hiſpaniamq́; ſopitas, hac pacificatione comprehenſa. Hinc ſicuti Abſolutiſſimi Regis Daniæ autoritati nihil derogat, ſe ratione Hollatiæ quà Ducem eſſe Imperii R. membrum; ſic nec Potentiſſimi Regis Hiſpaniæ autoritati antecedentia ullum inferunt præjudicium, qui reſpectu Burgundiæ non quà abſolutus Rex, ſed quà Dux Burgundiæ conſideratur. Multo minus altè memorati Regis autoritatem debilitat, quod ſit Circuli Burgundici Director, voce hac in ſenſu generali acceptâ: nam ſicuti ipſa Sacra Cæſarea Majeſtas, quà Archi-Dux Auſtriæ non erubeſcit, ſe ratione Circuli Auſtriaci vocari Directorem (intellige in gradu eminentiori) ſic nec Potentiſſimus Hiſpaniæ Rex idem de ſe ratione Circuli Burgundici prædicari juſtè denegare poteſt, quamvis ſatis ſciam, mundoque, vel minimum juris publici gnaris ſit perſpectum, omnes omnium Circulorum Directores non eſſe unius generis, ejuſdemque autoritatis & Privilegii; quandoquidem Elector Saxoniæ majori autoritate & privilegio Directorium ſui Circuli gerit, quàm Celſiſſimus Princeps Bambergenſis, & Herbipolenſis, Dominus meus Clementiſſimus ratione Circuli Francici; ſic adhuc longè majori & pleniori Directorio gaudent in ſuis Circulis Sacra Cæſarea Majeſtas & Potentiſſimus Hiſpaniæ Rex; cum Circulus Auſtriacus & Circulus Burgundicus hodierno tempore ab omnibus Imperii oneribus ſint exemti, & præ aliis maximè privilegiati &c. quod autem pag. 65. vel 87. ſub initio tituli *Cives* in genere de civibus & ſubditis dixi, id poſtea in ſubſequentibus ad Potentiſſimum Hiſpaniæ Regem applicare & reſtringere nolui, quem ſaltem quà Burgundiæ Ducem, Magnum Imperii R. Civem, non ſubditum voco; factâ hac explicatione & mentis declaratione me ab imputato crimine per omnia liberatum cenſeo. Hiſce vale benevole Lector, meque amare ac fovere perge, qui conſtanter permaneo

Tui Studioſiſſimus

Nicolaus Beckmannus, J.U.D.

Sinas te exorare, benevole lector, ut defectus & errata sequentia ob necessariam meam absentiam commissa in mei favorem, propriumque tuum emolumentum amica manu corrigere velis juxta allegatas paginas, earumque lineas.

Pag. 7. in linea 9. à fine sic corrige addendo. *Respond. cuilibet regulariter accusare licet alios, si justam accusandi habeant causam: ab hac regula excipiuntur sequentes quinq; personæ, quæ,*

pag. 28. in lin. 9. pro caus. 28. pone *caus. 27.*

Pag. 38. in l. 25. corrige *Recess. Imp. 1654. §. 112.*

Pag. 60. in lin. 11. à fin. corrige *Ord. Camer. part. 2. tit. 1. 2. & seqq.*

Ibidem in lin. 7. à fin. corrige *d. Ord. Camer. part. 2. tit. 2.*

Pag. 61. in l. 8. corrige. *d. const. Camer. part. 2. t. 4. §. 2.*

Pag 73. in l. ult. corrige *Regiis virtutibus,*

Pag. 91. in l. 9. corrige *de Episcop. & Cleric.*

Pag. 96. in lin. 10. à fin. post vocem nexum adde *can. 8. x. de consanguinit,*

pag. 155. in lin. penult. corrige sic *Can. 20. & 27. x de verb. signif. & Caus. 11. q. 3. c. 32.*

Pag. 158. in lin. 16. corrige. *can, 14. in fin. de pœnitent. distinct. 2. caus. 33. q. 3.*

P. 165. in l. 6. à fin. corrige *l. 77. §. 20. ff.*

P. 187. in med. corrige sic *Aur. Bull. c. 26, §.* **darnach wann die andre Fürsten des Reichs.**

P. 196. in lin. 11. à fin. corrige. *constit. crim. art 112.*

P. 197. lin. 6. à fin. corrige *1577. tit. 38. §. 1.*

P. 211. in lin. 22. tolle hic. c. 1. & pone *2. feud. tit. 18. in fin. de duobus fratribus à capitan. invest.*

P. 224. in lin. 9. à fin. corrige *2. feud. tit. 73. de alienat. feud.*

P. 230. in lin. 7. à fine corrige *caus. 33. de Pœnitent. distinct. 1. caus. 29.*

Pag. 237. in l. 7. adde post vocem Respond. *ut hæres fiat universalis successor in hæreditate. Ergo.*

P. 239. in l. 7. à fin. corrige sic *l. 3. ff. de J. & J.*

Pag. 245. in l. 23. corrige *l. 21. C. de SS. Eccles.*

Pag. 251. in lin. 16. pro l. 9. pr. pone *l. 6. pr.*

P. 253. in lin. 23. pro tit. 2. pone *tit. 1.* & in lin. 25. corrige sic *item in Recess. Imp. de anno 1545. §. 8. vocatur Imperator caput imperii,*

)(pag.

Pag. 254. in lin. 6. corrige sic 2. *Feud. tit. 5. tit. 7. & 22.*
P. 259. in lin. 16. corrige *l. 55. ff. de legat. 1.*
P. 262. in lin. 16. corrige *1577. tit 38.*
Pag. 265. in lin. 5. à fin. dele *culpa sive.*
P. 269. in lin. 3. à fin. pro 66. pone *6.*
P. 277. in lin. 19. post vocem consequitur adde *2. feud. tit. 2.*
P. 293. in l. 12. corrige sic *inde colligere licet, vasallum non esse propriè subditum.*
P. 302. in lin. 17. dele *iterum.*
Pag. 305. in lin. 4. à fin. pro l. 9. §. 1. pone *l. 9. §. 3.*
Pag. 319. in l. 9. corrige *l. 1. 3. & 9. ff. ibid.*
P. 335. in l. 7. pro æqualitatis rerum pone *qualitatis.*
Ibidem in l. 4. à fin. post vocem turbantes adde. *Hic quæritur an latrocinium furto censeatur gravius? Resp. quod sic, per auth. sed novo. C. de serv. fugit. Ob eam rationem id crimen longè gravius est puniendum, quod hodiè secundum constit. crim. Carol. V. art. 130. & 137. pænâ rotæ regulariter puniri solet.*
P. 340. in lin. 6. à. fin. adde *l. 16. §. fin. ff. de pæn.*
P. 342. in lin. 24. pro l. 13. ff. pone *l. 13. C.*
P. 343. in lin. antepenult. adde *vid. c. 6. x. qui filii sunt legit. ratio est, quia matrimonium postea superveniens omnem concubinatus maculam abstergere videtur.*
P. 363. in lin. 24. adde post vocem. Resp. *qui sunt 25. annis majores: nam minores & puberes &c.*
P. 366. in lin. 13. corrige sic. *§. 7. Inst. mandat.*
P. 380. in lin. 25. dele *distinct. 37. c. 10. & seq.*
P. 382. in lin. 28. pro. l. 87. pone. *l. 203. ff.*
P. 384. in lin 10. à fin. corrige sic *l. 2. C. si minor.*
P. 385. in lin. 10. à fin. pro de test. pone. *de testament.*
P. 391. in lin. 7. dele. *l. fin. C. de arbitr.*
P. 395. in lin. 3. corrige sic, *§. 1. Inst. de obligat. quæ ex*
P. 403. in lin. 7. post vocem mercatores adde. *Ex tota quasi Europa commerciorum causa bis vel ter quotannis definitis temporibus confluunt, qui*
P. 405. in lin 18. corrige sic. *l. 30. ff. de R. J.*
P. 409. in medio corrige sic *l. 108. §. 1. ff. de verb. oblig.*
P. 412. in lin. 2. corrige *patrimonialia sivè realia.*
P. 414. in lin. 7. corrige sic. *1548. tit. 27.*

P. 416.

P. 416. in lin. 6. â fin. corrige. *l. 3. C. de pact. conventis.*
P. 419. in lin. 7. â fin. corrige. *l. 10. §. 7. ff. de gradib.*
P. 424. in lin. 17. corrige. *l. 5. ff. de in jus vocand.*
P. 440. in lin. 11. â fine corrige cauſ. 31. q. 1. can. 23.
P. 444. in lin. 6. corrige *de acquirenda poſſeſſ.*
Ibidem in lin 14. corrige *l. 1. ff. pro ſuo.*
Pag. 451. in lin. 13. corrige. *2. feud. tit. 26. ſi de feud.*
P. 458. in lin. fin. corrige. *l. 13. ff. commun. præd.*
P. 460. in lin. 9. corrige. *Receſſ. imp.* 1559.
P. 491. in lin. 11. â fin. corrige *§. 2. Inſt.*
P. 489. in lin. 8. corrige. *l. 1. C. de fid. Inſtrument.*
Ibidem. in lin. penult. corrige *l. 62. ff.*
P. 523. in lin. 16. adde. *l. 2. ff. de ſervitut. urb. præd.*
P. 556. in lin. 9. corrige. *l. 13. ff. de offic. Præſid.*
Ibidem in lin. 10. corrige ſic. *territorium an omnia bona ibi ſita in ſe ſemper comprehendat, quæritur? Reſp. quod non; ratio negationis eſt, quia.*
P. 559. in lin. 17. dele poſt vocem operatur. *e. gr.*
P. 565. in lin. 1. corrige. *l. 8. §. 6. C.*
P. 576. in lin. 9. corrige. *2. feud. 24. pr.*
P. 582. in lin. 1. corrige. *l. 43 ff. de contrah. empt.*
P. 594. in lin. 28. corrige. *§. 7. Inſtit. de obligat. quæ ex delict.*
P. 595. in lin. 17. corrige. *l. 14. §. 12. ff. quod metus cauſ.*
P. 401. adde titulum omiſſum.

Noxalis actio ex noxa, ſivè privato ſervi delicto oriens datur damnum paſſo, contra ſervi dominum, ad damna ſolvenda, vel ſervum noxæ dedendum, *t. ff. de noxal. actionib.* Hanc actionem Prætor ideo introduxit, quia ſervus tanquam civiliter mortuus non poterat in judicio conveniri, nec habebat aliquid proprii, ut illatum damnum reſarcire poſſet; ne autem delicta manerent impunita, ideo dominus ſervi conveniendus erat; ut is damna ſervi culpâ illata ſolveret, qui omnia emolumenta ſervi aliàs percipit; Hæc actio ad publica ſervi delicta non refertur, ubi ipſe ſervus eſt puniendus. Hic quæritur, an actio hæc hodie obſoletâ antiquâ ſervorum conditione adhuc habeat locum, ut domini pro ſervis ſuis conveniri poſſint? Reſp. quod non directa, ſed utilis hæc actio noxalis contra dominum in certo caſu habeat locum, intellige, quatenus ſervi vel famuli dominorum in officio ſibi demandato deliquerunt, eatenus domini hodie conveniri poſ-
ſunt

sunt, *l. 11. §. 2. ff. de locat. & conduct. & l. 1. C. ad L. Jul. de repetund.* Ast quatenus servi extra officium delicta privata committunt, eatenus domini regulariter non obligantur, quia pœnæ debent tenere suos autores, *l. 26. ff. de pœn.* Excipe, nisi dominus delictum servo suaserit, vel id ratum habuerit. *l. 3. ff. de noxal. act.* in quibus casibus obligatur dominus.

Pag. 445, titulus sequens est omissus.

Præjudicium in genere dicitur illud, quod prius judicatum sequentibus judiciis exemplum afferre solet; sive est omnis causa, vel quæstio status, quæ præ, vel prius judicari debet, quàm altera causa, cum qua concurrit. Hinc per actiones præjudiciales præjudicatur aliis causis, ita ut cum de illis pronunciatum est, etiam de aliis inde dependentibus judicatum censeatur, *l. fin. ff. si ingenuus esse dicatur.* Ergo quando uxor contra maritum instituit actionem, ut partum alat, *l. 1. ff. de agnosc. vel alend. liber.* maritus verò ab uxore divertendo non vult agnoscere partum, negans filium esse suum, sed ex alio generatum; tunc in tali casu quæstio præjudicialis prius examinanda venit, an filius sit mariti, vel non? quæstione hac decisa, nimirum maritum esse patrem, tunc ad præstanda alimenta per se jure naturæ jam obligatur maritus, *§. 13. Inst. de act.* sic etiam (2) nascitur actio præjudicialis, quando quis ab alio, ceu suo liberto prætendit operas, & is, cui sic quæstio status movetur, contra prætensum suum patronum in judicio demonstraverit, se esse ingenuum, tunc altera quæstio de operis patrono præstandis per primam statim exspirat. Ast si patronus probare possit, adversarium esse suum libertum, tunc is, per consequentiam operas præstare cogitur. *d. §. 13.* Item (3) quando quæstio est, utrum hic vel ille ad ludos equestres (germanicè zum Turniren und Ritterspiel) possit admitti, vel non? In hoc casu controverso prius examinandum venit, an talis sit Nobilis, vel non? si is nobilitatem suam demonstraverit, res est expedita, quod ad ludos equestres admittendus; sin minus, non item. vid. de his plura in Tiraquello de Nobilitate.

Ad Eandem

SACRAM CÆSAREAM MAJESTATEM,

AUGUSTISSIME AC INVICTISSIME

CÆSAR.

SI Jurisprudentia juxta Juris-Consultorum definitionem, & Piissimi ac Gloriosissimi Imperatoris Justiniani effatum sit Divinarum & humanarum rerum notitia, quam hîc in meâ juris doctrina pro ingenii

)( )(mei

mei modulo enixè tracto; utique illam ob materiæ dignitatem nemini convenientius dedicare possum, quàm SACRÆ VESTRÆ MAJESTATI CÆSAREÆ, ceu Summo in terris Christianis Præsuli & Præsidi; à quo, tanquam Oceano, Jura in flumina & rivulos, hoc est, in Academias, Tribunalia & Dicasteria perenni fluxu fluunt, & ad eundem tutò refluunt: à cujus publica sanctione, interpretatione, autoritate & jussu CÆSAREO suum habent esse, genuinum sensum, vigorem & effectum. Quod si SACRA CÆSAREA VESTRA MAJESTAS calamitosis hisce temporibus non forent alter & redivivus Justinianus, qui ut verus Legum conditor nobilissimum illud Juris studium, Academias & Jurisconsultos incomparabili VESTRA MAJESTATE, & Herculeâ autoritate clementissimè non fovissent, utique dirus Martis furor omnia saniora jura, Justitiam, Academias & Musarum tranquillitatem jam dudum in Imperio Romano-Germanico impiè sustulisset, vel planè confudisset. Verùm quemadmodum SACRA VESTRA CÆSAREA MAJESTAS in tractandis armis, & negotio hoc bellico perquàm piè, prudenter & cautè procedunt, ad charissimam patriam ab omni

omni hoſtili invaſione liberandam, ita in juribus conſervandis, Academiis protegendis, & Juris-conſultis fovendis ſe antiquis Imperatoribus jam nulli ſecundam immortali ac glorioſisſimo exemplo publicè oſtendunt. Quæ omnia mihi in peregrino ſolo exiſtenti tantam animi fiduciam, alacritatem & conſtantiam conciliarunt, ut opusculum hoc pro viribus conſcriberem, idque quamvis exiguum SACRÆ VESTRÆ MAJESTATI CÆSAREÆ humillimâ mente, manu ac ore dedicare non ſim veritus, ſub cujus potentisſimo clypeo ac invictisſimâ autoritate ut devotisſimus cliens perpetuò latere, vivere, ac mori unicè deſidero. Utinam SACRA VESTRA CÆSAREA MAJESTAS humillimam hanc operis mei dedicationem, ac devotisſimam ejusdem oblationem tantâ animi clementiâ & generosâ frontis ſerenitate ſuſcipere dignarentur, quantâ animi ſubmiſſione & candore humillimè offertur; nullum ſanè munus SACRÆ VESTRÆ MAJESTATI CÆSAREÆ foret gratius & acceptius, cui me totum ad vitæ finem devotiſſimè offero, dedico, devoveo. Interim floreat SACRA VESTRA MAJESTAS CÆSAREA ſempiternâ felicitate; ſtet, ac perduret Familia & ſtemma Veſtrum LEOPOLDINUM medi-

mediante feliciſſimo ac fœcundiſſimo matrimonio, ad mundi finem; ut eidem juxta Evangelii doctrinam, dentur DEO, quæ DEI, & CÆSARI, quæ CÆSARIS. Supprimantur omnes clandeſtini Veſtri inimici & proditores; debellentur omnes, quotquot fuerint hoſtes publici, ut ſic exoptata ſalus, beata tranquillitas & perpetuum ſtatus publici incrementũ tum Sacræ Veſtræ CÆSAREÆ MAJESTATI, tum toti Imperio R. Germanico, omnibusq; Imperii Statibus undiquaq; affulgeant; quod non tantum ex nuperrima fortiſſimi propugnaculi Philipsburgi recuperatione lætus auguror, ſed idem ex animo voveo, ac unicè precor, qui ad aras ſum & ero

Sacræ Veſtræ Majeſtatis Cæſareæ

Devotiſſimus ac fideliſſimus
cliens

Nicolaus Beckmannus, J.U.D.

Bene-

Benevolo Lectori salutem & officia.

DUm integram Juris Doctrinam, Benevole Lector, in tui favorem alterâ vice longè perfectiorem operosè edere depropero, eamque ob plurima commoda lexici instar disponere volui, ut tanto facilius omnes juris materias statim inquirere possis, id non sinistrè interpreteris, amicè rogo; imprimis, ut judicium tuum juxta prudens Imperatoris monitum in *lege 24.ff.de legib.* expressum, de meo opere ac labore tamdiu suspendas; donec illud ad finem cum grano salis accuratè perlegeris; quoniam incivile (imo imprudentia maxima) est, inquit Imperator Justinianus, ut quis unâ vel alterâ operis particulâ saltem inspectâ de toto opere judicium præcipitanter ferre velit. Sponsionem tecum faciam, si precibus meis amicè annueris, judicium tuum, corruptis affectibus vacuum de meo opere fore benignius, quàm primo laboris mei intuitu tibi imaginari potuisti. Quandoquidem illud non absque multo labore & lucubratione circumspectè elaboraverim in omnium & singulorum juris cultorum utilitatem. Quanquam ipse sponte confitear, me non inaudita, & plurima in moralibus & jure naturæ nova & periculosa exemplo detestandi Magistri Samuelis Puffendorffii, illustris athei curiosæ ac incautæ juventuti, & erudito orbi impiè proponere; qui in impio & perverso suo jure naturæ & gentium ante quin-

)( )( )(quen-

quennium typis edito, se publicè cum omnium proborum & totius orbis Christiani scandalo impudentissimè gloriatus est, se non minus in Jure Naturæ invenisse nova principia & entia moralia, quàm Medici & Mathematici in suis disciplinis invenerunt; quæ gloria quàm ignominiosa sit ethnico huic Puffendorffio, quàmque periculosa titi Christianismo, in ipsa operis mei tractatione perspicuè videre licet. Dum (1) excogitatis suis impiis entibus moralibus (sub quibus multum veneni pestiferè latet) (2) damnandâ suâ omnium actionum humanarum indifferentiâ (quasi adulterium, sodomia, homicidium, blasphemia essent actiones indifferentes) (3) religione statui reipubl. accommodanda, & infinitis aliis perversis Juris Naturæ dogmatibus totum Decalogum & Christianismum detestando conamine malitiosè evertere studet &c. Contra impios hosce Puffendorffii conatus se masculè opponunt plurimi illustres & doctissimi Viri, inter quos præprimis eminent Episcopus Schanensis Theologiæ Doctor Wienstrupius, Doctor & Professor Josua Schwartzius, D. Velthemius Jenensis, D. Schertzerus Lipsiensis, Doctor & Superintendens Garlebiensis, & D. Samuel Strimesius Francofurtensis in sua praxeologia apodictica sive morali Philosophia demonstrativa nuperrimè demum edita, *vide in illa paginas sequentes, ut pag. 29. 43. 44. 86. 87. 89. 91. 197. in fin. & seq. item pag. 205. 220. 222. 232. & seq.* in quibus pio conamine gravissimè perstringitur impius Juris naturæ perversor & innovator Magister Puffendorff &c. Sic varias etiam periculosas novitates & impietatem sub ficto nomine in prohibito suo Severino de Monzambano ad fratrem Lælium malitiosè excogitavit idem calumniator & atheus Puffendorffius; ubi *in c. 8. §. 6.* non tantum omnes Sacerdotes, (quos vocat Sacerdotum nationem) pro

pro consueta sua impietate impiè contemnit! cum in nullo hominum genere plus ambitionis, avaritiæ, invidiæ, iracundiæ, contumaciæ &c. reperire statuat, quàm in illis; sed insuper Imperium Romano-Germanicum, impudentissimo calamo asserit, esse irregulare (non mixtum) & monstro simillimum *c.6.§.9. princ.* (quod pestiferum dogma Londini Schanorum in Academia Carolina publicè mediante disputatione typis excusa me præsente & contradicente in cathedra defendere ausus est, unde primæ irarum flammæ contra me gliscere cœperunt) cum tamen regimen in eo optimè & prudentissimè sit dispositum, prout ex Recessibus Imperii satis luculenter patet; & Sveci jam cum maximis suis damnis experiuntur; jura etiam & JCti in imperio satis florent: &c. Nec summo Imperii Romano-Germanici Capiti in famoso hoc Monzambano parcit, cui contra omne jus ac fas autoritatem & Potestatem Cæsaream indignè detrahere conatur. *Vide c.6. §.6.* quales atrocissimæ calumniæ & detrectationes Imperio, ejusque Maximo Capiti nihil nocebunt, sed effusum venenum in autorem suo tempore refluet. Interim florebit Aquila & gloriosissima domus Austriaca ad mundi finem, depressis & remotis hostibus, inque propria sua regna miserè remissis, &c. Utut ejusmodi insolita & rara, mundoque placentia ex meo cerebro, conscientiâ meâ reclamante, proferre nec audeam nec cupiam, ut hic atheus & calumniator Puffendorffius: utilissima tamen ex omni jure ad genuinam Juris Doctrinam spectantia brevi compendio ac facili methodo perspicuè inculcanda hîc tractare, & typis edere intendo. Quod si hanc meam Juris Doctrinam eo, quo par est, animi candore benignè susceperis, eamque memoriæ tuæ fideliter impresseris, rem mihi gratissimam, ac tibi utilissimam præstabis, me-

que

que ad majora imposterum conanda hoc modo incitabis. Ast si opusculum meum contra meam intentionem & votum tibi displicuerit, saltem calumnias ac injurias amicè deprecor, qui bonâ & pia intentione opusculum hoc in studiosæ juventutis emolumentum conscripsi, ne iniquæ ac rigorosæ plurimorum censuræ & opprobrio indignè exponar &c. Cæterum mihi â fide digno Viro relatum est, benevole Lector, atrocissimum meum calumniatorem Magistrum Samuelem Puffendorffium Diaboli instinctu ac Sagarum susurris adhuc novissimè libellum famosum contra me pro consveto suo Satyrico ingenio & brutalibus affectibus sub novo ficto titulo (sicuti antea famosa sua scripta sub fictis nominibus ut Monzambano, Sincero Wahrenberg & aliis malitiosè edi curavit) sceleste conscripsisse, cui amplius ob conscientiæ tranquillitatem respondere nolo: cum omnes, qui me, vitamque meam anteactam norunt, de me undique ingenuè testari possunt, me nec illicitæ Veneris, nec Bacchi cultorem unquam exstitisse, nec alieni appetentem, nec in officio meo negligentem, sed libris, in quantum officii ratio hactenus licuit, semper assidentem. Ideò cum Davide in Psalmo 37. piè exclamo: Domine, omnia mea desideria & suspiria tibi sunt cognita; inimici mei, qui mihi mala inferre subdolè machinantur, vana de me loquuntur, excogitantes sine fine callida in mei opprobrium consilia; sed ego sicuti surdus non audio, & sicuti mutus non loquor, & sum factus sicut homo, qui non audit calumniatores, nec iis amplius contradicit: nam in Te Domine speravi, tu Domine exaudies vocem meam: quoniam felix & prudens censetur ille, qui conatur talis esse in vita, qualis desiderat esse in hora mortis, qui liberè renunciat suæ voluntati & corruptis affectibus, religiosè sequendo præcepta

Dei,

Dei, dicens, Domine quid faciam, ut fiam particeps regni cœlorum? Resp. tu debes Deum diligere ex toto corpore & ex tota anima, & proximum ficuti te ipsum, in his duobus præceptis consistit æterna salus. Ideo Deum supplici voce ac mente ardentissimè invoco, ut mihi per divinam suam gratiam efficiat possibile (condonare inimicis illatas injurias) quod mihi juxta pravam affectuum meorum inclinationem videtur impossibile, tacendo injurias præterire, ne inimicorum rabies æternam meam salutem vindictâ temerè evertat. Tu interim juste vindex Deus sumas de hoc homine nequam justam in tempore vindictam, eumque ante mortem piè convertas, ne anima ejus æternùm pereat. Circa hoc meum futurum silentium mihi ex animo gratulor, hujus calumniatoris Puffendorffii omnia scripta â Sacra Cæsarea Majestate sub pœna gravissima tum Viennæ, quàm Pragæ & alibi locorum ob ejus atheismum esse prohibita; en atheismi & libellorum famosorum fructum? Cæterum errata, quæ me absente incuria correctoris & typographorum irrepserunt, in mei favorem benevole lector excuses, & corrigas, quorum quædam in fine libri notavi. Hisce vale, & fave benevole lector tui amanti

Nicolao Beckmanno, J.U.D.

)( )( )( )(Car-

Carmen Gratulatorium,

Quo

Prænobili ac Celeberrimo Jurisconsulto

DNO. NICOLAO BECKMANNO, J.U.D.

Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario.

Ceu

Autori hujus novi exoptati operis pro viribus applaudere, & gratulari voluit

ADAMUS HENRICUS BRUNNER,

Celsissimi Principis Bamb. & Herbip. Sacellanus Aulicus, Capellæ Magister, & Canon. Cap. ad St. Stephanum.

QUid fama strepitus de te Beckmanne per orbem
Spargit? Quisve meas rumor novus occupat aures?
Aut mea quo tandem perstringis lumina libro?
Assiduo nondum studiorum fessa labore
Optatam tua Mens prêndet Generosa quietem?
Aut nondum ingenii prægrandes edere partus
Cessas? sublimi forsan quos cincta cothurno
Musa canat, tollatque tuum super æthera nomen?
Substat adhuc opus à multis quod sedulus annis
In lucem dederas, mirâ quod continet arte
Totius nucleum Juris, normasquè docendi.
Unde tuum nomen multum memorabile fasti (a)
Gallorum celebrant. Operi quoque gratia Regis
Egregio insolitos adjunxit magna favores (b)

Nec

(a) Evolve librum Gallicum, vocatum Le journal des Savans, hoc est ephimerides Eruditorum in quibus honorificè de Celeberrimo hoc JCto BECKMANNO loquuntur Viri eruditissimi.

(b) Privilegium Regis Galliæ Ludovici 14. Anno 1666. huic Autori gratiosissimè concessum est.

Nec minus affundit magnam tibi Lipsia laudem,
Dum proprio præclara typo divulget in orbe
Ingenuam methodum, quam tu vir Docte secutus.
Quin tua quæ includis theoremata clara fatentur,
Tanta Doctrinæ vix hactenus edita luce.
Fundamenta refert Juris Beckmanne secundum
Rursus opus, propriis quod sumptibus ipse
Edere conatus, charâ dum Suecia pace
In Regno fruita est, ubi te Doctore Schanorum
Londini, summâ Carolina Academia laude
Floruit, & raros legit sapientia fructus (c)
Hoc tamen haud desudasti satis usque labore,
Tertius in lucem prodit pulchro ordine Codex,
Aurea veridici monstrans oracula Juris,
Exactâ serie, per quam Studiosa Juventus
Obtineat strenuè cunctarum symbola legum,
Claraque Justitiæ succrescant lumina mundo.
Fama celer sublimi ad sidera vecta volatu
Beckmanni nomen festivas tolle per auras,
Humidâ quà terras circumfluit amphitrite,
Quà librata suo consistit sidere tellus.
At captis insiste tuis Prænobilis Autor
Multarum linguarum instructe idiomate, quive
Lustrasti Europæ loca, plura ardore sciendi.
Hinc te splendentes aulæ Regumque, Ducumque
Præ reliquis magno semper coluêre favore.

Per-

(c) Ubi per 8. Annos Primarius Juris Professor honorificè exstitisti.

Perge, tuum Beckmanne caput modò gloria lauri
Ambiet, hæc meritum remanent te digna laboris
Præmia, quæ cunctis decernit magnus Apollo,
Qui Musis operam non impare laude locarunt.

Ad eundem
Nobiliss. Consultissimum atque Excellent.

Dn. AUTOREM

Auro magis aurei hujus tractatus de Norma Juris,
quem ipsissimæ Leges virgines, ob puritatem & elegantiam rarissimam, venerantur & adorant!

HÆ studii eximii *testes* sunt *mille* pagellæ!
Hæ mentem recreant, perpetuòque manent.
Hæ pascunt oculos, hæ monstrant byssina verba,
Neminem in obscuro vivere Jura sinunt.
Inculcas *Leges* vel *virginitate superbas*,
Somnia Doctorum sic removesque procul.
Mœnia, templa, domus, vastentur ut infima, summa,
Perpetuabit honos, non cinerescet honos!
Vivat BECKMANNUS, cui gratum est nobile lumen,
Flammam perpetuam mox dabit istud opus!

Benevolentiæ & gratulationis ergò, Dn. Autori, inter occupationes, pauca hæc addere, & sic purpuræ tanti Autoris *pannum suum adsuere voluit, ut opus hoc tantò magis* in Aula Cæsarea *ac toto literato orbe exsplendesceret,*

Christophorus Ludovicus Dietherr,
ab & in Anwanden, J. U.D. Reip.
Norib. Advocatus.

Ut

VT tanto faciliorem & feliciorem in Juris ſtudio facias progreſſum, benevole Lector, omnium materiarum ſedem inDigeſtis&Codice exactè ſcire debes, ne harum rerum ignorantia in creberrimis legum evolutionibus tibi valdè ſit impedimento; quam difficultatem facillimo negotio ſuperabis, ſi ſequentia in Digeſtis & Codice accuratè obſervaveris. Quod digeſta concernit, Imperator Juſtinianus ea in ſeptem partes diviſit. 1. Pars continet prima juris & judiciorum primordia, ubi de officiis magiſtratuum, de juriſdictione, de in jus vocando, de dilationibus, de libello actoris edendo, de pactis, transactionibus, advocatis, procuratoribus, de negotiis geſtis, calumniatoribus, & de in integrum reſtitutione plenariè tractatur, quod fit in 4. prioribus digeſtorum libris. 2. Pars agit de ipſis judiciis, & in ſpecie, quæ de cauſis privatorum civilibus realibus ſunt, ut de petitione hæreditatis, rei vindicatione, de publiciana in rem actione, de uſufructu, de ſervitutibus prædiorum, &c. quod fit uſque ad 12. librum excluſivè. 3. Pars tractat de judiciis perſonalibus rerum creditarum, ut de mutuo, commodato, depoſito, pignore, mandato, ſocietate, emptione, venditione, locatione, permutatione, &c. uſque ad librum 20. 4. Pars agit de acceſſoriis contractuum, quæ vel ad ſecuritatem contractus (ut pignus & hypotheca) vel ad implementum (ut de damno emtoris ex ædilitio edicto, de evictione, uſuris) ſpectat, vel ad probationẽ contractuum refertur, fitq; per teſtes, & inſtrumenta; item agit de ſponſalibus, nuptiis, de jure dotium, pactis dotalibus, tutelis &c. uſque ad librum 28. 5. Pars eſt de ultimis voluntatibus, ſive ſucceſſione teſtamentaria, deque legatis &c. uſque ad librum 37.

6. Pars tractat de judiciis prætoriis, bonorum possessionibus, & legitimis successionibus, de novi operis nunciatione, damno infecto, donationibus, item de manumissionibus, dominio, possessione, usucapione, interdictis, exceptionibus, obligationibus & actionibus &c. usque ad librum 45. 7. Pars agit de stipulationibus, sive verborum obligationibus, fidejussionibus, novationibus, solutionibus; item de judiciis criminalibus, appellationibus, & de causis publicis, quibus in fine libri 50. est annexum totius juris Romani breviarium, nimirùm duo tituli de verborum significatione & de regulis juris. Quod ad Codicem attinet, illius dispositionem ex 12. sequentibus versibus, 12. Codicis libros indicantibus, ac singulorum contenta ex singulis versibus breviter cognosces.

1. Pars prior *(Hoc est, liber primus Codicis)* officia & leges & Sacra docebit.
2. Transigo, restituo, gero, postulo parte secunda *(libro secundo.)*
3. Tertia jus dicit, queritur, servit, petit, occat. *(unde ususfructus.)*
4. Actio, contractus, testes quartâ referantur.
5. Quinta dabit nuptas, tutelarumque figuras.
6. Sextâ libertos & testamenta notabo.
7. Hepta *(septima)* manu-mittit, præscribit, provocat ad te *(per appellationem.)*
8. Pignorat Octava, interdicit, dat, stipulatur.
9. Nona, at multiplici pars crimina lege flagellat.
10. Jus fisci decimo sua munera civibus addit.
11. Principis undecimi pars ad patrimonia spectat.
12. Ultima personas dignas & jura recenset.

Notandum, in tribus ultimis Codicis libris titulorum series, & materiarũ sedes scitu non adeò necessaria, est comprehensa. Nam in iis saltem de jure veteri publico, quod, quoad maximam sui partem, ob mutatum Reipublicæ Romanæ statum est abrogatum, tractatur. In antecedentibus verò novem libris utilissima proponuntur, sparsim tamen hinc inde quibusdam antiquitatibus jam abolitis intermixtis.

Omnia

Omnia ad majorem DEI Gloriam, & proximi utilitatem.

CUm Imperatore Justiniano omnia in nomine Domini piè incipere conamur, qui proœmium Institutionum, & *l. 2. C. de offic. præfect. urb.* rarâ & exoptatâ pietate exorditur, dum inter alia dicit; omnia consilia, omnes actus & jura imperii in nomine Domini incipimus, per ipsum pacem cum Persis in æternum confirmavimus, per ipsum acerbissimos hostes & fortissimos tyrannos dejecimus, per ipsum multas difficultates superavimus, per ipsum Africam defendere, & sub nostrum imperium redigere, nobis concessum est, &c. hinc, quæ bono inchoantur principio, ea felicem quoque sortientur exitum; cœptis faveat DEUS.

Absentia quomodo in jure consideratur, & quotupliciter in jure accipitur? Resp. Interpretes juris faciunt distinctiones circa absentiam: primò absentia in genere est, vel ordinaria; vel extraordinaria. Absentia ordinaria est, quando quis in alio loco, quàm ubi quis natus est, domicilium suum constituit: e. gr. Ego sum origine Holsatus, & jam Bambergæ habito, ergò in Holsatia Heidæ ordinariè sum absens, & hîc Bambergæ habeo meum domicilium. Absentia extraordinaria est, quando quis hîc habitat, sed non est domi. Secundò absentia est vel necessaria, vel voluntaria; absentia necessaria iterum est triplex, (1) laudabilis, (2) vituperabilis, & (3) casualis. Absentia necessaria laudabilis est, quando quis Reipublicæ causa justè & necessariò abest, e. gr. legationis, vel militiæ causa, *l. 1. ff. ex quib. caus. major. 25. annis restit. in integr.* Absentia necessaria vituperabilis est, quando quis est relegatus, bannitus, vel ob aliud maleficium justè est incarceratus, ut inde domum non dimittatur. Absentia necessaria casualis est, quando quis in latronum manus præter spem incidendo, ab iis injustè detentus, vel metu hostium imminentium, hyeme vel æstu maris exsurgente impeditus venire nequit. Absentia voluntaria quoq; est duplex, (1) laudabilis & (2) malitiosa. Absentia voluntaria laudabilis est, quando quis studiorum vel mercaturæ causa abest, aut ad nundinas profectus est. Absentia voluntaria malitiosa est, quando quis est contumax, qui spreto judicis jussu in judicio comparere non vult, sed latitat; prior excusatio valet,

posterior non item; hinc qui Reipublicæ causa justè absens est, si damnum interea patiatur, in integrum restituendus est, hoc est, in eum statum reponendus est, in quo ante læsionem fuit. *l. 4. ff. d. t.* ratio est, quia nemini officium suum debet esse damnosum, *l. 7. ff. quemadm. testam. aper.* Excipe duplicem casum, (1) nisi absens idem damnum præsens passurus fuisset, quia absentia per se in tali casu absenti non nocuit, sed alia causa damnum hoc conciliavit. (2) nisi quis dolosè abesse cœperit: dolus enim nemini debet esse proficuus. *d. l. 4.*

Academia vox est græca, denotans remedium & populum, quasi remedium rudis populi, nebulam ignorantiæ abstergens, & caliginem inscitiæ expurgans, ut juvenum animi in omni scientiarum genere adhuc rudes ibi probè informentur: Academia enim est virtutum palæstra, & optimarum artium mercatus, in quo nihil agere, probrosum est, aliud, quàm convenit agere, damnum; & turpe agere, magnum crimen: inde patet, quòd in Academiis omne otium & lascivia ob virtutum exercitium justè proscribantur.

Academiæ sive Scholæ publicæ majores & superiores, in quibus artes liberales & studia omnium facultatum publicè docentur, ac florent, olim in ipsis monasteriis fuerunt; nam Monachi doctissimi & probatissimi tunc temporis studiosæ juventuti erudiendæ sedulò præfuerunt, quod eo præprimis fine factum, ut juventus pietatem cum literis sensim instillatam auribus, oculisq; simul hauriret, cum viris Ecclesiasticis assiduè conversando, undè adhuc hodiè fit, quod Jesuitæ in locis Catholicis ubicunquè locorum tam illustres habeant Scholas, Gymnasia & Academias, in quibus juventus singulari quodam artificio & rarâ methodo publicè gratis informatur. Sciendum tamen, quòd ante aliquot sæcula extra monasteria separatim institutæ & erectæ sint Academiæ (ceu Seminaria Reipublicæ & Ecclesiæ) inprimis in Germania: ut (1) Heidelbergensis Academia erecta est à Ruperto Ruffo, Electore Palatino anno 1346. indultu Imperatoris. (2) Academia Pragensis à Carolo IV. Imperatore anno 1361. (3) Viennensis Academia à Rudolpho & Alberto III. Austriæ Archiducibus fratribus germanis anno 1388. Eodem anno (4) Coloniensis Academia à Senatu condita est. (5) Academia Herbipolensis à Johanne Episcopo Würciburgico, anno 1404. (6) Lipsiensis Academia à Friderico I. Electore Saxonico, anno 1409. (7) Rostochiensis Acad. à Joanne & Alberto, Ducibus Megapolitanis,

nis, anno 1415.(8) Gryphiswaldiana Acad. instituta est ab Uladislavo 9. Duce Pomeraniæ anno 1457. (9) Ingolstadiensis Acad. à Ludovico, Duce Bavariæ, anno 1472. (10) Tubingensis Acad. condita est ab Eberhardo Barbato, Duce Würtenbergico anno 1477. (11) Acad. Moguntina à Diethero Isenpurgico, Archi-Episcopo Moguntino, anno 1482.(12) Acad. Wittenbergens. condita est à Friderico III. Electore Saxoniæ, anno 1502.(13) Acad. Francofordiana à Joachimo I. Electore Brandenburgico, anno 1506.(14) Acad. Marpurgensis à Philippo Hassiæ Landgravio, anno 1516.(15) Acad. Argentinensis à Senatu Argentinensi instituta est anno 1538. (16) Acad. Regiomontana ab Alberto, Marchione Brandenburgico, Duce Borussiæ, anno 1544. (17) Acad. Jenensis sivè Salana condita est à Johanne Friderico I. Electore Saxoniæ anno 1548. (18) Acad. Lugdunensis Batavorum ab Ordinibus anno 1575.(19) Acad. Julia Helmstadiana à Julio Duce Brunsvvicensi & Lüneburgensi, anno 1576. (20) Acad. Altorphiana à Senatu Norimbergico anno 1581. (21) Acad. Giessena à Ludovico Landgravio Hassiæ anno 1607. introducta est. (22) Academia Rintlensis in Hassia condita est anno 1621. (23) Academia Bambergensis erecta est ab Episcopo Melchiore Ottone anno 1648. & (24) Academia Chiloniensis in Holsatia à Duce Holsatiæ Christiano anno 1665. (25) Acad. Parisiensis à Carolo magno condita est an. 791. (26) Acad. Bononiensis in Italia ab Imperatore Theodosio II. anno 423. (27) Academia Conimbricensis in Lusitania à Joanne II. Rege Portugalliæ anno 482. (28) Complutensis Acad. in Hispania ab Archi-Episcopo Toletano Francisco. (29) Acad. Hafniensis in Dania à Christiano III. Rege Daniæ & Norvvegiæ, anno 1539. (30) Acad. Ubsaliensis in Suecia à Rege Sueciæ (31) Acad. Carolina Gothorum in Schania Suecis subjecta, sub maximis sumtibus erecta est à Rege Carolo anno 1667. ubi ego ante ejus inaugurationẽ, anno 1666. quâ Professor jussu Regio omnium primus vixi, & postea secundus Academiæ Rector anno 1668. honorificè exstiti, & per 8. annos ibidem Professor fui; in illa Academia sunt 18. Professores, quorum infimus pro solario annuo habet 400. imperiales & prædium rusticum absque Collegiorum, quæ privatim habet, præmiis, &c.

Academiæ constant personis & rebus, unde docentes vivunt, & solaria habent. Personæ sunt vel primariæ, vel secundariæ, sive accessoriæ. Primariæ sunt Cancellarii, Rectores Academiæ, Professores

ceu Docentes, & Studiosi ceu discentes. Accessoriæ sunt Pedelli, Studiosorum nuncii, famuli, Bibliopolæ, Typographi & alii interdum opifices; Cancellarius regulariter est Episcopus ejus diæcesis, cui competit potestas, honores summos in omnibus facultatibus conferendi: Sic Academia Gripsvvaldensis in Pomerania olim habuit Episcopum Caminensem, hodiè per metamorphosin habuit Ducem ac Militem fortissimum Comitem Wrangelium, ante breve tempus piè defunctum. Academia Lipsiensis habuit Cancellarium Episcopum Martisburgensem, & Academia Rostochiensis Episcopum Suerinensem &c. quòd pro tempore ibidem non observatur; Nam hodiè dignitatem & potestatem Cancellarii Academici sibi vindicant Status Imperii & Principes in suis territoriis, qui in suis Academiis sunt perpetui Cancellarii. Rector est caput Academiæ, cujus suprema in Academia est potestas; Rectoris munus est, Studiosos in album recipere, ut fiant, mediante juramento, cives academici; tranquillitatem Reipublicæ literariæ conservare, de negotiis academicis, quæ Rectoris jurisdictioni subsunt, cognoscere, & in Professorum publicum & privatum laborem sedulò inquirere, nè studiosam juventutem temerè negligant. In actibus solennibus Rectori Academiæ præferuntur Sceptra argentea auro obducta, quæ sunt insignia amplissimi honoris, dignitatis & autoritatis; quoniã illa sunt signa jurisdictionis, correctionis & officii; sine hac corrigẽdi & puniendi potestate Rector jurisdictionẽ academicã conservare non posset, cum in Academiis existere soleant juvenes juvenili calore plus nimio lascivientes, quorũ temeritas prudenti & tempestiva correctione sæpissimè indiget, ut pro qualitate excessus vel delicti legum fræno in sui emendationem moderatè (interdum etiam severè ob criminis atrocitatem) coërceantur, ad tranquillitatem in Academiis conservandam, &c. Academiæ regulariter habent 4. facultates sivè facultatum Collegia. (1) Est facultas Theologica, quam repræsentant Professores & Doctores Theologiæ, (2) Est facultas Juridica, quam Professores & Doctores juris repræsentant. (3) Est medica, quæ ex Professoribus & Doctoribus Medicinæ constat, & (4) est Philosophica, quam Professores & Magistri Philosophiæ exhibent. Quælibet ex 4. hiscè facultatibus peculiarem habet Decanum, ceu ordinarium Præsidem, cujus officium exigit, *(1)* convocare collegas, quoties sibi opus videtur, *(2)* quando à facultate Theologica, Juridica vel Medica consilium pe-

titur, Decano incumbit, ut convocatis suis Collegis casum proponat, & deinde, auditis priùs singulorum Collegarum suffragiis, ipse sententiam concipiat, juxta suffragiorum pluralitatem, ac sententiam postea in mundum redactam sigillo facultatis obsignet. & (3) si qui sunt, qui ad dignitates doctorales promoveri volunt, hi priùs sua nomina Decano dare obligantur, ut is id Collegis suis annunciet, cumq; iis super hoc negotio deliberet, num ad expetitas dignitates condignè admittantur candidati, vel non; ubi maximoperè inquiritur in candidatorum qualitates, diligentiam, eruditionem & mores.

Accessorium regulariter sequitur naturam & conditionem sui principalis, *c. 42. de R. J. in sexto* & *l. 34. ff. de contrab. empt.* (intellige in conjunctis, & ubi eadem subest ratio.) Exceptio est in separatis, & ubi diversa subest ratio, *l. 13. C. de transact.* Ratio est, quia principale tanquam dignius trahit ad se accessorium, tanquam minùs principale, licet accessorium sit pretiosius. Hinc si testator legaverit uxori vestes, & aurea & argentea ornamenta illarum vestium legasse præsumitur, licet illa longè pretiosiora sint ipsis vestibus: Sic etiã, si quis in testamento alicui donaverit aurum vel argentum certum, tunc præsumitur etiam id omne donasse, quod ornandarum harum rerum causa est adhibitum. Ergò gemmæ & adamantes inclusi annulo vel auro aut argento tanquam accessorium donata videntur. *l. 19. §. 13. ff. de aur.* & *argent. legat.* Item venditâ vel legatâ domo, venit quoq; hortus domui contiguus *l. 91. §. 5. ff. de legat. 3.* Ergo quamdiu consistit principale, tamdiù etiã regulariter consistit accessorium; ast si corruit principale, corruit & accessorium: sic matrimonio non subsistente neque dos, neque donatio propter nuptias exigi potest. *§. 12. Instit. de nupt.* ratio est, quia dos sine matrimonio esse non potest. *l. 3. ff. de jur. dot.*

Accusare qui possunt alios? Resp. sequentes 5. personæ alios ob reverentiam regulariter accusare non possunt, (1) filius patrem accusare prohibetur, *l. 8. ff. de accusat*; ratio est, quia is filius mortalium esset ingratissimus, qui genitori suo, cui præter Deum debet vitam, eandem eripere auderet. (2) Alumnus educatorem *l. 17. C. qui accusare non possunt.* (3) Libertus patronum, *d. l. 8.* (4) servus Dominum, *l. 20. C. qui accus. non poss.* (5) vasallus Dominum accusare nequit, alioquin ob ingratitudinem feudo privatur. Excipe hic duplicem casum, (1) nisi personæ hæ suam, suorumquè injuriam persequantur

tur, ut si demonstrare possint, se ab iis ex possessione injustè esse depulsos, ac velle restitui in priorem statum *l. 11. ff. de accusat.* (2) nisi crimen læsæ majestatis commiserint, *d. l. 20.* ratio est, quia plus debemus patriæ, quàm parentibus, patronis, Dominis, &c. Salus enim publica suprema lex esto.

Accusatio est criminis sive delicti ad judicium delatio, vindictæ publicæ causa facta: qui hodiè alium in judicio publicè accusare vult, tenetur cautionem præstare de injuriis & expensis in casum succumbentiæ, si forsan causa in judicio cadat: aut si tantum non habuerit in bonis, solet interdum accusator carcere detineri, donec innotescat, num verè, vel malitiosè alium accusaverit, *vide t. t. in medull. mea Justin. ff. de accusat. Parisiis impressa.*

Accusator est, qui in judicio criminali accusationem instituit. *t. ff. de accusat.*. In eo differt actor ab accusatore, quod ille in judicio civili, hic in judicio criminali, quod sibi debetur, persequitur.

Accusator ubi non est, ibi non est judex, *l. 6. §. 2. ff. de muner. & hon.* Excipe, nisi judex ex officio ob Reipublicæ salutem & tranquillitatem conservandam, ipse inquirere cogatur in delinquentes, si forsan delictum sit valdè atrox, quod per consequentiam lædit ipsam Rempublicam; qualia delicta committunt latrones, pyratæ, incendiarii, &c. quos in securitatem reipubl. omni modo persequi debemus, eosq; in terrorem aliorum gravissimè punire, ut quilibet bonus civis suis bonis quietè frui, & possidere possit.

Accusatus non potest alium regulariter accusare pendente illa accusatione, *l. 19. C. de his, qui accusare non possunt.* Excipe tres casus (1) nisi accusatus accusanti majus crimen objecerit, vel (2) nisi suam, suorumque injuriam prosequatur, vel (3) nisi per modum exceptionis accusanti crimen objecerit *l. 1. §. 5. ff. de adult.* e. gr. Si maritus uxorem adulterii accuset ad lucrandam dotem, illa verò per modum exceptionis & defensionis incuset maritum de lenocinii crimine, &c.

Actio (germanicè eine gerichtliche Klage) in jure non sumitur physicè pro quacunque operatione, sive actione, sed juridicè (in sensu civili) ad nudum forensem usum applicata. Idcircò actio sic definitur: Est jus sive potestas persequendi in judicio, quod sibi debetur. Hinc agere in jure nihil aliud denotat, quàm aliquem coram judice competente legitimè convenire, ad jus suum conservandum. Einen Gerichtlich anklagen.

Actio

Actio est duplex, directa & utilis, quæ ejusdem sunt potestatis, eundemque habent effectum, *l. 47. in fin. ff. de negot. gest.* Actio directa ex verbis legis vel edicti prætorii expressis oritur. Contra, actio utilis deficientibus legis verbis ex mente & sententia legis per interpretationem JCtorum oritur, *l. 5. §. pen. ff. de constit. pecun.* æquitate naturali sic suadente. Tales actiones utiles sunt sequentes, ut *(1)* actio utilis de pauperie *l. 4. ff. si quadrup. paup. fec. dic.* *(2)* actio utilis legis Aquiliæ *§. fin. Inst. de L. aquil.* *(3)* actio utilis familiæ erciscundæ *l. 2. §. 1. ff. famil. ercisc.* & *(4)* actio utilis negotiorum gestorum *l. 17. C. de negot. gest.* Circa actiones in quolibet negotio observanda sunt tria sequentia, *(1)* cui competat actio, *(2)* adversus quem competat, & *(3)* ad quid competat, e. g. in mandati negotio actio competit mandanti contra mandatarium, ad negotium juxta promissum ritè expediendum, *l. 10. §. 7. ff. mandat.* item in emtione & venditione actio datur emptori contra venditorem, ad rem tradendam; ac venditori contra emptorem competit ad pretium solvendum: sic etiam actio locati competit locatori contra conductorem, ad rem pro certa mercede locatam finito locationis tempore incolumem sibi reddendam, & mercedem solvendam, &c.

Actio confessoria & negatoria sunt actiones in rem. Nam sicuti rei vindicatione persequimur res corporales; ita actione confessoria & negatoria tuemur jura nostra, quæ sunt incorporalia. Actio confessoria est actio in rem, quâ quis vindicat servitutem, quam alterius prædium, (rusticum vel urbanum sive ædes) suo prædio debere asserit, vel confitetur, hoc est, quòd jus servitutis sibi in alieno fundo vel ædibus debeatur. *vide §. 2. Instit. de action.* Acturum hac actione confessoria probare oportet, jus servitutis sibi deberi, idque vel mortis causa, vel inter vivos pactionibus, vel usu & patientiâ esse constitutum *l. fin. ff. de servit.* Ratio est, quia aliàs, cessante hac probatione, omne prædium præsumitur à servitutibus liberum juxta primævum suum statum. Contra, actio negatoria est actio in rem, quâ quis negat, alteri jus sivè servitutem in prædio suo, (rustico vel urbano, hoc est, in fundo vel ædibus,) competere, *d. §. 2.* vel est actio, quâ Dominus adversus eum, qui servitutem in ipsius prædio prætendit, rem istam liberam in judicio declarari petit: quo casu reus tenetur liquidè probare, servitutem sibi in actoris prædio esse constitutam, alioquin amittit prætensum jus. Ratio est, quia Dominus prædii servitutem negans, ob naturalem libertatem habet præ-

præsumptionem pro se pugnantem, servitutem non deberi. Hanc præsumptionem evidentibus argumentis elidere debet reus, nisi jus prætensum amittere velit. Hanc actionem negatoriam instituit Dominus contra eum, qui prætendit servitutem in ejus prædio ad hoc, ut prædium ejus in judicio declaretur liberum, & ut reus interesse solvat. Hîc notandum, in controversiis rerum corporalium is semper agit, qui non possidet, ac petit rem suam ab aliis possessam sibi restitui; Ratio est, quia possidenti sufficit, se possidere *l. 1 ff. §. 6. uti possidetis.* Ast in controversiis rerum incorporalium etiam is agit, qui possidet, ad concessam libertatem quietè & integrè conservandam, ut fit in actione negatoria.

Actio moralis an sit in nostra potestate, h. e. an benè, vel malè agere sit in hominum arbitrio, quæritur? Resp. quod sic; ratio assertionis est sequens, si benè, vel malè agere non esset in hominis arbitrio, utique frustra ferrentur leges, quæ homines ad observantiam & obedientiam obligare debent: nam legum finis est, homines exhortari ad virtutes, & dehortari à vitiis. Quod si actionum humanarum electio non esset in libero hominum arbitrio, tunc contra justitiam bonis præmia & honores; & malis pœnæ & supplicia injustè decernerentur: quia non ex malitia, sed ex necessitate homines peccarent, dum omnes hominum actiones non in eorum arbitrio & potestate essent positæ: quod absurdum; omnis enim actio humana voluntaria duo principia requirit (1) notitiam sive cognitionem rei agendæ, & (2) voluntatem agentis, ut agens rem priùs rectè cognoscat, quàm illam velit. Ergo in qua actione notitia & voluntas non concurrunt, illa non dicitur voluntaria, sed invita actio.

Actiones in genere sunt vel in rem, (ut rei vindicationes) vel in personam (ut condictiones) *l. 25. ff. de obligat. & act. & §. 2. Inst. de act.* Illæ oriuntur ex jure in re, unde jus reale & actiones reales; Hæ oriuntur ex obligatione & jure ad rem, undè actio personalis; ideò obligatio etiam dicitur mater actionum, intellige personalium; quòd autem id non absolutè de omnibus actionibus tam realibus, quàm personalibus sit intelligendum, sed saltē de personalibus, patet ex arg. *l. 42. §. 2. ff. de procurat.* Nam actionum realium mater & causa sunt jura in re, qualia sunt quinque sequentia, ut (1) dominium (2) possessio, (3) servitus, (4) hereditas, & (5) pignus sive hypotheca: & non obligatio, quæ est duntaxat ad rem; licet autem obligatio, sive jus ad rem, versetur circa rem, ob id tamen res ipsa

alteri

alteri non statim est devincta, sive obligata, sicuti jus in re rem sibi habet devinctam, sed persona tantùm est obligata, ad aliquid præstandum: quoniam per obligationem non statim transfertur immediatè rei dominium, sivè jus in re in alterum, sivè in nos; sed per obligationem saltem obstringimus nobis personam obligatam ad aliquid dandum, vel faciendum, *l. 3. ff. de obligat. & act.* prout ex subsequentibus definitionibus patet. Actio in personam est, quâ cum eo agimus, qui nobis obligatus est ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto, ad dandum vel faciendum. Finis enim actionis personalis est, ut is, qui nobis obligatus est, aliquid det vel faciat, *l. 25. ff. de obligat. & act.* Actio in rem est, quâ rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus; actio hæc realis dicitur per excellentiam rei vindicatio; hujus actionis finis est, ut actor rem suam, quam adversarius possidet, ab adversario consequatur. Hîc probè notandum, quòd causa proxima actionis in personam sit obligatio; sed causa remota actionum personalium est duplex, *(1)* est conventio sivè contractus, & (2) delictum: Ratio est, quia omnis obligatio ex contractu vel quasi contractu, aut ex delicto vel quasi delicto oritur. In actione personali causam remotam exprimere sufficit, e. g. peto à te centū ex mutuo, locatione, venditione, quia mihi inde obligatus es; nam ex causa remota præsumitur causa proxima, videlicet obligatio: ast sola expressio causæ proximæ in actione personali non sufficit, e. gr. peto à te centum, ad quæ solvenda mihi es obligatus; ideò si quis tali modo formaret libellum, utique declararetur ineptus, ob causam debiti prætensi incertam, *c. fin. X. de libell. oblat.* ergò causa remota addenda est, puta, quia ex mutuo, locatione, venditione, &c. ad hæc solvenda mihi es obligatus. Contra, in actione reali causam proximam, quæ est dominium, exprimere sufficit. *l. 23. ff. de rei vindicat.* e. gr. si actor in libello suo dicat, peto rem, quæ mea est jure dominii vel quasi, mihi restituendam: Ratio est, quia dominium nemini ex pluribus causis, sed ex una saltem contingere potest, *l. 3. §. 4. ff. de acquir. possess.* nec plures possunt unius rei dominium in solidum habere, *l. 5. §. 15. ff. commodat.* remota verò causa actionis realis est ipsum factum, ex quo causatur dominium, seu ipsum jus agendi, remq; suam persequendi, e. gr. peto à te rem, quia mihi fuit legata, vel vendita, aut per transactionem data, &c.

Actiones bonæ fidei & actiones stricti juris hanc habent differentiam, quòd in illis judici laxior, in his strictior concedatur facultas judi-

 candi.

candi. Hinc sic describimus actiones bonæ fidei, quod ita sint comparatæ, ut judex in iis liberam pro arbitrio suo habeat potestatem, ex bono & æquo judicandi, quantum reus actori præstare debeat. *§. 30. inst. de act.* quoniam bona fides hîc denotat benignam interpretationem, ubi judex non nuda verba conventionis considerat, sed quod ex bono & æquo sit præstandum, observat. Ex opposito, actiones stricti juris judicis potestatem restringunt, quia in iis judicis potestas verbis conventionum sic astringitur, ut expressam conventionem excedere non possit.

Actiones humanæ ab intellectu & voluntate regulariter proficiscuntur, dependent & diriguntur, prout ex subsequentibus, & ex titulo *actionum humanarum essentialia* patebit; si verò actio sit coacta contra voluntatem, vel erronea contra intellectum, agentem regulariter non obligat; ideò distinguit Aristoteles actiones humanas tripliciter, quòd sint vel (1) voluntariæ, vel (2) invitæ sive coactæ, vel (3) mixtæ. Actiones humanæ voluntariæ sunt, quæ à voluntate agentis proficiscuntur, dum ab agente spontè & liberè suscipiuntur; ideò eundem regulariter obligant. Invitæ sive coactæ actiones sunt, quæ contra voluntatem agentis scienter geruntur, ideò tales actiones agentem vi, vel metu ad quid faciendum adactum jure æquo non obligant. Mixtæ actiones sunt, quando voluntas hominis (agentis) non ultrò & simpliciter aliquid vult, sed necessitate cogente aliquid facit, suscipit vel approbat, ad effugiendum majus malum, à qua actione alioquin voluntas hominis, extra necessitatem & periculum constituta, regulariter abhorret. Mixtæ hæ actiones cum voluntariis, sivè spontaneis actionibus illud habent commune, quòd voluntas pro præsenti statu eas actiones eligat tanquam minus malum: idcircò hæ actiones mixtæ non simpliciter, sed secundum quid censentur invitæ. Hîc porrò notandum, quod nulla validior ratio dari possit, cur homini una, vel altera actio imputari possit, quàm sequens: quia actio ab ipso (Petro vel Paulo) sciente & volente, & quidem vel immediatè, vel mediatè est profecta, h. e. quia penes ipsum fuit, ut fieret, vel non fieret. Ejusmodi actio secundùm moralem & civilem disciplinam scienti & volenti tanquam autori justè imputatur. Ex opposito, nemo pro autore actionis habetur, quæ penes ipsum, neque in se, neque in sua natura fuit. Hinc si bruta animantia naturali adhuc libertati relicta, homini ex naturali ferocitate nocuerint, nemo propter damnum illatum tene-

 tur:

tur: ratio eſt, quia nemo fuit in cauſa, ut hoc damnum fieret; aſt ſi talia animalia á venatoribus capta, & in urbe voluptatis vel ſpectaculi cauſa habeantur cuſtodita, & negligentiâ poſſeſſoris erumpant, damnumque hominibus, vel animalibus domeſticis inferant, utiq; hoc damnum poſſeſſori in noxiis hiſce animalibus cuſtodiendis negligenter exiſtenti juſtè imputatur: ratio eſt, quia is dominium in illa animalia habens, occaſionem & cauſam huic damno dedit. Contra, homini imputari non poſſunt ea, quæ absquè dolo, vel culpâ coactè & invitè patitur, aut agit: ratio eſt, quia talia â ſe removere vel effugere non potuit, ſed ſupra ipſius vires videntur. *Cicero lib. 1. offic. dicit,* quod omnis actio humana vacare debeat temeritate & negligentiâ, nec cuiquam quicquam agere liceat, cujus non poſſit cauſam probabilem reddere: ideo dicunt Philoſophi, quòd unaquæquè actio ex fine & intentione agentis ſit vel honeſta, vel turpis: quandoquidem voluntas & intentio actiones humanas & delicta diſtinguit: ſic in effractione forium voluntas & intentio effringentis probè attendenda eſt, vel *(1)* quis effringit fores eo fine, ut ob amiſſam clavem fores aperiat, vel *(2)* ut libidinem exerceat, vel *(3)* ut furtum committat, vel *(4)* ut alteri injuriam inferat, &c. Sic quodlibet factum pro delicti, & intentionis qualitate examinandum eſt.

Actiones humanæ diſtinguuntur finibus; ideò in omnibus hominum actibus præprimis accuratè conſiderandum, quâ quis intentione quid fecerit, & ad quem effectum, *l. 16. ff. de pœnis,* nè actus agentium ultra eorum intentionem iniquè extendantur, *l. 19. pr. ff. de rebus credit.* prout ex antecedentibus ſufficienter patet; nam probè conſiderandum eſt, quâ intentione, quovè fine quis quid fecerit, num quis noctu per feneſtram clàm in alterius ædes aſcendat, ad furtum committendum, nùm ad vim, vel injuriam alii inferendam; an verò ad libidinem cum uxore, filia vel ancilla domini ſordidè exercendam. Ergò pro intentione agentis omne negotium juxta qualitates juſtè examinandum, & per conſequens legitimo & debito modo puniendum eſt.

Actiones concurrere dicuntur, quando plures actiones eidem actori contra eundem reum circa eandem rem vel idem factum ſimul competunt, quod fit dupliciter, *(1)* electivè, & (2) cumulativè. Electivè concurrunt actiones, quando duæ, vel plures actiones actori quidem competunt, ſed eidem unam duntaxat ex his intentare li-

cet, quâ electâ, & in judicium deductâ cæteræ consumuntur; sic legatario ratione legati consequẽdi tres competunt actiones, prima est actio personalis ex testamẽto; secunda est rei vindicatio, & tertia est hypothecaria, *l. 1. C. commun. de legat.* Prima actio legatario datur in personam hæredis, qui adeundo hæreditatem videtur cum legatario quasi, vel tacitè contraxisse, seque ad legata à defuncto relicta, legatario præstanda obligâsse, *§. 5. Inst. de obligat. quæ quasi ex contractu nascuntur*; obligatio autem, cùm sit vinculum personæ, est mater actionum personalium, *§. 1. Inst. de action.* Altera actio, nimirùm rei vindicatio legatario competit, quia dominium rei legatæ statim post mortem testatoris immediatè transit in legatarium, licet possessionem ejus nondum apprehenderit *l. 64. in fin. ff. de furt.* Tertia actio, puta, hypothecaria legatario datur, quia legatarius, quamdiu caret re legata, habet omnia bona hæreditaria interim sibi tacitè obligata, donec res legata ei traditur, *l. 2. C. commun. de legat.* tot actiones ideò suppeditantur legatario, ut his remediis vota defuncti adimpleantur. (2) Cumulativè concurrunt actiones, ut omnes vel simul, vel successivè experiri sit permissum *l. 11. ff. de jurisdict.* hoc est, ut unâ actione institutâ, altera non tollatur, sed alia semper institui possit, si opus sit; quod concedi solet ad lites dirimendas, ad sumptus litis minuendos, & ut evitetur multiplicatio processuum, *l. 13. C. de judic.* Cumulatio hæc actionum fieri solet, quando actiones sunt compatibiles, & invicem non contrariæ: nam si quis actiones plures, quas intendere cupit, simul proponit, & persequitur in judicio, tunc citius finiuntur, quàm si unam post aliam proponere cogitur; ideò licet interdicta adipiscendæ vel recuperandæ possessionis cum rei vindicatione cumulare; prior actio est de possessione, posterior de proprietate, quæ duæ sunt diversæ, non autem contrariæ actiones, *l. 11. §. fin. ff. de except. rei judic.* quoniam nemo contrarias actiones in libello justè cumulare potest, dum una alteram impedit. Ergo quando quis indignè verberatus, & vulneratus est, tunc potest actionem legis aquiliæ de damno, & actionem injuriarum de contumelia sibi facta instituere; quia hæ duæ actiones non sunt contrariæ, sed tantum diversæ, & per consequens sunt compatibiles; prior continet interesse damni, altera restitutionem famæ læsæ: sic etiam hæreditatis petitionem, & rei vindicationem tanquam diversas actiones in libello cumulare, & proponere licet, ut à Mævio in libello petam 100. imperiales ex causa mutui,

& 200.

& 200. imperiales ex causa emptionis, & venditionis; quoniam hæ causæ sibi invicem non sunt contrariæ.

Actionum concursus quem modum desiderat? Resp. quando causa civilis cum criminali in judicio concurrit, tunc prius de criminali est agendum, quia major, graviorq; est, ubi de vita, sanguine, & fama hominis agitur. *l. ult. C. de ord. judic.* Excipe, nisi plus periculi sit in causa civili.

Actionum humanarum basis & fundamentum consistit in illa æquitatis regula, quod quisque juris in alium statuit, ipse eodem utatur, *l. 1. ff. d. t.* per hanc ratiocinando statim cognoscimus, utrum æquum, an iniquum sit, quod nos ab aliis, vel contra, alii à nobis petunt? Deus enim omnium hominum mentibus quandam justitiæ censuram, & rectè judicandi rationem naturâ indidit, quam deinde arte, eruditione, & doctrinâ juris ad majora scrutanda promtiorem & perfectiorem efficere possumus. Nemo hanc æquitatis regulam, absque propriæ conscientiæ læsione & gravissimâ aliorum injuriâ, temerè rejicere justè potest: Quis enim nisi malitiosus & pertinax aspernabitur, idem sibi jus dici in qualibet causa, quod ipse aliis dixit, vel dici curavit, aut dicturus est. Quoniam leges tam Divinæ, quàm humanæ nobis mortalibus sub pœnâ sedulò injungunt, ut sic faciamus aliis, quemadmodum velimus nobis fieri, *Matth. c. 7. & d. l. 1. ff.* Idem nobis inculcant secundum & tertium juris præceptū generale, nè proximum lædamus; vel suum cuique denegemus: nec possumus melius cognoscere, utrum æquum, vel iniquum sit, quod in judicio, vel extra judicium ab alio petituri sumus, quam si ex personis nostris tacitè primum metiamur, num etiam vellemus hoc jus in nos exerceri, quod in alium decernimus, aut decerni conamur.

Actionum humanarum essentialia sunt sequentia. In omnibus actionibus, contractibus, & negotiis civilibus tria essentialia probè attendenda sunt. (1) Intellectus sive ratio. (2) Voluntas, & (3) Potentia; horum uno deficiente vitiatur totum negotium; nam qui intellectu caret, vel non intelligit, quæ agit, is per consequens in sensu morali nihil facere videtur, nec velle creditur; quoniam integra ratio sivè intellectus in omnibus negotiis necessariò præcedere debet, antequam quis consentiat negotio; hinc (1) necessariò requiritur, ut quis præsens negotium intelligat, utrum sibi utile sit, vel non? (2) ut negotio benè ponderato consensum suum liberè, sive spontè

det,

det, hoc eſt, negotium liberâ voluntate approbet, nè videatur coactè conſentire, aut præter intentionem aut voluntatem agere; talis extortus conſenſus jure benigno non cenſetur ratus. (3) ut agens habeat potentiam agendi, & conſentiendi; nam qui naturâ vel lege agere prohibetur, non poteſt conſentire; hinc ſicuti infans, impubes, furioſus, mente captus, & ſummè ebrius ob deficientem rationem non rectè ratiocinari valent: ita nec conſenſum dare poſſunt, *l. 40. ff. de R. J.* ob id ſummè ebrius promiſſis ſuis ſtare non obligatur, ſi forſan inter pocula in ſui præjudicium contraxerit, vel virgini fidem conjugalem imprudenter promiſerit, niſi ſubſequente die, poſt edormitam crapulam, ea, quæ ebrius fecit, ratihabuerit. Intellectui contraria ſunt dolus, error & ignorantia. Voluntati verò contraria ſunt vis & metus.

A*ctiones reales* contra quemlibet poſſeſſorem exercentur, etiamſi res ad mille manus pervenerit, hoc eſt, quod domino rei ſive fundi detur poteſtas, rem ſuam à quovis poſſeſſore repetendi & vindicandi *§. 1. Inſt. de action.* Ex oppoſito, actiones perſonales infixæ ſunt perſonæ obligatæ, & perſonam obligatam ſequuntur, ut corpus umbra *l. fin. ff. de contrab. empt.* Hîc obſervandum, quòd actiones reales (ſive in rem) & actiones perſonales (ſive in perſonam) non differant materiâ ſive ſubjecto, ſed ſaltem cauſa petendi; illæ oriuntur ex dominio, hæ ex promiſſione, obligatione, vel facto perſonarum.

A*ctiones pœnales* regulariter in hæredes non tranſeunt, *l. 111. §. 1. ff. de R. J.* quia nemo debet alicui criminis ſucceſſor conſtitui, *l. 26. ff. de pœn.* Excipe, eatenus tamen illæ dantur in hæredes, quatenus illi ex illato damno facti ſunt locupletiores; turpia enim lucra hæredibus ſunt extorquenda. *l. 5. ff. de calumniat.*

A*ctionum qualitas* ſub certa reſtrictione in jure eſt conſideranda. Nam omnes hominum actus intelligendi ſunt cum hac clauſula; (rebus ſic ſtantibus) *l. 38. ff. de ſolut.* mutato enim rerum ſtatu, mens & intentio diſponentium ceſſare cogitur. Sic ultimæ hominum voluntates cum illa conditione (ſi res in eo, quo nunc ſunt ſtatu, permanſerint,) intelligendæ ſunt; nam ſi teſtator poſtea mutaverit teſtamentum, tunc prior teſtatoris actus nihil valet, ſed poſterior ſubſiſtit.

Actor est, qui aliquid in judicio civili ab altero petit, quod is sibi debet, *pr. Inst. de action.* Contra, reus est, à quo actor in judicio aliquid petit, *l. 3. ff. de probat.*

Actor forum rei sequitur *l. 2. C. de jurisdict. omnium judic. & c. fin. X. de foro competenti.* quod in actione personali & reali, item in civili & criminali verum est, *l. 5. C. d. t.* Contrarium observatur in lege diffamari, ubi reus cogitur sequi forum actoris: quoniam diffamatus & injuriatus provocat diffamatorem, ut agat sub pœna perpetui silentii *l. 5. C. de ingenuis & manumiss.* Ubi porrò notandum, quòd reus forum regulariter sortiatur ex loco, vel (1) domicilii, vel (2) ex loco contractûs, vel (3) ex loco delicti, vel (4) ex loco rei sitæ. Quoties verò plura loca concurrunt, ubi reus conveniri potest, tunc actori datur electio, in quo loco reum, cum quo habet controversiam, convenire velit.

Actori incumbit probatio *l. 21. ff. de probat.* hinc actore non probante reus regulariter absolvitur; reus enim non tenetur prius suam exceptionem probare, quàm actor suam probaverit intentionem, *l. 19. C. de probat.* nec tenetur reus propria instrumenta edere ad fundandam contra se actoris intentionem, *l. 4. C. de edendo.* ratio est, quoniam nemo se ipsum prodere obligatur, & adversario gladium ad se jugulandum porrigere. Datur tamen exceptio, nisi præsumtio sit contra reum, tunc onus probandi transfertur in reum ad fundandam suam exceptionem, *vide cap. un. X. ut Ecclesiast. benefic.*

Actus agentium ultra eorum intentionem operari non debent, *l. 19. §. 1. ff. de rebus credit.* in omnibus enim hominum actionibus accuratè attendendum, qua intentione quis quid fecerit, præsertim (1) in delictis, e. gr. qui injuriæ inferendæ causa januam alteri malitiosè effregit, si interea ab aliis injuriato res furto auferantur, injurians furti non tenetur, *l. 53. pr. ff. de furt.* sed injuriarum actione conveniri potest. Ratio est, quia voluntas & propositum delicta distinguunt, *l. 16. ff. de pœn.* nam ex injuriantis intentione patet, quòd non furandi, sed injuriandi causa effregerit fores. Ergò eo nomine etiam conveniendus est. Idem (2) in testamentis statuitur; testatoris enim voluntas ibi maximè consideratur; (3) In rescriptis, quæ juxta Principis intentionem interpretanda sunt; & (4) in contractibus: ratio est, quia potius voluntas sive mens contrahentium, quàm eorum verba sunt perpendenda, *d. l. 19. §. 1.* nè aliquid contra eorum mentem sinistrè intelligatur, quod ex circumstantiis colligi potest.

Adoptio in genere est legitima alicujus in locum filii electio, vel est legitima extranei in locum liberorum assumptio. Adoptio dividitur in adoptionem specialiter sic dictam, & in arrogationem *§. 1. Inst. de adopt.* Adoptio in specie est assumptio ejus in filium vel filiam, qui in potestate patris sui est, imperio Magistratus facta. *d. §. 1. & l. 2. ff. ibid.* Hæc adoptio specialis est iterum duplex, vel (1) extraneus (h. e. qui non est ex linea ascendentium) aliquem adoptat, quo casu patriam potestatem non transfert in adoptantem, sed adoptatus saltem impetrat jura succedendi ab intestato *§. 2. Inst. h. t. & l. 10. C. eod. tit.* in tali casu nec jus nobilitatis tribuit adoptio, præsertim si plebejus à Nobili adoptatur; ratio est, quia jus familiæ, cui agnationis & nobilitatis jura sunt annexa, adoptatus non consequitur. Vel (2) aliquis ab ascendentibus aliquem adoptat, ut avus vel proavus maternus, & tunc adoptio patriam potestatem conciliat. Arrogatio est adoptio hominis sui juris, Imperatoris autoritate facta *d. §. 1. & l. 2. pr. ff. h. t.* Causa efficiens adoptionis est lex, quæ eam introduxit, & consensus eorum, qui hoc actu solenni utuntur: oportet enim adoptantem & adoptatum consentire *l. 5. ff. de adopt.* Causa impulsiva & finalis est, adoptio præcipuè in illorum gratiam est introducta, qui nullos liberos, vel degeneres, aut planè debiles, adversâque valetudine affectos habent, nè familiarum dignitas penuriâ naturalis & legitimæ sobolis pereat. Objectum adoptionis est is, qui filius non est naturâ, pro filio adoptetur. Finis est, eundem filium efficere, & potestati patriæ subjicere, ne sit sine liberis. Adoptioni similis est unio prolium, mariti & uxoris, quæ consistit in pactis prævia Magistratûs cognitione confirmatis.

Adoptio nuda non adfert jus sanguinis, h. e. non causat cognationem naturalem, *l. 23. ff. de adopt.* sed juris fictione saltem naturam imitatur, ubi quis fingitur adoptantis filius, qui reverà non est talis.

Adoptivus pater extraneus non tenetur in testamento suo adoptivis liberis aliquid relinquere. Ratio est, quia non naturali vinculo astrictus hoc facit, sed ex mera saltem liberalitate, *l. 10. §. 1. C. de adopt.* Ergo talibus non datur querela inofficiosi testamenti, si iis nihil in testamento sit relictum: iis verò, qui ab ascendente, avo vel proavo sunt adoptati, propter duplex vinculum, naturale scilicet & civile, legitima (portio) relinquenda est.

Adulterium est dolosa thori alieni violatio, *caus. 36. q. 1. can. 2.* quo fœdus conjugale malitiosè violatur; ideò hoc occultum, & scandalosum magnum

magnum crimen absque dolo non committitur, *l. pen. ff. ad L. Jul. de adult. cauſ. 32. q. 4. can. 4.* Ergo ſi puella alterius uxoris marito, quem ſolutum putavit, bonâ fide nupſit, adulterium non committit, ſed maritus eſt bigamus, adulterium committit, & capitaliter peccat, *l. 30. C. ad L. Juliam de adult.* quia hoc doloſè contra ſeveram legum prohibitionem fecit. Nec mulier adulterium committit, ſi alium pro marito ex ignorantia in ſuo thoro admittat; ratio eſt, quia hoc caſu non doloſè egit, ſed dolo decepta, præter intentionem alteri copiam ſui corporis fecit; ideò meritò excuſanda eſt, & is, qui ſe maritum fingit, graviſſimè puniendus. *cauſ. 34. q. 2. can. 6.* Sic etiam virgines & matronæ commiſeratione, & non pœnâ dignæ juſtè cenſentur, quæ à latronibus, vel hoſtibus, vel raptoribus contra voluntatem violenter comprimuntur & imprægnantur. *l. 39. pr. ff. de adult.* In hiſce caſibus non licet marito contra uxorem ad ſeparationem thori & menſæ agere, quia illa non doloſè egit, & à parte ſui non violavit temerè fœdus matrimonii. Hinc rectiſſimè à Juriſconſultis ſtatuitur, quod non corpus, ſed mens hominis peccet: ergò quoties mens corporis violationem non approbat, ſed inſtanter contradicit; utique corpus violatum in tali caſu non peccat. Cauſa efficiens adulterii eſt lex Julia, quam Imperator Auguſtus olim tulit *l. 1. ff. h. t. & §. 4. Inſtit. de public. jud.* Subjectum activum ſunt adulteri & adulteræ. Subjectum paſſivum eſt is, cujus thorus malitioſè violatur *l. 6. §. 1. ff. h. t.* Forma & finis conſiſtunt in modo lædendi, ubi datâ operâ læditur fides & thorus conjugalis.

Adulterium jure civili non committitur niſi in nuptam, *l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* Aſt adulterium jure Divino & Canonico tripliciter committitur. (1) Quando ſolutus cum conjugata illicitam venerem libidinoſè exercet *cauſ. 32. q. 4. can. 4.* (2) Quando conjugatus cum ſoluta indigno exemplo rem habet, *d. loc.* (3) Quando conjugatus cum conjugata thorum utriusque matrimonii perfidè ac libidinoſè violat, *ibidem.* Adulterium etiam in ſponſa eſt vindicandum: ratio eſt, quia nec matrimonium qualecunque, nec ſpem matrimonii violare licet, *l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.*

Adulteros ſive ſacrilegos nuptiarum, (id eſt, thori conjugalis violatores) gladio punire oportet, *l. 30. C. ad L. Jul. de adult.* Ratio eſt, quia adulterium eſt graviſſimum crimen, malitioſè corrumpens primam vitæ ſocietatem, quæ eſt in conjugio, ubi combinata corda, & duo

in una carne habitantes pessimè distrahuntur, fidesque conjugalis perfidè violatur; certitudo etiam sobolis fit dubia, ut, undè sit orta, ignoretur.

Advocatus est, qui partibus litigantibus operam suam mercede locat. Advocatorum munus est publicum, honorificum, & fructuosum, præprimis in summis tribunalibus, ut Spiræ, Viennæ, Parisiis, &c. Est insuper Advocatorum officium in republica necessarium, nè quis indefensus justam fovendo causam iniquè supprimatur; est quoque laudabile, si debito modo exerceatur; si nimirùm Advocati justè defendant viduas, pupillos, & alios innocentes simplices ab astutorum hominum fraude, injuriis, & oppressionibus; haud inconvenienter comparantur militibus, patriam tuentibus, *l. 14. C. de advocat. diverſ. judic.* Si verò cupidine sordidi lucri justas & injustas causas promiscuè defendere conentur, clientesque suos injustam causam foventes, datâ operâ ad lites iniquè fovendas & prosequendas malitiosè impellant, meritò damnandi & è republ. proscribendi sunt. Tales sangui-sugæ optimo jure vocantur conscientiæ vermes, patrimonii tineæ, posteritatis lepra, justitiæ pernicies, alienarum facultatum expilatores, famæ decoctores, nequitiæ architecti, & gehennæ candidati.

Advocati sunt causarum & clientum patroni, *l. 13. §. 9. C. de judic.* quo etiam respectu dicuntur præstare clientibus suis patrocinium, non servitium; non dominos agnoscunt, sed clientes tuentur. Officium Advocatorum requirit, ut causæ statum, factiq; speciem ex fundamento circumstantialiter referant, ac jura pro cliente suo facientia temperanter allegent; ita tamen ut informent potius judicem in ipsa facti specie, quàm in jure, ex corpore juris vel interpretibus adducto: quia judex jura scire præsumitur, & ne speciem præbeat, ac si judici præscribere vellet, quid de lite sit judicandum; hoc perinde absurdum foret, ac si ægrotus medico curam præscribere vellet ex Galeno vel Hippocrate. Ideò Advocati sub pœna à prolixa legum allegatione abstinere coguntur, nè causam controversam suis allegatis intricatiorem reddant, &c. Duo sunt Advocatorum genera, qui totum nobilissimum JCtorum ordinem vulgi opprobrio indignè exponunt; (1) qui lucri cupidine justas & injustas causas promiscuè defendunt, clientesq; ad fovendas lites pessimè instruunt, per hoc: *Si fecisti, nega*: quæ prima est iniquitatis regula; (2) sunt rabulæ forenses, nullâ juris doctrinâ instructi, quibus præter latra-

latratum nec eruditio, nec juris doctrina, nec prudentia, nec probitas, nec conscientia; quos JCtus Cujacius congruè vocat ignaros litium concionatores, fumum & fucum clientibus suis malitiosè vendentes: cùm tamen Advocati non minus pii & probi, quàm literati esse debeant; nè munus suum plus ad subversionem veritatis & litigiorum augmentum, quàm ad dilucidationem justitiæ & litium diremtionem exerceant, ut eorum marsupia saltem intumescant, & clientum miserè corrumpantur.

Advocatus fisci est, qui causas agit publicas nomine Principis.

Advocatis de quota litis cum suo cliente contrahere non licet. Ratio est, quia ipsis tali casu daretur occasio calumniosè litigandi, & veritatem ob spem sordidi lucri iniquè opprimendi. Tales litigantibus non sunt utiles, sed perniciosi.

Ædes suas cuilibet in casu necessitatis quovis possibili modo conservare licet. Hinc qui ædium suarum defendendarum gratia alienas ædes intercidit, justo metu compulsus, ut à suis arceret incendium, lege aquilia de damno dato non tenetur, *l. 49. §. 1. ff. ad L. aquil.* secus se res habet, si urgens necessitas hoc non expresserit, sed ob vanum & levem metum hoc commiserit, quo casu damnum illatum resarcire cogitur.

Æquitas est mitigatio legis scriptæ ob diversitatem circumstantiarum, rerum scilicet, personarum, locorum & temporum. Ex opposito, strictum jus est, quod nullâ habitâ circumstantiarum ratione in universum aliquid simpliciter decidit. Æquitas in omnibus negotiis observanda, & stricto juri præferenda est, nè quid iniqui statuatur. e gr. Jus strictum, sive lex 12. Tabb. furem nocturnum impunè occidere permittit; hunc juris rigorem æquitas non simpliciter approbat, sed secundum quid, quatenus scil. furi nocturno sine periculo nostro parcere non possumus, *l. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quia nemo ob nudam rerum quarundam mobilium defensionem hominem pro arbitrio occidere debet; nisi fur vel latro omnem vel majorem bonorum partē possessori suo impiè eripere conetur, & possessor fortunæ bona absq; læsione furis vel latronis nullo planè modo conservare possit, tunc licet; quia bona fortunæ sunt hominis alter sanguis, quibus amissis, miserè & turpiter vivere cogitur.

Æquitas juris rigori regulariter præferenda est. *l. 8. C. de judic.* inter dū tamen æquitas & rigor juris conjunguntur, *c. 2. X. de sentent. &*

re judic. interdum rigor ex singulari causa præfertur, quando ob delinquentium multitudinē, ad tranquillitatem in republ. conservandam, exemplo in reliquorum terrorem opus est: crescentibus enim delictis, crescere debent & pœnæ. *distinct. 45. c. 9.* ut alii metu pœnæ à talibus delictis perpetrandis deterreantur. Cæteroquin æquitas ut plurimum præfertur rigori, dummodò magistratus in puniendis delictis non sit plus nimiò lenis: maledicta enim est illa magistratûs pietas & lenitas, quæ destruit justitiam. Hinc in *d.c. 9. distinct 45.* prudenter asseritur, quòd disciplina cum misericordia prudenter sit temperanda, nè quid remissius, vel severius æquo puniatur. Miscenda igitur lenitas cum severitate, ac faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque horrida asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur, ac pessimi evadant; ad hoc collimat David: Virga, inquit, tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt; virgâ namq; percutimur, & baculo sustentamur; si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet; sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit Zelus, sed non immoderatè sæviens; sit pietas, sed non plus, quàm expediat, parcens. Ob id in *c. sequenti dicitur*, omnis, qui justè judicat, stateram in manu gestat, & in utroque penso justitiam & misericordiam portat, ad æqualitatem & æquitatem conservandam.

Æstas secundùm jus civile incipit ab æquinoctio verno, & finitur æquinoctio autumnali, & ita senis mensibus æstas & hyems dividuntur, *l. 1. §. 32. ff. de aqua quotid. & æsti.* Aliud juxta Astrologorum dimensiones astronomicas statuitur, prout ex sequentibus patet. Duodecim sunt signa cœlestia, quatuor anni tempora, (nimirum Ver, Æstatem, Autumnum & Hyemem) indicantia; qualia sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Verna signa sunt tria priora; ut (1) Aries, sub quo signo habemus æquinoctium vernum, ut die 11. styli novi, vel die 21. styli veteris Martii. (2) Taurus refertur ad Aprilem, & (3) Gemini ad Majum. Æstiva signa sunt tria sequentia, (1) Cancer, sub quo habemus solstitium æstivum 11.21. Junii. (2) Leo refertur ad Julium, & (3) Virgo ad Augustum. Autumnalia signa sunt quoque tria, ut (1) Libra, sub qua incidit æquinoctium autumnale, 11. 21. Septembris, (2) Scorpio refertur ad Octobrem, & (3) Sagittarius ad Novembrem. Hyberna

na signa sunt tria sequentia, ut (1) Capricornus, sub quo existit triste illud solstitium hybernum 11. 21. Decembris, quo brevissimos habemus dies, & sol nobis parùm apparet, (2) Aquarius refertur ad Januarium, & (3) Pisces referuntur ad Februarium. Sic quodlibet signum occupat integrum mensem. Ex hisce signis in Zodiaco notatis possumus accuratè cognoscere incrementa & decrementa dierum; præsertim si adhibeatur globus cœlestis vel terrestris: nam dum sol singulis diebus gradum in Zodiaco absolvit ascendendo, vel descendendo; sic dies crescunt, vel decrescunt; ideò totum Zodiacum singulis annis semel percurrit, &c.

Ætas hominum in negotiis civilibus probè est attendenda: Vita hominum in 6. ætates commodè dividitur. Prima hominis ætas est usq; ad septimum annum, quæ dicitur infantia, *l. 18. pr. C. de jur. delib.* Secunda ætas est à septimo anno usque ad 14. inclusivè in masculo, & ad 12. in fœmina, quæ dicitur pueritia, *pr. Inst. de nupt.* Tales ut plurimum iterum distinguuntur inter infantiæ proximos & pubertati proximos. Illi sunt, qui nuper infantiam egressi sunt, suntquè adhuc valde impuberes, *l. 3. §. 1. ff. de sepulchr. viol.* Hi sunt, qui prope pubertatem sunt, *l. 14. ff. ad SCt. Silan.* Nonnulli accuratiores JCti id judicis arbitrio relinquunt, ut is definiat, quis infantiæ vel pubertati censeatur proximus? *arg. l. 1. in fin. ff. de jur. delib.* Nam in pueris unus altero præcociore est intellectu, citiusq; dolum capiunt illi, qui in urbe, quàm qui ruri educati sunt. Sunt (inquit Persius) quibus velox est prudentia ante pilos, qui plus sensûs habent in mente, quàm alii, quamvis ætate grandiores, setarum in mento. (3) est ab hoc tempore usque ad 25. annum, & dicitur adolescentia, *l. 1. ff. de minor.* (4) est ab hoc tempore usque ad annum 50. & dicitur virilitas; (5) est ab hoc tempore usque ad annum 70. & dicitur senectus, & (6) est exinde usque ad finem vitæ, & dicitur decrepitas. Hinc, quoties in judicio criminali de pœna delinquentis (scilicet in puncto homicidii, furti, injuriæ, &c.) agitur, maximè necessarium est, ut judex respectum ætatis habeat, utrum delinquens sit infans, qui est septem annis minor, vel infante major; qualis est, vel infantiæ vel pubertati proximus, qualis adhuc est in pueritia: utrum pubes, minor vel major 25. annis: nam infans & infantiæ proximus, (qui est à septimo ad decimū annum) ex delicto commisso non obligatur: ratio est, quia ob teneram ætatem & judicii defectum doli nondum est capax *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

Sicar. l. 1. in fin. C. de fal. monet. quos consilii innocentia tuetur, *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Ast pubertati proximus (qualis est masculus ab undecimo anno ad 14. completum, & fœmina à decimo ad 12. completum) quadantenus doli capax censetur; malitia enim interdum supplet ætatem; ideò talis quadantenus ex delicto obligatur, *l. 23. ff. de furt.* qui ob debilem ætatem & valdè immaturum judicium non ordinariâ pœnâ, sed mitiori afficitur: ratio est, quia in omnibus pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ succurritur, *l. 108. ff. de R. J.* quod clarius exprimit jus Canonicum *X. in tit. de delictis puerorum*, quod delicta in pueris non ita punienda censet, sicut in majoribus, perfectum judicium habentibus. Puberes quoque regulariter mitius puniri solent, quàm viginti quinque annis majores, solidâ ratione pollentes: quia juvenilis calor & imperfectum judicium rationi non semper parent; ideò commiseratio ætatis judicem ad mitiorem sententiam movere solet; nisi delictum sit atrox, & puberis malitia sit nimium notabilis, *l. 37. §. 1. ff. de minorib.*

Affectus dicuntur, quasi afficiunt animam: ideò dicuntur motus sivè mutationes, quia omnes hi affectus cum alteratione animæ & corporis fiunt, h. e. uno actu animum simul & corpus quadantenus immutant; nullus enim affectus est sine corporis, sive sanguinis & spirituum cordis commotione. Exempla habemus (1) in homine iracundo, qui irâ in tantum exardere solet, ut remotâ ratione rubore vultûs diffusus furere incipiat, qui vehemens affectus cum planè quoad corpus & animam valdè afficit, ac turbat. (2) Exempla habemus in homine meticuloso, cui tantus metus interdum incuti solet, ut pallido ore & tremulâ voce vix loqui valeat. (3) Exempla habemus in homine amante, quem amor interdum usque adeo de statu suo turbare, ac mentem evertere solet, ut homini furioso vel fatuo haud immeritò comparari possit, vel ut nimio amore in vehementem febrim incidere soleat. Hîc notandum, quòd omnes affectus ex duobus fontibus profluant, puta, ex dolore & voluptate, quæ duo sunt quasi intimi cujusque hominis consiliarii, semper per vices homini præsentes: nam post nimiam, immoderatam vel turpem voluptatem semper dolor subsequitur; hinc vulgò dici solet: *Post tactum factum, post factum pœnitet actum.* Hinc quæritur, an affectus etiam cadant in bruta rationis expertia? Resp. affirmando; ratio est, quia amare, odisse & metuere apertè videntur, &c. (2) quæritur,

ritur, an omnes affectus sint boni? Resp. quod non, ratio est, quia dantur affectus mali, ut iracundia, invidia, desperatio, impudentia, malevolentia, &c. In quantum enim affectus recedunt à præscripto rectæ rationis, habentur mali. Ergo omnes affectus à recta ratione exorbitantes sunt mali, &c. (3) Quæritur, an omnes affectus in homine sint vitiosi? Resp. quod non, & id quidem ob sequentes rationes, (1) quia ipse DEUS affectus hominibus naturâ indidit, sivè implantavit, à quo tamen nihil fit frustra. (2) Quia DEUS in sacris literis amorem sui & proximi injunxit, qui in sensu morali laudabilis & bonus est, quatenus est temperatus, modum non excedens, *Deut. 6. Matth. 22.* (3) DEUS hominibus odium turpitudinis implantavit, ut omnia turpia naturâ aversentur. *Ps. 26. Rom. 12.* (4) quia affectus sunt in ipsis angelis, qui lætantur in cœlo, quoties peccatores agunt pœnitentiam *Lucæ 18.* Quæritur (4) an omnes affectus tollendi sint? Resp. quod non; ratio est, quia illud est impossibile, dum omnibus hominibus naturâ insunt; nam sicuti cervis metus non potest adimi, nec serpentibus venenum, nec pecudibus lascivia: sic nec affectus hominibus adimere licet, juxta commune illud: *naturam expellas furcâ, tamen usque recurrit.* Ideò sufficit, si vitiosi saltem affectus tollantur remanentibus reliquis. (5) Quæritur, unde pugna rationis & affectuum oriatur? Resp. ex hominis lapsu & peccato; nam si homo esset perfectè virtuosus, sicuti Adam in paradiso, nulla rationis & affectuum in ipso esset pugna, sed optima inter eos harmonia. Sed, prô dolor, tales omnibus numeris perfecti secundùm Platonis ideam in corrupto ac depravato hoc mundo non inveniuntur, sed variis inordinatis & malis affectibus sunt dediti. Cæterum affectus dividuntur in classes seqq: (1) est amor & odium; (2) spes & metus, (3) lætitia & tristitia, (4) favor & ira, (5) misericordia & invidia, (6) desiderium & aversatio, (7) audacia & timiditas, &c. Causa efficiens affectuum est natura. Objectum affectuum est res cognita, & appetitiva animæ facultas: hinc oritur triplex motus, (1) facultas cognoscens movetur ab objecto, (2) appetitus movetur à facultate cognoscente, & (3) totus homo movetur ab appetitu & imaginatione. Hîc sciendum, quod in movendis & ciendis affectibus objecta visûs & auditûs vim habeant maximam; ob id in vulgari sermone dicitur: oculi sunt in amore duces. Subjectum affectuum est cor, in quo habent sedem, sicuti ratio suam habet sedem in cerebro; quoniam cor affectibus valdè agita-

det, hoc eſt, negotium liberâ voluntate approbet, nè videatur coactè conſentire, aut præter intentionem aut voluntatem agere; talis extortus conſenſus jure benigno non cenſetur ratus. (3) ut agens habeat potentiam agendi, & conſentiendi; nam qui naturâ vel lege agere prohibetur, non poteſt conſentire; hinc ſicuti infans, impubes, furioſus, mente captus, & ſummè ebrius ob deficientem rationem non rectè ratiocinari valent: ita nec conſenſum dare poſſunt, *l. 40. ff. de R. J.* ob id ſummè ebrius promiſſis ſuis ſtare non obligatur, ſi forſan inter pocula in ſui præjudicium contraxerit, vel virgini fidem conjugalem imprudenter promiſerit, niſi ſubſequente die, poſt edormitam crapulam, ea, quæ ebrius fecit, ratihabuerit. Intellectui contraria ſunt dolus, error & ignorantia. Voluntati verò contraria ſunt vis & metus.

A*ctiones reales* contra quemlibet poſſeſſorem exercentur, etiamſi res ad mille manus pervenerit, hoc eſt, quod domino rei ſive fundi detur poteſtas, rem ſuam à quovis poſſeſſore repetendi & vindicandi *§. 1. Inſt. de action.* Ex oppoſito, actiones perſonales infixæ ſunt perſonæ obligatæ, & perſonam obligatam ſequuntur, ut corpus umbra *l. fin. ff. de contrab. empt.* Hîc obſervandum, quòd actiones reales (ſive in rem) & actiones perſonales (ſive in perſonam) non differant materiâ ſive ſubjecto, ſed ſaltem cauſa petendi; illæ oriuntur ex dominio, hæ ex promiſſione, obligatione, vel facto perſonarum.

A*ctiones pœnales* regulariter in hæredes non tranſeunt, *l. 111. §. 1. ff. de R. J.* quia nemo debet alicui criminis ſucceſſor conſtitui, *l. 26. ff. de pœn.* Excipe, eatenus tamen illæ dantur in hæredes, quatenus illi ex illato damno facti ſunt locupletiores; turpia enim lucra hæredibus ſunt extorquenda. *l. 5. ff. de calumniat.*

A*ctionum qualitas* ſub certa reſtrictione in jure eſt conſideranda. Nam omnes hominum actus intelligendi ſunt cum hac clauſula; (rebus ſic ſtantibus) *l. 38. ff. de ſolut.* mutato enim rerum ſtatu, mens & intentio diſponentium ceſſare cogitur. Sic ultimæ hominum voluntates cum illa conditione (ſi res in eo, quo nunc ſunt ſtatu, permanſerint,) intelligendæ ſunt; nam ſi teſtator poſtea mutaverit teſtamentum, tunc prior teſtatoris actus nihil valet, ſed poſterior ſubſiſtit.

Actor est, qui aliquid in judicio civili ab altero petit, quod is sibi debet, *pr. Inst. de action.* Contra, reus est, à quo actor in judicio aliquid petit, *l. 3. ff. de probat.*

Actor forum rei sequitur *l. 2. C. de jurisdict. omnium judic. & c. fin. X. de foro competenti.* quod in actione personali & reali, item in civili & criminali verum est, *l. 5. C. d. t.* Contrarium observatur in lege diffamari, ubi reus cogitur sequi forum actoris: quoniam diffamatus & injuriatus provocat diffamatorem, ut agat sub pœna perpetui silentii *l. 5. C. de ingenuis & manumiss.* Ubi porrò notandum, quòd reus forum regulariter sortiatur ex loco, vel (1) domicilii, vel (2) ex loco contractûs, vel (3) ex loco delicti, vel (4) ex loco rei sitæ. Quoties verò plura loca concurrunt, ubi reus conveniri potest, tunc actori datur electio, in quo loco reum, cum quo habet controversiam, convenire velit.

Actori incumbit probatio *l. 21. ff. de probat.* hinc actore non probante reus regulariter absolvitur; reus enim non tenetur prius suam exceptionem probare, quàm actor suam probaverit intentionem, *l. 19. C. de probat.* nec tenetur reus propria instrumenta edere ad fundandam contra se actoris intentionem, *l. 4. C. de edendo.* ratio est, quoniam nemo se ipsum prodere obligatur, & adversario gladium ad se jugulandum porrigere. Datur tamen exceptio, nisi præsumtio sit contra reum, tunc onus probandi transfertur in reum ad fundandam suam exceptionem. *vide cap. un. X. ut Ecclesiast. benefic.*

Actus agentium ultra eorum intentionem operari non debent, *l. 19. §. 1. ff. de rebus credit.* in omnibus enim hominum actionibus accuratè attendendum, qua intentione quis quid fecerit, præsertim (1) in delictis, e. gr. qui injuriæ inferendæ causa januam alteri malitiosè effregit, si interea ab aliis injuriato res furto auferantur, injurians furti non tenetur, *l. 53. pr. ff. de furt.* sed injuriarum actione conveniri potest. Ratio est, quia voluntas & propositum delicta distinguunt, *l. 16. ff. de pœn.* nam ex injuriantis intentione patet, quòd non furandi, sed injuriandi causa effregerit fores. Ergò eo nomine etiam conveniendus est. Idem (2) in testamentis statuitur; testatoris enim voluntas ibi maximè consideratur; (3) In rescriptis, quæ juxta Principis intentionem interpretanda sunt; & (4) in contractibus: ratio est, quia potius voluntas sive mens contrahentium, quàm eorum verba sunt perpendenda, *d. l. 19. §. 1.* nè aliquid contra eorum mentem sinistrè intelligatur, quod ex circumstantiis colligi potest.

Adoptio in genere est legitima alicujus in locum filii electio, vel est legitima extranei in locum liberorum assumptio. Adoptio dividitur in adoptionem specialiter sic dictam, & in arrogationem *§. 1. Inst. de adopt.* Adoptio in specie est assumptio ejus in filium vel filiam, qui in potestate patris sui est, imperio Magistratus facta. *d. §. 1. & l. 2. ff. ibid.* Hæc adoptio specialis est iterum duplex, vel (1) extraneus (h. e. qui non est ex linea ascendentium) aliquem adoptat, quo casu patriam potestatem non transfert in adoptantem, sed adoptatus saltem impetrat jura succedendi ab intestato *§. 2. Inst. h. t. & l. 10. C. eod. tit.* in tali casu nec jus nobilitatis tribuit adoptio, præsertim si plebejus à Nobili adoptatur; ratio est, quia jus familiæ, cui agnationis & nobilitatis jura sunt annexa, adoptatus non consequitur. Vel (2) aliquis ab ascendentibus aliquem adoptat, ut avus vel proavus maternus, & tunc adoptio patriam potestatem conciliat. Arrogatio est adoptio hominis sui juris, Imperatoris autoritate facta *d. §. 1. & l. 2. pr. ff. h. t.* Causa efficiens adoptionis est lex, quæ eam introduxit, & consensus eorum, qui hoc actu solenni utuntur: oportet enim adoptantem & adoptatum consentire *l. 5. ff. de adopt.* Causa impulsiva & finalis est, adoptio præcipuè in illorum gratiam est introducta, qui nullos liberos, vel degeneres, aut planè debiles, adversâque valetudine affectos habent, nè familiarum dignitas penuriâ naturalis & legitimæ sobolis pereat. Objectum adoptionis est is, qui filius non est naturâ, pro filio adoptetur. Finis est, eundem filium efficere, & potestati patriæ subjicere, ne sit sine liberis. Adoptioni similis est unio prolium, mariti & uxoris, quæ consistit in pactis præviâ Magistratûs cognitione confirmatis.

Adoptio nuda non adfert jus sanguinis, h. e. non causat cognationem naturalem, *l. 23. ff. de adopt.* sed juris fictione saltem naturam imitatur, ubi quis fingitur adoptantis filius, qui reverà non est talis.

Adoptivus pater extraneus non tenetur in testamento suo adoptivis liberis aliquid relinquere. Ratio est, quia nòn naturali vinculo astrictus hoc facit, sed ex mera saltem liberalitate, *l. 10. §. 1. C. de adopt.* Ergo talibus non datur querela inofficiosi testamenti, si iis nihil in testamento sit relictum: iis verò, qui ab ascendente, avo vel proavo sunt adoptati, propter duplex vinculum, naturale scilicet & civile, legitima (portio) relinquenda est.

Adulterium est dolosa thori alieni violatio, *caus. 36. q. 1. can. 2.* quo fœdus conjugale malitiosè violatur; ideò hoc occultum, & scandalosum magnum

magnum crimen absque dolo non committitur, *l. pen. ff. ad L. Jul. de adult. cauf. 32. q. 4. can. 4.* Ergo si puella alterius uxoris marito, quem solutum putavit, bonâ fide nupsit, adulterium non committit, sed maritus est bigamus, adulterium committit, & capitaliter peccat, *l. 30. C. ad L. Juliam de adult.* quia hoc dolosè contra severam legum prohibitionem fecit. Nec mulier adulterium committit, si alium pro marito ex ignorantia in suo thoro admittat; ratio est, quia hoc casu non dolosè egit, sed dolo decepta, præter intentionem alteri copiam sui corporis fecit; ideò meritò excusanda est, & is, qui se maritum fingit, gravissimè puniendus. *cauf. 34. q. 2. can. 6.* Sic etiam virgines & matronæ commiseratione, & non pœnâ dignæ justè censentur, quæ à latronibus, vel hostibus, vel raptoribus contra voluntatem violenter comprimuntur & impræ-gnantur. *l. 39. pr. ff. de adult.* In hisce casibus non licet marito contra uxorem ad separationem thori & mensæ agere, quia illa non dolosè egit, & à parte sui non violavit temerè fœdus matrimonii. Hinc rectissimè à Jurisconsultis statuitur, quod non corpus, sed mens hominis peccet: ergò quoties mens corporis violationem non approbat, sed instanter contradicit; utique corpus violatum in tali casu non peccat. Causa efficiens adulterii est lex Julia, quam Imperator Augustus olim tulit *l. 1. ff. h. t.* & §. 4. *Instit. de public. jud.* Subjectum activum sunt adulteri & adulteræ. Subjectum passivum est is, cujus thorus malitiosè violatur *l. 6. §. 1. ff. h. t.* Forma & finis consistunt in modo lædendi, ubi datâ operâ læditur fides & thorus conjugalis.

Adulterium jure civili non committitur nisi in nuptam, *l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* Ast adulterium jure Divino & Canonico tripliciter committitur. (1) Quando solutus cum conjugata illicitam venerem libidinosè exercet *cauf. 32. q. 4. can. 4.* (2) Quando conjugatus cum soluta indigno exemplo rem habet, *d. loc.* (3) Quando conjugatus cum conjugata thorum utriusque matrimonii perfidè ac libidinosè violat, *ibidem.* Adulterium etiam in sponsa est vindicandum: ratio est, quia nec matrimonium qualecunque, nec spem matrimonii violare licet, *l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.*

Adulteros sive sacrilegos nuptiarum, (id est, thori conjugalis violatores) gladio punire oportet, *l. 30. C. ad L. Jul. de adult.* Ratio est, quia adulterium est gravissimum crimen, malitiosè corrumpens primam vitæ societatem, quæ est in conjugio, ubi combinata corda, & duo

in una carne habitantes pessimè distrahuntur, fidesque conjugalis perfidè violatur; certitudo etiam sobolis fit dubia, ut, undè sit orta, ignoretur.

Advocatus est, qui partibus litigantibus operam suam mercede locat. Advocatorum munus est publicum, honorificum, & fructuosum, præprimis in summis tribunalibus, ut Spiræ, Viennæ, Parisiis, &c. Est insuper Advocatorum officium in republica necessarium, nè quis indefensus justam fovendo causam iniquè supprimatur; est quoque laudabile, si debito modo exerceatur; si nimirùm Advocati justè defendant viduas, pupillos, & alios innocentes simplices ab astutorum hominum fraude, injuriis, & oppressionibus; haud inconvenienter comparantur militibus, patriam tuentibus, *l. 14. C. de advocat. diversf. judic.* Si verò cupidine sordidi lucri justas & injustas causas promiscuè defendere conentur, clientesque suos injustam causam foventes, datâ operâ ad lites iniquè fovendas & prosequendas malitiosè impellant, meritò damnandi & è republ. proscribendi sunt. Tales sangui-sugæ optimo jure vocantur conscientiæ vermes, patrimonii tineæ, posteritatis lepra, justitiæ pernicies, alienarum facultatum expilatores, famæ decoctores, nequitiæ architecti, & gehennæ candidati.

Advocati sunt causarum & clientum patroni, *l. 13. §. 9. C. de judic.* quo etiam respectu dicuntur præstare clientibus suis patrocinium, non servitium; non dominos agnoscunt, sed clientes tuentur. Officium Advocatorum requirit, ut causæ statum, factiq; speciem ex fundamento circumstantialiter referant, ac jura pro cliente suo facientia temperanter allegent; ita tamen ut informent potius judicem in ipsa facti specie, quàm in jure, ex corpore juris vel interpretibus adducto: quia judex jura scire præsumitur, & ne speciem præbeat, ac si judici præscribere vellet, quid de lite sit judicandum; hoc perinde absurdum foret, ac si ægrotus medico curam præscribere vellet ex Galeno vel Hippocrate. Ideò Advocati sub pœna à prolixa legum allegatione abstinere coguntur, nè causam controversam suis allegatis intricatiorem reddant, &c. Duo sunt Advocatorum genera, qui totum nobilissimum JCtorum ordinem vulgi opprobrio indignè exponunt; (1) qui lucri cupidine justas & injustas causas promiscuè defendunt, clientesq; ad fovendas lites pessimè instruunt, per hoc: *Si fecisti, nega:* quæ prima est iniquitatis regula; (2) sunt rabulæ forenses, nullâ juris doctrinâ instructi, quibus præter latra-

latratum nec eruditio, nec juris doctrina, nec prudentia, nec probitas, nec conscientia; quos JCtus Cujacius congruè vocat ignaros litium concionatores, fumum & fucum clientibus suis malitiosè vendentes: cùm tamen Advocati non minus pii & probi, quàm literati esse debeant; nè munus suum plus ad subversionem veritatis & litigiorum augmentum, quàm ad dilucidationem justitiæ & litium diremtionem exerceant, ut eorum marsupia saltem intumescant, & clientum miserè corrumpantur.

Advocatus fisci est, qui causas agit publicas nomine Principis.

Advocatis de quota litis cum suo cliente contrahere non licet. Ratio est, quia ipsis tali casu daretur occasio calumniosè litigandi, & veritatem ob spem sordidi lucri iniquè opprimendi. Tales litigantibus non sunt utiles, sed perniciosi.

Ædes suas cuilibet in casu necessitatis quovis possibili modo conservare licet. Hinc qui ædium suarum defendendarum gratia alienas ædes intercidit, justo metu compulsus, ut à suis arceret incendium, lege aquilia de damno dato non tenetur, *l. 49. §. 1. ff. ad L. aquil.* secus se res habet, si urgens necessitas hoc non expresserit, sed ob vanum & levem metum hoc commiserit, quo casu damnum illatum resarcire cogitur.

Æquitas est mitigatio legis scriptæ ob diversitatem circumstantiarum, rerum scilicet, personarum, locorum & temporum. Ex opposito, strictum jus est, quod nullâ habitâ circumstantiarum ratione in universum aliquid simpliciter decidit. Æquitas in omnibus negotiis observanda, & stricto juri præferenda est, nè quid iniqui statuatur. e gr. Jus strictum, sive lex 12. Tabb. furem nocturnum impunè occidere permittit; hunc juris rigorem æquitas non simpliciter approbat, sed secundum quid, quatenus scil. furi nocturno sine periculo nostro parcere non possumus, *l. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quia nemo ob nudam rerum quarundam mobilium defensionem hominem pro arbitrio occidere debet; nisi fur vel latro omnem vel majorem bonorum partē possessori suo impiè eripere conetur, & possessor fortunæ bona absq; læsione furis vel latronis nullo planè modo conservare possit, tunc licet; quia bona fortunæ sunt hominis alter sanguis, quibus amissis, miserè & turpiter vivere cogitur.

Æquitas juris rigori regulariter præferenda est. *l. 8. C. de judic.* interdū tamen æquitas & rigor juris conjunguntur, *c. 2. X. de sentent. &*

re judic. interdum rigor ex singulari causa præfertur, quando ob delinquentium multitudinē, ad tranquillitatem in republ. conservandam, exemplo in reliquorum terrorem opus est: crescentibus enim delictis, crescere debent & pœnæ. *distinct. 45. c. 9.* ut alii metu pœnæ à talibus delictis perpetrandis deterreantur. Cæteroquin æquitas ut plurimum præfertur rigori, dummodò magistratus in puniendis delictis non sit plus nimiò lenis: maledicta enim est illa magistratûs pietas & lenitas, quæ destruit justitiam. Hinc in *d. c. 9. distinct 45.* prudenter asseritur, quòd disciplina cum misericordia prudenter sit temperanda, nè quid remissius, vel severius æquo puniatur. Miscenda igitur lenitas cum severitate, ac faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque horrida asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur, ac pessimi evadant; ad hoc collimat David: Virga, inquit, tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt; virgâ namq; percutimur, & baculo sustentamur; si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet; sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit Zelus, sed non immoderatè sæviens; sit pietas, sed non plus, quàm expediat, parcens. Ob id in *c. sequenti dicitur*, omnis, qui justè judicat, stateram in manu gestat, & in utroque penso justitiam & misericordiam portat, ad æqualitatem & æquitatem conservandam.

Æstas secundùm jus civile incipit ab æquinoctio verno, & finitur æquinoctio autumnali, & ita senis mensibus æstas & hyems dividuntur, *l. 1. §. 32. ff. de aqua quotid. & æsti.* Aliud juxta Astrologorum dimensiones astronomicas statuitur, prout ex sequentibus patet. Duodecim sunt signa cœlestia, quatuor anni tempora, (nimirum Ver, Æstatem, Autumnum & Hyemem) indicantia; qualia sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Verna signa sunt tria priora; ut (1) Aries, sub quo signo habemus æquinoctium vernum, ut die 11. styli novi, vel die 21. styli veteris Martii. (2) Taurus refertur ad Aprilem, & (3) Gemini ad Majum. Æstiva signa sunt tria sequentia, (1) Cancer, sub quo habemus solstitium æstivum 11. 21. Junii. (2) Leo refertur ad Julium, & (3) Virgo ad Augustum. Autumnalia signa sunt quoque tria, ut (1) Libra, sub qua incidit æquinoctium autumnale, 11. 21. Septembris, (2) Scorpio refertur ad Octobrem, & (3) Sagittarius ad Novembrem. Hyberna

na signa sunt tria sequentia, ut (1) Capricornus, sub quo existit triste illud solstitium hybernum 11. 21. Decembris, quo brevissimos habemus dies, & sol nobis parùm apparet, (2) Aquarius refertur ad Januarium, & (3) Pisces referuntur ad Februarium. Sic quodlibet signum occupat integrum mensem. Ex hisce signis in Zodiaco notatis possumus accuratè cognoscere incrementa & decrementa dierum; præsertim si adhibeatur globus cœlestis vel terrestris: nam dum sol singulis diebus gradum in Zodiaco absolvit ascendendo, vel descendendo; sic dies crescunt, vel decrescunt; ideò totum Zodiacum singulis annis semel percurrit, &c.

Ætas hominum in negotiis civilibus probè est attendenda: Vita hominum in 6. ætates commodè dividitur. Prima hominis ætas est usq; ad septimum annum, quæ dicitur infantia, *l. 18. pr. C. de jur. delib.* Secunda ætas est à septimo anno usque ad 14. inclusivè in masculo, & ad 12. in fœmina, quæ dicitur pueritia, *pr. Inst. de nupt.* Tales ut plurimum iterum distinguuntur inter infantiæ proximos & pubertati proximos. Illi sunt, qui nuper infantiam egressi sunt, suntquè adhuc valde impuberes, *l. 3. §. 1. ff. de sepulchr. viol.* Hi sunt, qui prope pubertatem sunt, *l. 14. ff. ad SCt. Silan.* Nonnulli accuratiores JCti id judicis arbitrio relinquunt, ut is definiat, quis infantiæ vel pubertati censeatur proximus? *arg. l. 1. in fin. ff. de jur. delib.* Nam in pueris unus altero præcociore est intellectu, citiusq; dolum capiunt illi, qui in urbe, quàm qui ruri educati sunt. Sunt (inquit Persius) quibus velox est prudentia ante pilos, qui plus sensûs habent in mente, quàm alii, quamvis ætate grandiores, setarum in mento. (3) est ab hoc tempore usque ad 25. annum, & dicitur adolescentia, *l. 1. ff. de minor.* (4) est ab hoc tempore usque ad annum 50. & dicitur virilitas; (5) est ab hoc tempore usque ad annum 70. & dicitur senectus, & (6) est exinde usque ad finem vitæ, & dicitur decrepitas. Hinc, quoties in judicio criminali de pœna delinquentis (scilicet in puncto homicidii, furti, injuriæ, &c.) agitur, maximè necessarium est, ut judex respectum ætatis habeat, utrum delinquens sit infans, qui est septem annis minor, vel infante major; qualis est, vel infantiæ vel pubertati proximus, qualis adhuc est in pueritia: utrum pubes, minor vel major 25. annis: nam infans & infantiæ proximus, (qui est à septimo ad decimū annum) ex delicto commisso non obligatur: ratio est, quia ob teneram ætatem & judicii defectum doli nondum est capax *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

Sicar. l. 1. in fin. C. de fal. monet. quos consilii innocentia tuetur, *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Ast pubertati proximus (qualis est masculus ab undecimo anno ad 14. completum, & fœmina à decimo ad 12. completum) quadantenus doli capax censetur; malitia enim interdum supplet ætatem; ideò talis quadantenus ex delicto obligatur, *l. 23. ff. de furt.* qui ob debilem ætatem & valdè immaturum judicium non ordinariâ pœnâ, sed mitiori afficitur: ratio est, quia in omnibus pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ succurritur, *l. 108. ff. de R. J.* quod clarius exprimit jus Canonicum *X. in tit. de delictis puerorum*, quod delicta in pueris non ita punienda censet, sicut in majoribus, perfectum judicium habentibus. Puberes quoque regulariter mitius puniri solent, quàm viginti quinque annis majores, solidâ ratione pollentes: quia juvenilis calor & imperfectum judicium rationi non semper parent; ideò commiseratio ætatis judicem ad mitiorem sententiam movere solet; nisi delictum sit atrox, & puberis malitia sit nimium notabilis, *l. 37. §. 1. ff. de minorib.*

Affectus dicuntur, quasi afficiunt animam: ideò dicuntur motus sivè mutationes, quia omnes hi affectus cum alteratione animæ & corporis fiunt, h. e. uno actu animum simul & corpus quadantenus immutant; nullus enim affectus est sine corporis, sive sanguinis & spirituum cordis commotione. Exempla habemus (1) in homine iracundo, qui irâ in tantum exardere solet, ut remotâ ratione rubore vultûs diffusus furere incipiat, qui vehemens affectus eum planè quoad corpus & animam valdè afficit, ac turbat. (2) Exempla habemus in homine meticuloso, cui tantus metus interdum incuti solet, ut pallido ore & tremulâ voce vix loqui valeat. (3) Exempla habemus in homine amante, quem amor interdum usque adeo de statu suo turbare, ac mentem evertere solet, ut homini furioso vel fatuo haud immeritò comparari possit, vel ut nimio amore in vehementem febrim incidere soleat. Hîc notandum, quòd omnes affectus ex duobus fontibus profluant, puta, ex dolore & voluptate, quæ duo sunt quasi intimi cujusque hominis consiliarii, semper per vices homini præsentes: nam post nimiam, immoderatam vel turpem voluptatem semper dolor subsequitur; hinc vulgò dici solet: *Post tactum factum, post factum pœnitet actum.* Hinc quæritur, an affectus etiam cadant in bruta rationis expertia? Resp. affirmando; ratio est, quia amare, odisse & metuere apertè videntur, &c. (2) quæritur,

ritur, an omnes affectus sint boni? Resp. quod non, ratio est, quia dantur affectus mali, ut iracundia, invidia, desperatio, impudentia, malevolentia, &c. In quantum enim affectus recedunt à præscripto rectæ rationis, habentur mali. Ergo omnes affectus à recta ratione exorbitantes sunt mali, &c. (3) Quæritur, an omnes affectus in homine sint vitiosi? Resp. quod non; & id quidem ob sequentes rationes, (1) quia ipse DEUS affectus hominibus naturâ indidit, sivè implantavit, à quo tamen nihil fit frustra. (2) Quia DEUS in sacris literis amorem sui & proximi injunxit, qui in sensu morali laudabilis & bonus est, quatenus est temperatus, modum non excedens, *Deut. 6. Matth. 22.* (3) DEUS hominibus odium turpitudinis implantavit, ut omnia turpia naturâ aversentur. *Ps. 26. Rom. 12.* (4) quia affectus sunt in ipsis angelis, qui lætantur in cœlo, quoties peccatores agunt pœnitentiam *Lucæ 18.* Quæritur (4) an omnes affectus tollendi sint? Resp. quod non; ratio est, quia illud est impossibile, dum omnibus hominibus naturâ insunt; nam sicuti cervis metus non potest adimi, nec serpentibus venenum, nec pecudibus lascivia: sic nec affectus hominibus adimere licet, juxta commune illud: *naturam expellas furcâ, tamen usque recurrit.* Ideò sufficit, si vitiosi saltem affectus tollantur remanentibus reliquis. (5) Quæritur, unde pugna rationis & affectuum oriatur? Resp. ex hominis lapsu & peccato; nam si homo esset perfectè virtuosus, sicuti Adam in paradiso, nulla rationis & affectuum in ipso esset pugna, sed optima inter eos harmonia. Sed, prô dolor, tales omnibus numeris perfecti secundùm Platonis ideam in corrupto ac depravato hoc mundo non inveniuntur, sed variis inordinatis & malis affectibus sunt dediti. Cæterum affectus dividuntur in classes seqq: (1) est amor & odium; (2) spes & metus, (3) lætitia & tristitia, (4) favor & ira, (5) misericordia & invidia, (6) desiderium & aversatio, (7) audacia & timiditas, &c. Causa efficiens affectuum est natura. Objectum affectuum est res cognita, & appetitiva animæ facultas: hinc oritur triplex motus, (1) facultas cognoscens movetur ab objecto, (2) appetitus movetur à facultate cognoscente, & (3) totus homo movetur ab appetitu & imaginatione. Hîc sciendum, quod in movendis & ciendis affectibus objecta visûs & auditûs vim habeant maximam; ob id in vulgari sermone dicitur: oculi sunt in amore duces. Subjectum affectuum est cor, in quo habent sedem, sicuti ratio suam habet sedem in cerebro; quoniam cor affectibus valdè agita-

tur, movetur & affligitur. Finis affectuum est, ut ad agendum stimulent homines, sintque fomitis instar, quo homines ad virtutis exercitium inflammantur; nam sine affectibus languet omnis actio, vis ac vigor animi resolvitur, *teste Seneca lib. 1. de ira. cap. 5.* Ob id dicit Lipsius, sine ira fortitudo non erit (quoniam ira censetur cos & calcar fortitudinis) nec sine metu prudentia, nec sine cupidine temperantia, nec sine lætitia sensus, amorq; virtutis.

Affectus omnes in animo nascuntur. Eorum objecta in genere sunt duo, bonum & malum: hinc sicuti ratio affirmat verum, & negat falsum; sic appetitus sivè voluntas expetit bonum, & fugit malum. Ergò quoties appetitus vel affectuum objectum est bonum, tunc indè oritur amor; si verò est malum, tunc oritur odium: amorem deinde sequitur desiderium sivè concupiscentia, &c. Odium sequitur fuga & aversatio. Cum desiderio porrò & fugâ conjunguntur spes & desperatio; sed tunc spes exsurgit, quando rem desideratam consequi posse speramus, aut malum aversatum effugere: desperatio verò oritur, quando quis mala effugere non potest, &c. A spe oritur audacia; à desperatione metus & timor; audaciam excipit ira, quoties illa cum odio est conjuncta. Ex his affectibus secundum substratam materiam tandem oritur vel gaudium sivè delectatio vel dolor sivè tristitia.

Affectus animi sunt in triplici differentia, (1) alii sunt boni, ut misericordia, spes, amor erga Deum, timor Domini, odium vitiorum ac scelerum, amor parentum, liberorum, conjugum, misericordia erga afflictos & calamitosos &c. (2) alii sunt mali, ut invidia, superbia, livor, iracundia, libido, desperatio, & (3) alii sunt indifferentes, qui nec boni, nec mali suâ naturâ sunt, sed quatenus modum servant, boni sunt, quatenus verò modum excedunt, sunt mali, ut ira, amor, desiderium &c. Affectus sivè passio in genere ita definitur, quod sit motus quidam sensibilis, potentiæ appetitivæ propter imaginationem boni vel mali. Ejusmodi passiones in homine censentur undecim, ut amor & odium, desiderium & fuga, gaudium & tristitia, spes, audacia, desperatio, timor, ira. Quod indè patet, dum per potentiam imaginativam tibi res aliqua proponitur ut bona & grata, quam amas; quæ si fuerit absens, illam desideras; si verò præsens & obtenta, gaudes in ejus possessione, & acquiescis. Ast quando res aliqua tibi exhibetur & repræsentatur ut mala & ingrata, sivè incommoda, eam odisti; quæ si adhuc fuerit absens,

eam fugis & aversaris; sin præsens, inde tristaris; similiter si bonum illud, quod amas, sit arduum, quod nondum es consecutus, possibile tamen est consequi; tunc surgit in te spes illud consequendi; & audacia interdum intervenit in applicandis mediis; quod si verò bonum apprehendatur ut impossibile, inde surgit desperatio: sin malum arduum apprehendatur ut futurum, elicitur timor; sed si præsens consideretur, accenditur ira, quâ vindictam de illo paras. Ne autem affectus sivè Passiones illæ in te sint inordinatæ, regi debent juxta rectæ rationis normam sivè præscriptum, ac generoso conatu cohibendæ & restringendæ sunt, nè à recto virtutis tramite aberrent. Hoc affectuum inordinatorum dominium & regimen prudentiam requirit, quoniam voluptatibus & doloribus animi resistere est difficillimum, dum vita, mors, felicitas, ærumnæ, divitiæ, paupertas &c. voluptatem & dolorem afferre solent.

Affectus hominibus excitantur semper sub specie boni, ad acquirendum aliquod gratum, vel declinandum aliquod molestum vel ingratum. Affectus boni laudem, & contrà, affectus mali vituperium merentur; attamen affectus mali in foro civili regulariter non puniuntur: ratio est, quia cogitationis pœnam nemo patitur, *l. 22. C. de pœn.* Sed contrarium in delictis atrocioribus statuitur, ubi affectus mali æquè, quàm effectus propter exemplum puniuntur; ut si quis cum telo hominis occidendi causa ambulaverit, &c. *l. 7. C. ad L. Cornel. de Sicar.* item si quis sacratissimas virgines sivè moniales matrimonii vel libidinis causa rapere machinetur, capitali pœnâ feriatur. *l. 5. C. de Episcop. & Cleric.* Ast in foro conscientiæ affectus mali semper puniendi sunt, quia in eo cogitationibus, verbis & operibus æquè peccare dicimur. Hîc porrò notandum, quòd nihil magis noxium sit animæ, quàm brutalis & inordinatus appetitus sensitivus, qui est fons omnium scelerum, vitiorum & peccatorum; est hostis, quem quilibet ratione præditus timere & fortiter impugnare debet, donec rationis imperio subjiciatur; sic pravos affectus regere, compescere & moderari possumus. Difficilis quidem est pugna, ut ratio sana corruptos affectus vincat, illisque dominetur: causa est sequens, quia affectus cum hominibus nascuntur, & ratio cum hominibus non item, ut se statim cum primo spiritu exserere possit; sed illa demum post multorum annorum decursum vires suas & dominandi jus accipit; nam infantes statim irasci possunt: ast ratio-

tiocinari, & malorum affectuum tyrannidi, mediante sanâ ratione, ob ejus defectum resistere nequeunt.

Affinitas est necessitudo sivè proximitas personarum, ex justis nuptiis contracta, quæ inter maritum & cognatos uxoris, & vice versa, inter uxorem & cognatos mariti est, & non inter cognatos mariti & uxoris promiscuè observatur & colitur, *l.4. §. 3. ff. de grad. & affinit.* licet se vulgò invicem sic salutare consueverint; ratio est, quia vera affinitas præsupponit unionem viri & uxoris per copulam *c. lex Divina 27. q. 2.* ergo sponsalia propriè affinitatem non conciliant, cùm sint adhuc saltem spes matrimonii: ob eam rationem duobus fratribus licet duas sorores ducere in uxores; sic patri & filio permissum est ducere matrem & filiam in uxores; quoniam affinitatis vinculum illis non obstat, ad matrimonium inter se contrahendum: nam cognati uxoris meæ & mei cognati inter se non sunt affines. Ex dictis constat, quod maritus non possit in uxorem ducere demortuæ suæ uxoris matrem, vel aviam (quæ dicitur socrus & prosocrus) nec ejus sororem. Nec uxor potest nubere defuncti sui mariti patri, aut avo aut fratri, quod ex sequenti Fundamento fluit: quo gradu cognati meæ uxoris illi sunt conjuncti jure cognationis, eo gradu mihi censentur conjuncti jure affinitatis; & vice versa, quo gradu mei cognati mihi sunt conjuncti jure cognationis, eodem gradu conjuncti sunt uxori meæ jure affinitatis. e. gr. pater & mater mihi juncti sunt primo gradu cognationis. Ergo & socer & socrus mihi primo genere affinitatis conjunguntur. Sic avus & avia secundo gradu cognationis sunt, & prosocer & prosocrus secundo gradu affinitatis. Sic etiam filius & filia in primo gradu cognationis, & privignus & privigna in primo gradu affinitatis, ut & gener & nurus.

Affinitatis tria sunt genera *c. 8. X. de consang. & affin.* quarum unum regulariter saltem in jure civili observatur, nisi quod in secundo affinitatis genere, in linea recta descendente & ascendente, prohibitio fiat; ideò non potest vitricus privigni sui uxorem sibi post privigni mortem matrimonio jungere; quia inter vitricum & privigni uxorem est parentum & liberorum respectus: undè honestas meritò impedit ejusmodi nuptias, *l. 15. ff. de rit. nup.* nec vice versà, privignus potest vitrici uxorem ducere &c. Primum genus affinitatis contrahitur per unam personam, secundum genus per duas personas, & tertium per tres: e.g. frater meus mihi est consanguineus; si is Mæviam ducat uxorem, ea mihi est affinis in primo affinitatis

nitatis genere; fratre meo mortuo, si Mævia postea ad secunda vota transeundo nubat Titio, erit mihi Titius affinis in secundo genere affinitatis. Mæviâ defunctâ, si Titius ducat Cajam, hæc mihi erit affinis in tertio genere affinitatis. Hîc notanda est regula, quo gradu quis jure cognationis est uxori meæ conjunctus, eodem gradu erit mihi ratione affinitatis conjunctus. Ratio est, quia ego & uxor mea sumus una caro, ideò uxoris meæ soror videtur ratione affinitatis mea soror. *caus. 35. q. 5. can. 3.* Hinc sequitur: In quo gradu cognationis uxor mea post mea fata, obstante consanguinitate, matrimonium inire prohibetur, in eodem gradu affinitatis ego post uxoris mortem prohibeor jure affinitatis inire matrimonium: Ratio est, sicut uxor mea me mortuo non potest nubere fratri suo, obstante consanguinitate; ita nec ego sororem ejus mortuâ uxore meâ uxorem ducere possum, obstante affinitate in eodem gradu, &c. Cæterum affinitatis jure nulla successio permittitur, *l. 7. Codic. commun. de succession.*

Affines dicuntur, quando duæ cognationes inter se diversæ per nuptias copulantur, ubi altera ad alterius cognationis finem accedit, ducendo alterius cognatam in uxorem.

Afflictis regulariter non est addenda afflictio, nè dolor dolori, & luctus luctui sit comes. *l. 14. pr. ff. de offic. præfect.* excipe, nisi quis ipsemet causam dederit afflictioni, & nisi publica utilitas vel privati cujusdam salus contrarium suadet ad delicta coërcenda, vel mala in reipublicæ salutem & tranquillitatem tollenda.

Agere in sensu civili denotat, quodlibet humanum factum expedire, sivè id fiat operando, sivè consilio, vel facto ipso. Ergò qui juxta leges & virtutes agit, laudatur; qui verò contra eas agit, vituperatur: hinc dicimus; omnis, qui malè agit, odit lucem: *Caus. 18. q. 2. can. 26.* sic adulteri & scortatores clàm, remotis arbitris, adulterium & scortationem malitiosè committunt, nè in delicto comprehendantur; ideò illa delicta etiam vocantur delicta occulta.

Agnati sunt cognati per virilis sexûs personas cognatione conjuncti, quasi à patre cognati *§. 1. Instit. de legit. agnat. tut.* Agnati sunt in duplici differentia; vel sunt sui agnati, vel agnati tantum. Illi vocantur sui heredes, qui defuncto sunt in linea descendenti, & in proximo gradu. Hi sunt agnati collaterales, sivè transversales. Hîc accuratè observandum, quod non omnes censeantur agnati, qui ex paterna linea originem ducunt, sed illi tantum, qui sunt virilis se-

xûs. Ergo nec soror, nec amita, nec sobrina sunt agnatæ, quamvis ex linea paterna descendant: ex hoc fundamento amitæ filius non est agnatus, sed cognatus saltem.

Agnatio & Cognatio olim in jure R. multis modis distinctæ fuerunt, *vid. tit. ff. unde cognati*: sed hodiè agnationis & cognationis differentia jure civili est sublata; *Novell. 118. c. 4.* ideò agnati & cognati in pari gradu existentes ad defuncti hereditatem promiscuè admittuntur; alt jure feudali inter agnatos & cognatos strictè observatur differentia; quia agnati ob familiarum conservationem in feudo regulariter excludunt cognatos. Hîc nota, agnatus proximus jure Saxonico vocatur Schwert-Magen / die eines Geschlechtes / Schildes und Helmes seyn / nam stomachus denotat hîc originem familiæ: quia stomachus hepati concoctione cibi originem sanguinis facit; gladius verò denotat virum gerentem gladium, &c. & consanguineus vocatur Spielmagen / die gleichsam von der Spindel verwant seyn.

Agricolarum vita est omnium mortalium in toto terrarum orbe felicissima ac beatissima, hominem ad vitam æternam quasi manu ducens: agricola enim non se temere immiscet periculosis ac sumptuosis fori litibus, nec malitiosè inhiat innocentum hominum prædis, quas inexplebilis militum cupiditas cum summo proximi damno anxiè quærit; nec magnis se lucris & quæstibus sub animæ periculo sordidè & negotiosè exponit, ut mercatores, qui diu noctuque se nummorum acquirendorum causa miserè excruciant: nec in aulis Principum vel Regum ambitiosè vivere quærit, ut se ibi in omnem luxum & libidinem periculosè conjiciat; sed frugali, simplici, honestâque vitâ contentus, sine arrogantia & strepitu, sine fraudibus & dolis, sine cupiditate & jactantia, sine controversiis & luxu piè, sobriè, ac tranquillè vivit, colendo rura sua, & alendo pecora; ut de ipso haud incongruè canat Horatius;

Beatus ille qui procul negotiis
ut prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis,
solutus omni fœnore.
Neque excitatur classico miles truci,
neque horret iratum mare,

Forum-

Forumque vitat, & superba civium
potentiorum limina (ædes sive palatia)
Aut in reducta valle mugientium
prospectat errantes greges:
Inutilesque falce ramos amputans,
feliciores inserit:
Aut pressa puris mella condit amphoris,
aut tondet infirmas oves &c.
Aut amite levi rara tendit retia
turdis edacibus dolos.
Pavidumque leporem & advenam laqueo gruem
jucunda captat præmia &c.

Certè sub sole nullum genus vitæ vel amœnius, vel quietius, vel innocentius invenitur, quàm illud agreste. Nam quid jucundius homini quieto excogitari potest, quam in summa animi tranquillitate commorari in agris, pratis & sylvis? ubi jucundissimus volucrum concentus undique auditur, ac lepidus animalium lusus & jocus cernitur. Quæso, mihi recenseas vel jucundiorem familiaritatem, vel beatiorem in vita statum, quàm cum rustici, moderato saltem potu perfusi, mutua inter se convivia celebrant, dum neglectis negotiis publicis (quæ non intelligunt) & spretis curiosis Magnatum & Nobilium ceremoniis in summa familiaritate inter se confabulantur, & in ipsa quasi simplici innocentia animos suos inter grata pocula, crebras saltationes, & agrestes jocos mirificè recreant, unde haud ineptè canit Poëta de agricolis: saltitant sine numero innumeri ad opilionis fistulam, & bubulci utriculam multò hilariùs, quàm cives & Nobiles ad doctissimam Apollinis musicam.

Alimenta cui naturâ debentur? Resp. Parentes liberis ad alimenta præstanda pro modo facultatum jure naturæ & civili obligantur; & contra, liberi parentibus, *l. 5. §. 1. ff. de liber. agnosc.* cum nec ipsa bruta animantia temerè relinquere soleant fœtum, sed eidem alimenta ad necessitatem procurare, ne fame perire cogatur.

Alimentis legatis cibaria, vestitus, & habitatio debebitur. Ratio est, quia sine iis corpus ali nequit, *l. 6. ff. de aliment. & cibar. legat.*

Ambitus crimen est delictum publicum, quo quis ad Magistratum vel dignitatem consequendam pro eligentium suffragiis pecuniam sordidè

didè dat, vid. *t. ff.* & *C. ad Leg. Jul. de amb.* sæpe enim evenit, ut is, qui verâ virtutis viâ ad honores & Magistratus aspirare nequit, ambitione & pecunia id obtinere intendat. Ideo jura valdè probrosum censent, id sibi pretio acquirere, quod virtute & meritis comparandum est. Ambitio hæc inordinata multos mortales falsos fieri coëgit. Ad hanc ambitionem justè supprimendam Julius Cæsar tulit legem de ambitu, ut quis puniretur, qui sordidis muneribus vel pecuniâ dignitates & honores sibi clam coëmeret. Ambire quidem honores & Magistratus in Republ. Rom. olim non absolutè erat prohibitum, ac si res esset vitiosa, moralem in se turpitudinem complectens, sed per se erat licitum, præprimis virtuosis, & viris prudentibus, si saltem illicitus ambiendi, & Magistratum quærendi modus per pecuniæ corruptelam clam ad suffragia sordidè extorquenda introductus omitteretur. In eo certè antiqui Romani prudentissimè egerunt, quod digno & indigno, mediante sordido lucro, promiscuè offerre noluerint dignitates & honores; ut hâc viâ omnibus tanto majus censeatur virtutis & eruditionis studium. Laudabile hoc Romanorum institutum, proh dolor! hodie rarissimè observari solet, ubi nullum fermè officium tam exiguum vacat, pro cujus oblatione Candidati non aliquid muneris offerre coguntur, si aliàs ad id promoveri velint, quod tamen directò est contra justitiam & præcepta moralia. Hinc fit, quod hodie nemo facilè puniatur, si officium quovis modo per casum rectum & obliquum ambiat, alioquin hodie plurimi punirentur, qui neglecto casu recto, & spretis virtutum meritis per casum obliquum sordidè & indignè promoveri cupiunt. Huic ambitûs crimini haud dissimilis est simonia, quando quis pro Sacerdotio consequendo pecuniam sordidè dat, vel Ecclesiasticas dignitates contra Canones sordido pretio illicitè coëmit, vid. *t. t. X. de simon.*

Amnestia est oblivio injuriarum, & quasi lex oblivionis, quâ discordantes in amicitiam redeundo sibi invicem sanctè pollicentur, se injurias & damna ultro citroque illata, neque civiliter, neque criminaliter, multò minus viâ facti ulturos, quod fit ad pacem, concordiam & tranquillitatem inter discordantes conciliandam, & stabiliendam. Eo fine Sacra Cæsarea Majestas cum Rege Sueciæ in instrumento pacis Cæsareo-Suecico, *art.* 2. amnestiam, sive universalem læsionis & injuriarum oblivionem prudentissimè sanxit, & quidem sub sequenti formula salutari: sit utrinque (intellige inter Cæsa-

rem

rem & Regem Sueciæ) perpetua oblivio, & amnestia omnium eorum, quæ ab initio horum motuum bellicorum, quocunque loco, modove ab una vel altera parte ultro citroque hostiliter facta sunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei causa vel prætextu alter alteri posthac quidquam hostilitatis aut inimicitiæ, molestiæ vel impedimenti quoad personas, statum, bona vel securitatem per se, vel per alios clam aut palam, directè vel indirectè sub specie juris aut viâ facti in imperio, aut uspiam extra illud (non obstantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus) inferat, vel inferri faciat aut patiatur; sed omnes & singulæ hinc inde, tàm ante bellum, quàm in bello, verbis, scriptis aut factis illatæ injuriæ, violentiæ, hostilitates, damna, expensæ, absque omni personarum, rerumve respectu ita penitus abolitæ sint, ut quicquid eo nomine alter adversus alterum prætendere posset, perpetua sit oblivione sepultum.

Amor sumitur latè vel strictè. Latè homini cum brutis est communis, ut φιλοστοργία affectus erga liberos, & mutua utriusque sexûs cupiditas. Strictè & in sensu civili amor in homine propriè est affectus, (intellige, quatenus in bonum vergit, est virtus, & quatenus in malum tendit, est vitium) hinc dicitur motus animi, quo cor vel mens hominis appetit aliquid verè bonum, vel tanquam tale, ut bonum apparens, quo fruatur & potiatur. Amor iste est duplex, (1) activus, quo alterum amamus, & (2) passivus, quo ab altero amamur. Amor tamen activus præprimis prævalet; ratio est, quia præcipua omnium virtutum laus in actione humana consistit; magis enim laudantur homines, qui in terminis licitis amant, quàm qui amantur, exemplo matrum. Sed hic regeris, quare ergo plerique malunt amari, quàm amare? Resp. Hoc fit ob ambitionem & cupiditatem honorum.

Amor magis descendit, quàm ascendit, *l. 67. de ritu nupt.* quoniam amor à parentibus ad liberos juxta naturalem inclinationem facilius & validius descendit, quàm ut à liberis ad parentes ascendat; nec ulli mortalium ignotum esse puto, attestante ipsâ experientiâ, optimâ rerum magistrâ, parentes ferventius amare suos liberos, quàm liberos parentes. Unde oriri solet, ut parentes longè facilius 12. liberos alant, quàm 12. liberi duos parentes.

Amoris furore nihil est vehementius, quem continere, philosophiæ est perfectæ; *Novell. 74. c. 4.* quia omnis amans, amens; in quo, re-

spectu objecti amati, non ratio, sed affectus in amorem proni dominantur; ideò Philosophi amorem furoris speciem dicunt, & Propertius *libr. 2. elegiar.* dicit, sine sensu vivere amantes. Attamen, si amantes delictum temerè commiserint, non excusantur, sed puniuntur pœnâ ordinariâ, nisi forsan provocatio corrivalis crimen ex parte sublevet, pœnamque mitiget. De amoris principio dicit S. Augustinus. Prima amoris tela oculorum sunt, secunda verborum, & tertia amplexûs, quo respexit JCtus Monsieur le Maistre: que les primiers traits de l'amour viennent de la vene, les seconds des paroles, & les troisiemes des embraschemens (uic pergit autor) que dans les amours criminelles & honteuses, ceux qui veulent astre aimez, ne travaillent a rien davantage, qu' a decouvrir leur passion, & a tesmoigner avec quelle ardeur ils aiment, parce qu' ils affectent rendre les filles amoureuses, qu' elles ayent quelque mutuelle affection pour ceux, qui les aiment tant pour les eschauffer du mesme feu, dont ils brus lent.

Anatocismus est singulorum annorum fœnoris renovatio, ut usuræ usurarum debeantur, quod jure Romano prohibitum est, *l. fin. C. de usur.* cum sit contra Christianam charitatem, & dilectionem proximi; ut usuræ debitæ sorti conjungantur, & ex iis aliæ iterum emergant usuræ. *l. 28. C. d. t.*

Anima hominis est substantia creata, invisibilis, incorporea, in homine existens, seque per omnia ejus membra extendens, quæ est corporis vita, & una in toto corpore, consistens principaliter (1) in mente sive intellectu, quo cognoscit & intelligit bonum & malum, & (2) in voluntate, quâ eligit & concupiscit bonum cognitum, & rejicit ac aversatur malum cognitum: quia autem anima dicitur corporis vita, ideò corpus eo ipso momento interire videtur, & putrescere incipit, quo anima à corpore, tanquam ordinario suo domicilio separatur.

Animæ hominum quibuscunque causis, vasis, vel vestimentis præferendæ sunt, *l. 21. C. de SS. Ecclesiis.* Ex hoc fundamento permissum est, tempore necessitatis captivos, per oppignorationem vel venditionem bonorum ecclesiasticorum, à Turcis redimere, *d. l. 21.* ne in perpetuâ servitute miserrimè vivere cogantur. Hic sciendum, quod anima rationalis sit spiritualis & incorporea, ac vera corporis humani forma; nam eo ipso momento, quo anima removetur ab homine, homo post istam animæ & corporis separationem dicitur

cada-

cadaver; anima hæc non in solo corde, vel cervice, aut cerebro residet, sed per totum hominis corpus diffusa & extensa est.

Animus hominum ex signis, conjecturis & actibus exterioribus colligitur, *l. 12. §. 2. ff. de tutor. & curat.*

Annonæ vox secundum jura latitudine suâ omnia ad victum humanum necessaria in se complectitur; ut frumentum, panem, vinum, oleum, acetum, caseum, carnem, salem, ligna, &c. *t. C. de annon. & capit.* hinc crimen annonæ committunt illi, qui res annonarias, puta frumentum, vinum, &c. eo fine dolosè coëmunt, ac ad tempus conservant; ut hæc fiant cariora: tales coëmtores vocantur Dardanarii, qui concivibus suis quàm maximè sunt molesti, dum monopolia illicita exercent, *l. 3. & t. t. C. de monop.* ac efficiunt, ut annona in civium detrimentum cariori pretio divendatur, *l. 2. pr. & §. 1. ff. ad L. Jul. de annon.* hoc delictum hodiè pro delicti qualitate arbitrariè punitur, quamvis id rarò fiat.

Annulus quarto digito inseritur, quia in eo vena quædam (ut fertur) sanguinis ad cor usque perveniat, *causa 30. q. 5. can. 7.* ideò sponsus sponsæ annulum in conjugalis & mutuæ fidei signum dare solet, ut, mediante annuli pignore, corda sponsi & sponsæ indissolubiliter conjungantur. Doctores etiam annulum ob dignitatem in pollice gestare solent; quia annulus aureus olim nobilitatis & dignitatis fuit insigne.

Annus in jure vel est continuus, vel utilis; ille est, qui sine interruptione currit: hic, scilicet utilis non semper currit, sed ex quo deducuntur dies, quibus in judicio agere non licet, *l. 1. ff. de diverſ. & tempor. præscript.*

Antinomia est legum pugna inter se, quæ sic naturâ inter se pugnant, ut alia aliam directò habeat contrariam. Hic quæritur, an tales in jure Romano dentur antinomiæ? Resp. cum Imperatore Justiniano, quod nihil contrarii in jure Romano positum sibi locum vindicet, nec inveniatur, si quis subtili saltem animo diversitatis rationes in legibus excutiet, *§. 15. C. de confirmat. Digestor.* alioquin Imperator Justinianus sibimetipsi in legibus suis turpiter contradixisset, quod non est præsumendum, multò minùs statuendum, cum tot præclara JCtorum lumina, puta Tribonianus, Dorotheus, Theophilus & plurimi alii in compilando jure civili semper fuerint occupati, &c. Quod si verò conflictum quarundam legum (nimirum antiquatum & novissimarum) velis vocare antinomiam, id ultrò & sponte

ſpontè concedimus, dum hoc non ferit noſtram theſin, nec Imperatoris authoritatem lædit: nam quædam leges Novellarum tollunt vel corrigunt certas leges Codicis & Digeſtorum; quod ideò fit, quia jus novum ſemper corrigit antiquum, & ſic propriè non eſt antinomia.

Apoſtoli ſunt literæ teſtimoniales, quas Judex à quo, ad inſtantiam appellantis dat ad Judicem ad quem, & per illas interpoſitæ appellationi vel defert, vel non defert, *l. un. ff. de libell. dimiſſ.* Apoſtoli regulariter ſunt vel dimiſſorii, vel refutatorii; dimiſſorii ſunt, per quos judex appellationi defert, & appellantem à ſuâ jurisdictione ad eum, ad quem appellatum eſt, dimittit, *d. l. un.* Apoſtoli refutatorii ſunt, per quos apparet, judicem (à quo) non deferre appellationi, ob certas cauſas in literis expreſſas; quando videlicet appellatio eſt frivola, vel quando jura appellationem non admittunt, *l. fin. §. 1. C. de appellat.* Alii apoſtoli ſunt teſtimoniales, quando coram Notario & duobus vel tribus teſtibus idoneis appellatur; quod fit, quando judex, (à quo) non poteſt inveniri, aut malitiosè recuſat dare apoſtolos, *can. fin. X. de appellat.* Porrò notandum, petuntur & dantur apoſtoli poſt appellationem interpoſitam, ab eo, à quo, vel coram quo appellatum eſt, ſive judice, vel notario; & quidem petendi ſunt apoſtoli intra 30. dies à ſcientia latæ ſententiæ, *l. 24. C. de appellat.* alioquin, ſi appellans apoſtolos intra hunc terminum 30. dierum non petierit, præſumitur renunciâſſe appellationi, & appellatio efficitur deſerta; judex ad quem appellanti, compulſoriales literas petenti concedere ſolet ad edenda acta prioris inſtantiæ, quorum copiam judex inferior ſub ſigillo judiciali appellanti edere tenetur. Hodiè apoſtolorum exiguus eſt uſus, *Ord. Cam. part. 2. tit. 30.* quia hodiè Actorum editio eſt loco apoſtolorum, ut appellans acta à judice inferiore ad ſui & ſuperioris magiſtratûs informationem conſequatur; Judex verò, qui Apoſtolos dimiſſorios iniquè denegat, pro arbitrio ſuperioris condignè punitur, *d. l. 24. Codic.*

Appellatio eſt ab inferiori judice ad ſuperiorem gradatim facta provocatio, ut iniquitas ſententiæ ab inferiori judice latæ corrigatur, *l. 1. ff. de appellat.* appellare enim eſt, ad ſuperiorem judicem provocare, ut is ſententiam velut iniquam corrigat, vel in melius reformet, *l. 17. ff. de minor.* Cauſa efficiens appellationis eſt magis uſus, quàm lex. Materia appellationis ex quâ, vel à quâ appellationes procedunt,

dunt, sunt regulariter sententiæ definitivæ, in inferiori judicio latæ, *l. 1. ff. d. t.* interdum quoque sententiæ interlocutoriæ; si vim definitivæ, aut gravamen irreparabile in se contineant; aliàs regulariter ab interlocutoriâ sententiâ appellare non licet, *l. 2. ff. de appell. recip.* Forma appellationis est; ut ab inferiori judice ad proximè superiorem appelletur, vel illicò vivâ voce, vel postea ex intervallo intra decendium in scriptis. Finis appellationis est, ut per eam sententia in inferiori judicio lata vel confirmetur, vel infirmetur, & rescindatur, *l. 32. §. 3. C. h. t.* Effectus est, ut per appellationem suspendatur sententia, ita ut non possit mandari executioni, *l. 6. §. 1. ff. de his, qui notantur infamia.* Nec quicquam pendente appellatione est innovandum. Hîc probè notandum, quando causa appellatione ad superius tribunal devolvitur, tunc inhibitionales & compulsoriales (literæ) interdum ad inferiorem judicem mitti solent. Inhibitionales eo fine, ne judex inferior lite pendente quid tentet contra appellantem. Compulsoriales eo fine mittuntur, ut judex inferior acta cum rationibus decidendi ad judicium superius mittat; hæ compulsoriales tunc demum dari solent, quando appellans probare potest, se intra 30. dies non potuisse suis precibus acta ab inferiori judice impetrare.

Appellatio in omni causâ, jure civili regulariter est concessa, *l. 6. ff. & l. 12. & 14. Cod. de appellat.* quæ gradatim fieri debet ab inferiori judice ad superiorem, nullo intermedio omisso *l. 1. §. 3. ff. de appellat.* Ratio est, quia non debet fieri per saltum, ut quis statim ab imo ad supremum provocet judicem, hoc est, ad Imperatorem, *l. 21. ff. de appellat.* excipe, nisi litigantes sint imperio immediatè subjecti; iis enim statim ad supremum Tribunal provocare licet. De cætero appellatio eo fine est concessa, ut mediante eâ partim judicis inferioris iniquitas & imperitia corrigatur, partim defectus probationis in ea suppleatur; quoniam appellatio non ad defensionem iniquitatis instituenda est, ut sic aliis iniquè noceat; sed ad præsidium innocentiæ: ideò etiam vocatur theriaca contra injustæ sententiæ venenum, quo fine & Paulus Apostolus in actis Apostolorum, iniquitate Judæorum oppressus, apud Præsidem provocavit tanquam civis Romanus ad Imperatorem Neronem; ne sententia in inferiori judicio lata transiret in rem judicatam: cum appellatio statim devolvat causam controversam ad judicem appellationis, eamque reducat ad eum statum, in quo fuit causa ante litis

contestationem. Ratio est, quia appellans à jurisdictione judicis à quo per appellationem statim eximitur, & videtur quasi extinguere priorem sententiam, quoad præsentem appellationis statum; licet quoad futurum statum & litis exitum saltem videatur suspendere pronunciatum. Olim in causis criminalibus appellatio erat permissa; *d. l. 6.* hodiè verò in criminalibus regulariter appellare non licet: ideò etiam in Camera Imperiali appellationes causarum criminalium non recipiuntur. Contra regulam supra allegatam statuit jus Canonicum, quod nemo teneatur gradatim appellare, sed licitè possit omissis intermediis judicibus, ad quos alioquin jure ordinario provocandum erat, statim appellare ad Pontificem Romanum, ut quilibet injustè oppressus & damnatus, ibi auxilium & restitutionem plenariè consequatur; *caus. 2. q. 6. can. 4. & seqq.*

Appellari potest regulariter à quovis judice, superiorem recognoscente. Inde patet, quod à sacra Cæsarea Majestate regulariter appellare non liceat ad summum Pontificem, ne summa Cæsaris autoritas indè vilescat. Sic etiam ab Electorum, puta Saxoniæ & Brandeburgiæ sententiis regulariter appellare non licet, quia illi hoc privilegio gaudent ex speciali Imperatorum concessione, superiori seculo factâ: nec ab Archiducis Austriæ sententiâ appellare licet &c. Cum reliquis Imperii Statibus in materia appellationis sic est comparatum, ut ab eorum sententiis provocare non liceat, nisi sint majoris momenti, ut summam 400. Imperialium hodiè ad minimum excedant, ~~Recess. Imperii de Anno 1654. §. Wiewol nun.~~ &c.

Appellationis remedium est saluberrimum, cum sit species defensionis, quæ nemini jure deneganda est *l. 1. ff. de appellat.* Attamen appellantes sæpissimè hoc appellationis beneficio abutuntur, ut adversarium maximis sumptibus faciendis diu multumq; malitiosè excrucient, ac litem in infinitum protrahant. Solche Leute appelliren aus lauter Muthwillen / und zu Aufenthaltung und Hinderung der Execution gesprochner Urtheil; und damit sie etwan ihr Gegentheil zum endlichen Verderben / und Verlassung der Sachen / oder zum ungebürlichen Vertragen dringen / oder desto länger in Niessung der Güter sitzen bleiben. Solche freventliche Appellanten werden in die expensas condemniret / und gebühr[e]nd gestraffet wann der Richter es erfährt. *Vid.* Kammergerichts-Ordnung *part. 2. tit. 28. §. 3.*

Appellatio intra quænam tempora exspirat? *Resp.* Quando à senten-

tia

tia intra 10. dies â recitatione sententiæ latæ non appellatur, tunc transit in rem judicatam, *Novell. 119. c. 5.* & judex post hujus decendii lapsum rectâ viâ ad executionem justè procedit; ne sententia ejus reddatur elusoria. Appellare autem quis potest statim vivâ voce post recitatam sententiam, judice adhuc pro tribunali sedente, vel intra decendium. *l. 5. §. fin. ff. de appellat. Novell. 23 c. 1.* Bis saltem in eadem causa appellare licet; nam tertia causæ controversæ appellatio jure non recipitur, *l. 1. C. ne liceat in una eademque causa ter provocare*, quod etiam in Camerâ Imperiali strictè observatur, ne lites fiant immortales; quia appellatio saltem inventa est in remedium innocentiæ, ideò non debet esse iniquitatis præsidium *c. 61. X. de appellat.* Hîc notandum, quoties hodiè appellatio non amplius in Camera conceditur victo, qui se sententiâ iniquè læsum conqueritur, tunc ei revisio in camera imperiali, vel in aliis tribunalibus gratiosè concedi solet. Quo juris beneficio sententia prior ad trutinam revocatur: si illa tunc iniqua deprehendatur, corrigitur; sin minus; iterum confirmatur.

Appellationis fatalia, (scil. tempora) dicuntur à fato seu morte, *l. 2. C. de temporib. in integr. restitut.* quasi mortalia, sivè mortem inferentia appellationi. Ratio est, quia appellandi facultas certis temporibus est inclusa & restricta; si enim definita hæc appellationis tempora non observet appellans, causa controversa quasi quodam suo fato intercidit & perit. Appellationis fatale est certum temporis spatium, appellationi determinatum; id tempus est duplex, (1) appellationis interponendæ, & (2) appellationis prosequendæ. Fatale appellationis instituendæ sivè interponendæ, est decendium à die & hora pronunciatæ sententiæ computandum, intra quod appellans appellare cogitur, *l. 5. §. fin. ff. de appellat.* Potest autem quis vivâ voce statim à lata sententia, vel scripto, sivè libello intra 10. dies appellare, *l. 1. §. ult. & l. 2. ff. de appellat.* Appellans autem modestè appellare debet â judice inferiori ad superiorem; nec judici inferiori convitium dicere debet, nisi infamiâ notari velit. *l. 42. ff de injuriis.* Quod si appellaturus intra decendium non appellaverit, appellatio habetur deserta, & sententia ab inferiori judice lata transit in rem judicatam: ratio est, quia decendium hoc â judice inferiori neque dilatari, neque constringi potest, *Vide* Kammergerichts-Ordnung *part. 2. tit. 29. §. 2.* Ergò si judex inferior sententiam de causa controversa 1. Maji, horâ 10. matutinâ pronunciaverit, & appellans

pellans demùm 11. Maji horâ 1. pomeridianâ appellare velit, non amplius ad appellationem admittitur, quia decendium jam integrè elapsum est; quod si verò in judicio victus ignoraverit, sententiam contra se esse latam; tunc in tali casu decendium non à die latæ sententiæ, sed à tempore scientiæ currere incipit; sic ratione principii tempus decendii est utile: ast ratione cursûs est continuum, quoniam hoc decendii tempus naturaliter currit de momento in momentum. Fatale appellationis prosequendæ & finiendæ est tempus, intra quod appellatio interposita ad finem perducenda est, *c. 14. in fin. X. de Procurator.* estq; jure civili annus, & interdum ex justa causa biennium, intra quod à die interpositæ appellationis finienda est, *auth. ei qui C. de tempor. appellat.* & *c. 5. X. de appellat.* Si verò per appellantis negligentiam & culpam intra hoc tempus non finiatur, appellatio censetur deserta. Hoc fatale tempus appellationis prosequendæ post appellationem jam interpositam quinque tempora in se continet, (1) est tempus petendorum apostolorum, quos appellans intra 30. dies petere debet, eosque judex à quo appellatur, dat appellanti, *l. 24. C. de appellat.* & *c. 6. X. de appellat. in sexto.* Per apostolos autem intelligimus libellum dimissorium â Judice inferiori ad superiorem appellanti datum. (2) Tempus est actorum requirendorum; acta enim priora sive totum processum, in inferiori judicio formatum, intra 30. dies ab interposita appellatione, à judice inferiore requirere debet appellans sub pœna desertionis, ut acta sive totus processus maturè & intra 4. menses parti appellatæ tempestivè insinuetur, ut se ad defensionem & exceptiones intra justa tempora præparare possit, vid. *Recess. Imper. de anno 1654. §. 67.*; (3) tempus insinuandæ appellationis est tempus 4. mensium, à die interpositæ appellationis sub pœnâ desertionis, ut intra 4. menses insinuetur, ut jam anteà diximus, *d. §. 67.* Der appellant soll sich in alle Wege mit Ausbringung und insinuirung der Proceß bey Straff der desertion befodern / damit die insinuation zum wenigsten innerhalb 4. Monat nach interponirter appellation beschehe / und also nach der insinuation zum wenigsten noch 2. Monat / biß zu Verfliessung der fatalium introducendæ zur reproduction / und dem appellanten zur nothwendigen Bedenck und Einbringung seiner Gegen-Nothdurfft übrig verbleiben / &c. Sic (4) tempus appellationis introducendæ est 6. mensium, à tempore appellationis factæ computandum, ubi tamen appellanti incumbit, ut intra 4. menses ritè

rité citetur reus ad comparendum in præfixo termino. Ut reus sic post insinuationem citationis & actorum sive processuum appellationis ad minimum duos menses habeat residuos ad necessariam deliberationem, utrum cedere, vel contendere velit, seque ad defensionem causæ suæ controversæ & ad instituendam suarum exceptionum productionem præparare, vid. *Recess. de anno 1654. §. 36.* Würde hierauf. Hic notandum, quando appellatio superiori judici (ad quem scilicet provocatum est) sic solenniter præsentata est, tunc judex superior judici inferiori, à quo appellatum est, injungere solet, ne ulterius in causâ procedat in præjudicium appellantis; sic mediante hâc inhibitione videtur judex (ad quem) judicis (a quo) jurisdictionem suspendere ad sententiam definitivam, quâ prior sententia vel confirmatur, vel tollitur, aut corrigitur. Tandem (5) est tempus appellationis finiendæ, quod jure civili regulariter est annus; interdum etiam ex legitima causa biennium, *l. ult. §. fin. & auth. si qui C. de tempor. appellat.* quod in Camera Imperiali ob causarum multitudinem non observatur, ubi causæ controversæ sæpissimè spirant, sed non facilè, vel nunquam exspirant. Idem, proh! dolor, in multis aliis judiciis hodiè cum maximo litigantium incommodo observari solet; sed per multos annos, interdum ultrà vitæ tempora, causæ controversæ in judiciis injustè protrahuntur.

Appellatione pendente nihil est innovandum *t. t. ff. nihil innovari appellatione interposita.* In eo consistit appellationis effectus; ideò omnia integra appellanti sunt servanda in eum usq; diem, quo sententia in superiori judicio lata fuerit, *l. un ff. d. t.* ne causa controversa, vel in totum, vel pro parte ab appellato in præjudicium appellantis immutetur, aut planè executioni mandetur. Ratio hujus assertionis est, quia appellationis remedio sententia in inferiori judicio lata non potest in rem judicatam abire, sed tamdiu manet in suspenso, donec in superiori foro causa iterum fuerit ventilata & decisa. Quod si ibi judex superior pro appellante judicaverit, extinguitur inferioris judicis sententia; ast si contra appellantem sententia fertur, tunc confirmatur prior sententia, quam postea exequitur judex superior, ne sententia sit inanis; nam sententia absque executione, est quasi campana sine pistillo.

Arbiter vocatur judex compromissarius, *l. 41. ff. de recept. arbitr.* quia litigantes in eum communi consensu compromittunt, seque invicem obstringunt ad certam pœnam mediante stipulatione, vel nu-

 do pa-


do pacto, vel etiam juramento, quod sententiæ arbitri (quam vulgò laudum vocant) stare velint, ut cõtroversia tanto commodius absq; strepitu judicii finiatur; ideò ab arbitri sententiâ regulariter appellare non licet litiganti gravato, sed sententiæ arbitri parere obligatur, *l. 27. §. 2. ff. h. t.* nisi quis in pœnam compromissam, vel etiam perjurium temerè incurrere velit: *l. 1. 2.* & 4. *C. de recept. arbitr.* quod ex compromisso litigantium profluit, quoniam ipsi antea spontè promiserunt, se in arbitrorum sententia acquieturos. Potest tamen pars læsa exceptione doli uti, si probare possit, arbitrum gratiâ, inimicitiâ, vel lucro sordido corruptum, iniquam sententiam tulisse, *l. 32. §. 14. ff. h. t.* jure Novellarum arbitri juramento partium litigantium constitui non possunt; ratio juris novissimi est, ne hominibus detur occasio committendi perjurium; *Novell. 82. c. 11.* quod si partes nudo consensu, absq; pœnæ determinatione, arbitrum elegerint, ab arbitri laudo sive sententia appellare potest victus, *l. 23. ff. de appellat.* arbiter quidem non habet imperium & jurisdictionem, sicuti Magistratus & ordinarius judex; sed saltem notionem, hoc est simplicem causæ cognitionem, attamen judicandi munere, juxta litigantium placitum, ritè fungitur; vide *titulum decret. X. de officio & potestate Judicis delegati.*

Arbitrium boni viri est, quod in rebus suis quis faceret, vel quod vellet sibi ab aliis fieri; ergò quoties arbitrium hoc apertâ fronte pugnat cum æquitate naturali, & bona fide, tunc judex ordinarius interpellatus iniquum hoc arbitrium corrigere, & ad boni viri arbitrium redigere solet, *l. 32. §. 14. ff. de recept. arbitr.*

Arbor consanguinitatis dicitur arbor metaphoricè ad similitudinem arboris naturalis fructiferæ: nam sicuti arbor ex radice & trunco suo in altum protracta ramos habet expansos: sic arborem metaphoricè intelligimus stipitem, qui nutrimentum vel communem sanguinem à suis genitoribus sumit, eumq; in suos descendentes, liberos, nepotes & alios per ramos sivè gradus transmittit. Hanc consanguinitatis arborem ideò sibi fingunt JCti, quia non omnes consanguinei, puta, agnati & cognati æquè latè distant à communi stipite, sed unus stipiti propior, alter eidem remotior est: ob eam rationem excogitarunt JCti in consanguinitate lineas (puta (1) ascendentem, in qua sunt parentes, (2) descendentem, in qua sunt liberi, & (3) collateralem, in qua sunt fratres & sorores & reliqui) & linearum gradus, quibus distantia consanguineorum accuratè determinari potest.

Hinc

Hinc ad majus lumen in computatione graduum acquirendum, & distinctiones in iis faciendas, arborem consanguinitatis deumbrare voluimus quoad principaliora membra, tàm in linea recta, ascendenti & descendenti, quâm in linea collaterali, prout ex subjecto schemate videre licet:



Arestum à voce gallica derivatum significat impedimentum sivè interdictum, ne res aut persona loco suo prius moveatur, quam judex causam controversam cognoverit.

Aresta jure civili sunt incognita & planè prohibita; *l. 5. C. quorum appellat. non recip.* quia ab executione nunquam inchoare licet processum, sed debitor priùs legitimè in judicio convincendus, ac posteà autoritate judicis ad solutionem cogendus est; *l. un. C. de prohibita sequest. pecun.* Arestum est duplex, (1) reale, & (2) personale: Illud est, cum alicujus bona ob certam causam jussu Magistratûs detinentur, & arestantur; hoc est, cum alicujus persona, jussu magistratus detinetur. Hîc quæritur: utrum aresta personalia hodiè sint licita? Resp. quamvis arestum videatur species executionis, à quâ judicium haud facile inchoandum; sed ab in jus vocando & litis contestatione: probantur nihilominus aresta non simpliciter & absolutè, sed secundum quid, puta si prudenter judex sequentia debito modo accuratè observaverit. (1) ut causam sivè civilem, sivè criminalem, cujus gratia creditor, vel accusator arestum urget, prius summariè examinet, an persona arestanda sit solvendo, nec ne? vel an eadem persona præsumatur delictum commisisse? (2) num persona arestanda sit vagabunda, extranea, vel de fuga suspecta, & per consequens, periculum sit in mora? (3) an verò actor arestum per calumniam in alterius ignominiam dolosè saltem efflagitet? sic tutò & prudenter agit judex, ne, ex quadam mentis præcipitantia, ad nudam cujuslibet creditoris vel accusatoris petitionem, arestum cum arestandi contumelia & damno injustè concedat; *l. 13. §. 3. ff. de damno infect.* Impositum arestum in causis civilibus relaxatur per cautionem, judicio sisti & judicatum solvi: ideò fidejussio dicitur aresti medicina: non eo respectu, acsi cautio fidejussoria principalem aresti causam tollat; sed quod illa creditorem reddat securum de debito consequendo. Arestationis illegitimæ effectus est; quod parit actionem injuriarum contra creditorem, qui iniquè detento & injustè arestato, non tantùm ratione damni, quoad famam & bona accepti, sed etiam respectu lucri cessantis est obligatus. Aresti causa in civilibus causis est debitum, & in criminalibus est delictum.

Argumentum est probabile inventum ratione fundatum ad faciendam fidem, undè aliud per aliud colligitur. *l. fin. ff. de publicia.* argumenta enim sunt ea, quibus ex certis rationibus & circumstantiis causa con-

controversa probatur. Argumentum censetur derivari ab arguto & subtili invento, quo veritas artificiosè elicitur.

Argumentum à contrariis sumtum valet, intellige, quando inde non resultat absurdus intellectus. Ratio est, quia contrariorum idem est judicium & eadem doctrina, intellige quoad cognitionem; uno enim contrariorum cognito, cognoscitur & alterum. Ergo si cognoveris, quæ personæ alieno juri sint subjectæ, simul cognosces, quæ sui juris sint *pr. Inst. de his, qui sunt sui vel alieni juris.* Sed quoad effectum non est eadem contrariorum ratio, sed diversa planè dispositio; cum ex contrariis diversi proveniant effectus. *l. 83. §. 5. ff. de verb. obligat.* Sic bonum à DEO est, & malum à diabolo; quæ duo contraria producunt effecta; item tyrannus proprium commodum principaliter & unicè quærit, contra, Rex vel princeps pius subditorum salutem principaliter sive primariò quærit, juxta illud: Salus populi suprema lex esto. Ratio est, quia Rex vel Princeps subditorum causâ est constitutus, quos, ceu gregem bonus Pastor, custodire & servare debet.

Argumentum de clericis veteris testamenti sumere licet, ad clericos hodiernos, sivè novi testamenti, intellige, quando eadem subest ratio; Hinc sicuti in veteri testamento clericus clericum non decimavit, cùm Levitæ à Levitis decimas non acceperint, sic idem nec hodiè licet; ast regula hæc non valet, quando diversa subest ratio, *vid. cap. 2. X. de decimis.* Hinc, quoties nobis catholicis ab adversariis objicitur, æque licitum esse omnibus sacerdotibus novi testamenti, sicuti Levitis veteris testamenti, ducere uxores; respondemus, quod inter veteris & novi testamenti sacerdotes diversa sit ratio & causa; nam nemo juxta vetus testamentum ad sacerdotium, nisi ex tribu Levi promoveri potuit, ideò uxoris usus ob filiorum successionem in sacerdotio erat quam maximè necessarius. Ast Sacerdotes novi testamenti sine filiorum successione ex omnibus nationibus pro arbitrio juxta animi dotes eligi possunt & eliguntur; ea de causa his matrimonium non est necessarium, sed Pauli Apostoli exemplum piè sequantur: qui enim sine uxore est, curat, quæ Domini sunt, quomodo placiturus sit Domino; qui verò ducit uxorem, sollicitus est de his, quæ mundi sunt, *d. Paul. 1. Cor. 7. v. 32. & seq. & c. 5. X. de cleric. conjugat.*

Argumentum à majori ad minus in jure validum est; *caus. 32. q. 5. can. 11.* e. gr. si D. Paulus, ut vas electionis Divinæ in tantum se agno-

ſcat peccatorem, quid ego & tu, qui ſumus longè debiliores & imperfectiores, facere debemus? item, ſi mulier corpus ſuum fidei mariti concredere audet, quidni eidem & dotem, quæ corpore uxoris longè minor & vilior cenſetur, concredere auderet absque fidejuſſoribus? *l. 1. & 2. C. ne fidejuſſ. dot. dentur.*

Argumentum à minori ad majus in jure valet, intellige, ſi minoris & majoris eadem ſit ratio, vel ſi argumentum ſit negativè, & non affirmativè, e. gr. (1) qui non dignus eſt Senatorio ordine, is utique & Conſulis vel Dictatoris ordine cenſetur indignus; cui enim minor qualitas non ineſt, ei nec ineſt qualitas longè major, *l. 4. ff. de Senator.* (2) qui non dignus cenſetur Diaconi officio, utique is Epiſcopalibus honoribus cenſendus eſt indigniſſimus, ubi major ſanctitas, exquiſitior eruditio, morumque gravitas requiruntur. *can. 3. diſtinct. 38.* (3) qui non dignus eſt baccalaureatu, vel gradu magiſterii, is multò magis indignus habendus eſt gradu Doctorali, ad quem conſequendum longè major doctrina & eruditio requiritur; (4) ſi debitor tantum non habet in bonis, ut uni creditori ſatisfacere poſſit, quo pacto omnibus creditoribus debita ſolvendo ſatisfacere poterit?

Argumentum à ſufficienti partium enumeratione deſumtum valet, *cap. 31. X. de electìon. §. 1. Inſt. de action.* quando omnes partes ſufficienter ſunt enumeratæ, e. g. ſi quis negat, poſſeſſorem rem nullo valido & juſto titulo à defuncto accepiſſe, neque per ſucceſſionem ex teſtamento, neque ab inteſtato, neque titulo univerſali, neque particulari, neque per contractum, neque per ultimam voluntatem ſcilicet legatum, neque per aliam diſpoſitionem; ergò talis rem nullo juſto titulo poſſidens reſtituat eam legitimo hæredi: item ſi quis ſic argumentetur; tibi non competit actio perſonalis contra me, quia tecum non contraxi, nec quaſi contraxi, nec deliqui, nec quaſi deliqui: Ergò inutiliter contra me agis: nam actio perſonalis oritur ex obligatione, & obligatio præſupponit contractum, vel quaſi contractum, delictum, vel quaſi delictum, *§. fin. Inſt. de obligat.*

Argumentum, à vocis etymologia ductum, eſt debile; attamen valet negativè, e. g. non eſt teſtatio mentis; ergò non eſt teſtamentum, *pr. Inſt. de teſtam.* ſic etiam negativè argumentari licet, in mutuo de meo non fit tuum; ergò non eſt mutuum: verùm affirmativè non valet; quia nihil certi concluditur, ut ſi quis ſic argumentetur; eſt teſtatio mentis, ergò eſt teſtamentum, quia poteſt eſſe donatio, codi-

codicillus &c. nec in mutuo argumentum affirmativè procedit: de meo fit tuum, ergò est mutuum, quia potest esse donatio, emptio, vel alius contractus: hinc cum etymologia sit generalior etymologato, seq; habeat tanquam genus ad speciem: ideò dicimus, quemadmodum de genere ad speciem affirmativè argumentari validè non licet, (e. gr. est animal, ergò est homo, quia potest esse canis, bos, equus, &c.) sic nec ab etymologia ad etymologatum affirmativè argumentari licet; sed negativè valet, non est animal, ergò non est homo.

Arma ab arcendis hostibus dici, asserit Varro. Sub armorum appellatione non modò bombardæ, sclopi, arcus & gladii comprehenduntur, sed & fustes & lapides &c. *l. 41. ff. de verbor. signif.* hinc qui telum (gladium) vel alia arma salutis suæ tuendæ causa gerunt, non videntur, vel præsumuntur, hominis occidendi causâ illud portare, *l. pen. ff. ad L. Jul. de vi public.*

Arrha dicitur ea pecunia, quam emptor emptionis nomine venditori in confirmationem & probationem emptionis contractę dare solet, *pr. Inst. de contrah. empt. l. 35. ff. d. t.* sic etiam arrha in confirmationem & argumentum sponsaliorum dari solet sponsæ à sponso, quam vocant sponsalitiam, *l. 38. ff. de rit. nupt.* Arrhæ datio etiam in locationibus & conductionibus est frequens (germanicè ein Gottespfenning.) Quod si emptor arrham in spem contractæ emptionis datam perdere; aut venditor acceptam arrham in duplum emptori restituere velit, ab inito contractu licitè recedere possunt contrahentes.

Ars est habitus cum verâ ratione opus aliquod efficiens. Ars versatur circa contingentia, quæ mutari, & aliter se habere possunt: unde dicitur, quoque magnam habere cum fortuna cognationem, à qua interdum multum juvatur, aut impeditur; nam ars fortunam, & fortuna artem amat, & juvat. Officium artificis circa suam materiam consistit in tribus, (1) ut consideret, quo pacto velit ex materia subjecta opus artificiosum efficere, (2) ut juxta artem operetur, & talem formam materiæ imponat, sive imprimat, qualem ars condignè requirit, (3) ut producat, & quasi gignat novum opus: quoniam artis maximè proprium est creare, & gignere, intellige, ex suppeditata materia.

Ars omnis consistit in cognitione & operatione; Illa (scilicet cognitio) est Theoriæ, hæc (operatio) est Praxis, quæ Theoriam præsupponit.

ponit. Nam exercitatio, sivè usus artis rectè fieri nequit, nisi ars prius sit cognita. Ex opposito, cognitio artis esse potest, licet exercitatio ejusdem artis non accedat; attamen cognitio sinè exercitatione est imperfecta: quia tunc finem artis in exercitatione consistentem non assequitur. Hinc dicimus illum esse verum artificem, qui utrumque (h. e. cognitionem & exercitationem) simul habet, ut non tantùm intelligat artem, sed ut illam ad usum sivè utilitatem hominum quovis modo prudenter accommodet: talis & sibi & aliis prodest; qui verò cognitioni & nudis speculationibus duntaxat operam dat, proximo non prodest, sed sibi saltem satisfacit; quo refertur vulgatum illud, scire tuum nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter; cum non solùm nobis nati simus, sed juxta Ciceronem, partem patriæ, partem amicis, & proximo debemus. Ideò is propriè non dicitur JCtus, qui nudam juris cognitionem habet, artisque sivè juris præcepta tantum callet, sed talis vocatur juris sciens. Qui verò juris cognitionem & præcepta legum juxta oblatos varios casus ad utilitatem hominum, quovis modo & tempore prudenter accommodat, is verus est JCtus: talis non simulatam, sed veram Philosophiam profitetur, licitum ab illicito discernendo, æquum ab iniquo separando, *l. 1. §. 1. ff. de justit. & jur.* ob id Jurisprudentia haud incongruè per excellentiam vocatur ars divinitus homini data, ad tranquillitatem in statu civili & societate humanâ conservandam, quâ nulla hominibus major & utilior esse potest, quæ magis in negotiis vitæ humanæ est occupata, quàm Medicina & Philosophia.

Articulus est sigillata locutio, vel per membra distincta oratio, & positio brevis. Articuli in scriptis exhibendi sunt judici, & testes ad singulos articulos in specie purè & simpliciter sine ambagibus & æquivocationibus respondere debent per verbum credo, vel non credo, *Ordinat. Cam. part. 3. tit. 15. §. 4.* Articuli probatoriales formantur sequenti modo: Erstlich war/daß der Studiosus Titius mit der Jungfrauen Anna sehr fleissig conversiret. (2) war/ daß gedachter Titius der Jungfrauen die Ehe versprochen. (3) war/ daß Titius der Jungfrauen Annæ einen güldenen Ring auf der Treue gegeben. (4) war/ daß Titius viel Briefe an ihr geschrieben/ und sie seine Liebste drinnen genennet &c. Alius casus: Erstlich war/ daß Titius den Mævium mit einem Prügel auf offentlicher Gassen geschlagen. Zum andern war/ daß Titius solches ohne gegebene Ursache gethan. Drittens war/ daß

daß Mævius dem Titio habe entlauffen müssen / sonsten hätte er ihn noch mehr geprügelt ꝛc. Hic judici incumbit, probè examinare, utrum articuli ab actore oblati sint pertinentes, (hoc est, an probati relevent, & ad principalem causam spectent) vel an sint impertinentes, sivè irrevelantes, qui nihil ad causam controversam faciunt, nihilq; eo nomine probant, tales non debet admittere judex, quoniam impertinentia debent rejici. Articulus impertinens vocatur, quando is neque directò, neque per bonam consequentiam causæ controversæ adminiculatur: contra articulus pertinens est, qui causam controversam adjuvat eamque illustrat. Nota hîc, quòd articuli, quos actor vel reus circa causam controversam formare solent, sint regulariter sequentes. (1) actor format articulos probatoriales contra reum pro causæ justitia, super quibus producti testes à judice examinandi sunt; (2) quando in iis aliquid omissum est, tunc format actor articulos additionales, in quibus illa, quæ in prioribus articulis sunt omissa, ritè proponuntur, ut producti testes super iis etiam solenniter examinentur. Ex opposito reus primò contra actorem format articulos defensionales, vel reprobatoriales, quibus se contra actoris intentata defendere & purgare quærit; secundò format reus etiam articulos additionales, sivè ulteriores defensionales & reprobatorios, ad elidendam actoris causam. Solennis illa annotatio & descriptio omnium testimoniorum vocatur Rotulus examinis testium, in quo judex vel Notarius omnium testium testimonia verbotenus ordine annotavit.

Articuli & positiones, quas actor formare solet, distinguuntur. Positiones ideò format actor, ut per confessionem rei, sivè responsionem partis adversæ, ab onere probandi relevetur, durch rechtmässige Antwort des Gegentheils. *c. 1. X. de confessis.* Verùm articulos ideò facit actor, ut ea, quæ negat reus, testibus vel instrumentis probare possit; ideò positiones præcedere debent, & articuli sequi: quæ distinctio hodiè in Camera Imperiali strictè non observatur; sed juxta Recessus Imperii actor libellum articulatum antè litis contestationem exhibere debet, super quo prius lis contestatur, postea articuli loco positionalium & articulorum repetuntur, quod fit litium abbreviandarum gratiâ. Positiones sivè articulos mediante juramento, (quod practici vocant juramentum dandorum) exhibere debet actor, quòd videlicet non calumniosè,

sed juris sui tuendi gratiâ positiones sivè articulos tales exhibeat; sic etiam reus ad positiones sivè articulos hosce propositos mediante juramento, (quod practici juramentum respondendorum appellant) respondere cogitur, *c. 31. X. de testibus & attestation.* & quidem purè & simpliciter respondere tenetur, per verbum credo, vel non credo, *l. 2. §. 2. C. de jurejurando propter calumnias.* Ergò illa responsio non valet, non credo, prout ponitur; quia talis responsio est lubrica & incerta. Quòd si verò reus post litis contestationem in judicio comparens, ob contumaciam ad articulos respondere nolit, quo casu articuli pro confessatis habentur, *c. 2. X. de confessis:* Quid de articulis & processu formando Recessus Imperii ceu jus novissimum dicant, videre licet in Recessu Imperii Spirensi, de anno 1557. §. Ferner nachdem hierbey ꝛc. So haben Wir uns demnach mit den Churfürsten und Ständen / und der abwesende Stände Rähten/Bottschafften und Gesandten hierinn auf nachfolgender massen verglichen / ꝛc. Fürs erste soll der bißher in mehr Weg mißbrauchte Modus zu articuliren/ und ad articulos zu respondiren samt allen denen bißhero nach sich gezogenen terminen und Anhängen/ darbey und darüber auch beflissentlich vorgangenen unnöhtigen disputationen und Aufzüglichkeiten (nur allein die probationalen/ da die Partheyen wollen/ und wann es die Nothdurfft erfordert / wie auch die responsiones und Antworten auf dieselbe ausgenommen) hinfüro gäntzlich cassiret und aufgehoben / und hingegen in Sachen simplicis querelæ, ein jeder Kläger vor Gericht mit seiner Nothdurfft bereit erscheinen / und bey Ausziehung der Procesß oder Endung seiner Klag oder Libell nicht articuls/ sondern allein summarischer Weiß / darinn das factum kurtz und nervosè, jedoch deutlich und distinctè, klar/ auch da ihn beliebet / oder der Sachen Weitläufftigkeit und Umstände es erforderten / Punctweiß verfasset und ausgeführet sey/ mit angehengter conclusion und Bitte / nicht allein den Gegentheil zu citiren/ sondern auch zu condemniren; oder aber neben der Supplication um die Ladung abgesondert (gleichwie solches judicialiter zu geschehen) extrajudicialiter übergeben/ und nach erhaltener citation, sowol dieselbige/ als auch besagten libellum, durch protonotarien/ videmirte Copien dem citirenden insinuiren lassen; damit der citirte in diesem allem sich wol ersehen und reiflich bedencken könne/ ob er dißfalls weichen/ oder in dem Procesß verfahren wolte / etc. Will er litem fortsetzen / ist er verpflichtet in primo termino für Gericht zu erscheinen / und ad acto-

ris libellum excipiendo, vel simpliciter negando zu antworten schuldig. Hierauff soll Kläger in dem folgenden vorgesetzten termino ad rei exceptionem vel negationem repliciren / ut testibus idoneis vel documentis claris assertum contra rei negationem probet. Quòd punctum probatorium concernit, nihil impertinens à litigantibus adduci debet, sed id saltem, quod ad causam controversam spectat, &c.

Articuli inquisitionales sunt interrogationes à judice faciendæ; Judex in articulis exprimere non debet circumstantias, aut delicti qualitates, aut in quâ parte corporis quis læsus, e. gr. an delinquens Petrum gladio vulneraverit? An in capite? An præ hujus, vel illius foribus factum? An media nocte circa horam 12? Has circumstantias reo suggerere non debet judex, ne eum ad mentiendum quadantenus invitet, sed sequenti modo interrogationem formare debet judex; an inquisitus Petrum vulneraverit? Quo instrumento? Quâ corporis parte? Quo loco urbis? Quo tempore? Hoc modo videre potest judex, an confessio rei sive delinquentis cum testium dictis conveniat, vel pugnet. Quod si reus falsa, & testium assertis contraria proferat, tunc longè melius poterit falsitatis convinci. Hîc probè observandum, quod judici non liceat, confessionem à reo eruere spe impunitatis, quia est contra judicis autoritatem, mendacium committere; nam si delictum sit capitale, tunc judex contra Jus Divinum & conscientiam reo promissum servare nequit.

Artificibus & opificibus respublica commodè carere nequit: tantò enim beatior est civitas, quantò magis in illa florent commercia & artes mechanicæ, ad omnium rerum necessariarum comparationem; quod exemplis comprobat Florentia, Genua, Venetiæ, Amstelodamum, Hamburgum, Norinberga, Parisiæ, &c.

Artifici in arte suâ credendum est, *l. 12. ff. de stat. homin.* intellige quatenus artis suæ præceptis innititur, & non se propriâ, vel aliorum nudâ autoritate simpliciter fundat. Ergò præclaro Doctori Juris in studio juridico, & Doctori Medicinæ in studio medico asserenti, partum septimestrem esse vitalem, & Astrologo in temporum computatione regulariter credendum est; Judicium enim peritorum magnam inducit probabilitatem; attamen non tàm quis, aut quot dicant; sed quid, & quâ ratione dicatur, probè ponderandum est: *distinct. 19. c. 8.* Ratio est, quia Doctoribus tantum credendum,

quantum probant; Sic etiam juxta regulam *in d. l. 12.* fundatam Medicorum judicio standum est, si circa vulnerati vulnus occurrat dubium, utrum fuerit lethale, vel non? Ergò quando quæritur, num vulnus fuerit lethale, nec nè? & an vulneratus ex illato vulnere mortuus sit? id Medicorum & Chirurgorum judicio principaliter committendum est; indè rationabiliter sequitur, si Medici & Chirurgi positivè affirment, vulneratum ex inflicto vulnere esse mortuum, tunc vulneranti & necanti reo haud injustè pœna capitalis definitur, *constit. crimin. Carol. 5. art. 149.* Quod si verò Medici & Chirurgi de vulneris mortalitate dubitent, dum ob quasdam dubias conjecturas, circumstantias & præsumtiones nihil certi in eo casu decidere possint, nec velint; tunc judex vulnerantem capitali pœnâ afficere nequit, sed eundem longè mitius punire debet, rationem addit Jus Canonicum; quia longè salutarius & tutius est, propter misericordiam, quàm propter sævitiam & crudelitatem reddere rationem, *c. 26. q. 7. can. 12.* Ex dictis constat, quod imprudenter faciant, qui Doctorum opiniones sivè rationes sine discrimine & argumentorum pondere promiscuè sequuntur; tales meritò comparantur avibus, quarum unam prævolantem turmatim sequuntur reliquæ omnes: multitudo enim errantium non parit errori patrocinium.

Ascendentes primi, secundi, & tertii gradus in successione descendentium (hoc est liberorum) cum defuncti fratribus & sororibus germanis in capita admittuntur; *Novell. 118. c. 2.* (intellige si defunctus nullos reliquerit liberos) proximior tamen ascendens excludit remotiorem, ut pater avum maternum. Ratio est, quia in ascendentium successione servatur graduum prærogativa, adeò, ut mater defuncti excludat avum paternum, contra, pater avum maternum, *auth. defuncto C. ad SCtum Tertullian.* In ascendentibus enim jus præsentationis non habet locum; contrarium obtinet in descendentibus, scilicet liberis, ubi jus repræsentationis regulariter valet; ideò etiam liberi fratrum, sororumque ex utroque latere cum fratribus, sororibus & ascendentibus ad defuncti hæreditatem in stirpes admittuntur, *Novell. 127. c. 1.* ob id fratres & sorores ex uno tantùm latere conjuncti, sivè sint consanguinei, sivè uterini, ab hæreditate excluduntur. Nota porrò, quando fratrum filii cum patruo duntaxat concurrunt, tunc omnes in stirpes succedunt jure repræsentationis; Si verò fratrum, sororumque filii sint soli, suc-

cedunt

cedunt in capita, h. e. in viriles & æquales partes, *l. 2. §. 2. ff. de suis & legitimis hæred.*

Assassinium est homicidium ab aliquo mercede conducto commissum, *c. 1. de homicidio in sexto.* quando quis horrendâ inhumanitate, detestandâque sævitiâ mortem inimicorum injustè sistit, quos per assassinos sceleste interfici curat, & sic non solùm corporum, sed & animarum mortem impiè studet; hoc delictum simplici homicidio longe gravius censetur, quia quis pecuniâ corruptus hominem in alterius (scilicet mandantis) gratiam impiâ manu occidit. Origo hujus delicti est ab Assassinis Asiæ incolis, gente perfidissimâ, crimini huic deditâ; de hoc delicto jus Romanum expressè non agit, sed juris interpretes hoc ad publica delicta referunt: ad hoc crimen assassinii perpetrandum, duo requisita conjunctim sunt necessaria, (1) ut assassinus (vulgò ein Meuchel-Mörder) habeat mandatum ab assinatore ad inimicum suum necandum, (2) ut pecuniâ conductus ad hoc facinus dolosè descendat, quia is ob sordidum saltem lucrum consequendum alterius malam intentionem in effectum pessimè deducit.

Assecuratio (olim dicebatur aversio periculi) est contractus innominatus, nimirum facio, ut des, hoc est, suscipio mercium tuarum periculum in me, pro certo constituto præmio, si interea merces terrâ marique ab hostibus vel latronibus, aut pyratis præter spem violenter intercipiantur, vel casu pereant, tenetur mercium domino damnum illatum reparare, e. gr. ego assecurans teneor tibi mercium Domino solvere justum pretium, si damnum mercibus casu inferatur. *vide t. ff. de nautic. fœnore.* Quòd si verò mercium Dominus aut nauta prohibitas merces inscio assecurante simul transvehat, & ob id assecuratæ merces propter dolum nautæ vel mercium Domini commissum publicentur, fiscoque cedant, assecurans id damnum præstare non obligatur; quia casum saltem, & non culpam vel dolum domini mercium, vel nautæ in se suscepit, *l. 3. C. de nautic. fœnore.* Hinc damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sentire non videtur.

Asylum in quibus consistit? Resp. Sicuti Ecclesiæ præsidium & securitatem præbent ad eas piè confugientibus, ita etiam statuæ Principum liberis & servis sunt præsidio, *l. 2. ff. de his, qui sui vel alien. jur. & t. t. C. de his, qui ad statuas confug.* dummodò ex justa causa ad eas confugiant, scilicet vitandi metus, violentiæ, injuriæ &c. non

aliàs; nam si scelerati & latrones ad asyla Ecclesiarum vel statuas confugiunt, asyli beneficio justè non gaudent. Ratio est, quia tutissimo hoc præsidio ad aliorum injurias abuti non licet confugientibus. Sic etiam asyla Judæorum non homicidis dolosis, sivè voluntariis, sed imprudentibus saltem patrocinabantur; dolosi enim homicidæ, latrones & alii facinorosi poterant abstrahi ab arâ, & impunè occidi, *Deut.19.v.11.* & *seqq.* ob id Ecclesiæ de jure non debent recipere fures, latrones, vel alios atrociter delinquentes, ne ex domo DEI & orationis fiat spelunca latronum, *Matth.21.v.13.* itaque rapiatur ab altari homo sceleratus, dignoque subjiciatur supplicio. *Exodi 21.v.14.* & *1. Reg.2.v.5.34.* cum non possit pinguior victima mactari justitiæ, quàm sceleratus homo, ne tranquillitatem reipublicæ diutius impediat, & scelestè vexet.

Athei an dentur? quæritur, Respondetur, dantur, & non dantur, diverso considerandi modo; si quis (prout vulgus loqui consvevit) eum vocet atheum, qui simpliciter & semper ore & corde negat esse DEUM, nulli dantur athei; quoniam mortalium nemo tam barbarus, belluinus & ferox existit, quin sciat esse DEUM omnium rerum Conditorem & Gubernatorem, à cujus nutu omnia unicè dependent. Et quamvis nonnulli tàm perversæ sint mentis, ut id ore ad tempus negent; attamen idem corde constanter negare nequeunt. Etenim licet latronum, nebulonum, & blasphemorum conscientia interdum ad tempus dormitet, tandem tamen evigilat, ut DEUM cum horrore & desperatione agnoscant. Exemplum habemus in nefario ac seditioso Caligula, quo nullum unquam audaciorem, & effrænatiorem mundus vidit Divini Numinis contemtorem; ast ipso nemo miseriùs trepidavit, quoties vel fulminaret, vel aliud iræ Divinæ indicium innotesceret. Indè colligimus, excitari in hominibus delinquentibus sensus peccati, ac morsus conscientiæ, quo ex dictamine rectæ rationis cognoscimus; nos voluntatem ac præscriptum supremi Legislatoris temerè transgressos & pœnâ dignos. Clarum in Adamo habemus exemplum *Gen.3.v.8.* item in Caino fratrem Abelem dolosè interficiente, qui, conscientia ipsius saltem judice, semetipsum capitis reum æstimabat, ac in tantùm tremebat, ut tremulâ voce clamaret: omnis, qui me inveniet, me occidet; cùm tamen Cain tunc temporis præter parentes & debiles sorores nullum in mundo inveniret, à quo occidi poterat. Imò dantur præclara in ipsis gentibus

tibus exempla, quibus sufficientissimè probatur, omnes ethnicos agnoscere supremum Judicem Deum: *videatur egregius locus ad Rom. 2. v. 14. & seq.* Sic etiam plurimi docti gentiles suis scriptis unanimiter affirmant, DEUM moderari humanas actiones, inter quos exempli loco eminent sequentes. (1) Orpheus εἷς ἐστ' αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα. Unus est per se existens, ab uno sunt omnia. (2) Hesiodus πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας. Omnia videt Jovis oculus, & omnia intelligit; (3) Sophocles; unus reverà primus DEUS, qui cœlum condidit & longam terram; (4) Aristoteles de mundo c. 7. & *in physic. & metaph.* qui, ut Ethnicus, ex lumine naturæ antè mortem tandem piè exclamavit; O Ens entium miserere mei! (5) Cato in distich: Si DEUS est animus, nobis ut carmina dicunt, hic tibi præcipuè sit purâ mente colendus. (6) Homerus ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Habet DEUS vindicem oculum; idem, Θεοὶ δὲ πάντα δύνανται. h.e. Dii omnia possunt, (7) Seneca *in epistola 83.* nihil DEO clausum interest animis nostris & cogitationibus; *idem Seneca lib. 4. de benefic.* quisquis purè justitiam sectari desideras, prius DEUM time & ama, ut ameris ab eo; amabis autem DEUM, si in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, & nocere nulli; justus autem ut sis, non solùm non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis; *idem alibi.* præstabis parentibus pietatem, cognatis dilectionem, pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum geres, amicis fidem, omnibus æquitatem præstabis. (8). Phocylides. εἷς Θεός ἐστι σοφὸς δυνατός, δ' ἅμα, καὶ πολύολβος. Unus est DEUS sapiens potensque, simul & beatissimus; (9) *Ovidius lib. 4. Trist.* Nil ita sublime est, supraque pericula tendit, non sit ut inferius, suppositumque DEO; (10) Cicero in somnio Scipionis: DEUS est, qui sentit, qui meminit, qui videt, qui regit, & moderatur omnia, & est æternus; & alibi: Qui mutationes temporum & rerum vicissitudines & ordines conservat, terras & maria contemplatur, hominumque commoda & vitas tuetur; (11) Socrates, DEUS, inquit, est beatus & beneficus, optimus, nihil indigens, ipse conferens omnia; (12) Plato. Est DEUS mens æterna, boni omnis causa in natura &c. Ut infinitos alios Ethnicos taceam, qui non tantùm ex naturali rationis lumine eo usque progressi sunt, ut DEUM mundi Conditorem & Gubernatorem agnoverint, verùm etiam suis assertis more Christianorum adjicere voluerunt, animam hominis esse immortalem; ideò finxerunt

runt sibi Campos Elysios & Tartara, variaque post hominum mortem excogitârunt supplicia, quibus animæ improborum miserè cruciarentur. Hinc Plato, lex, inquit, & semper & etiam nunc exstat apud DEOS, ut quicunque homines justè, pièque vitam exegissent suam, post mortem, ad beatorum insulas profecti, in omni felicitate viverent, à malis longè sejuncti & remoti; qui verò injustè, impièque vixissent, in punitionis, justique supplicii carcerem, quem Tartarum appellabant, abirent. Sic etiam Cyrus, quà Ethnicus, probè adhortatus est filios; pertimescite, inquit, DEOS, ut nihil impii, nihil nefarii, vel committatis, vel deliberetis. Et Cicero de amicitia; non assentior, inquit, illis, qui animas interire cum corporibus putant, atque omnia morte deleri. Sed cùm Socrate sentio, esse animos hominum planè divinos, eisque, postquam ex corporibus hominum excesserint, reditum ad cœlum patere &c. Quod alterum divisionis membrum concernit, dantur athei, quando per atheos intelligimus eos, qui quidem ex insitâ ratione & naturæ lumine sciunt, esse DEUM, sed sordidis voluptatibus, divitiis, honoribus ac infinitis sceleribus usque adeò distracti, ut obdurata habeant corda, & impiam mentem, qui mandata DEI planè contemnunt, sacra temerè negligunt, aut iis interdum sub specie religionis malitiosè intersunt, &c. Tales, proh dolor! plurimi in hiscè ultimis mundi temporibus reperiuntur, quos ipsis lupis censemus pejores, *vide Psalmum 14 pr.* quibus canis sub pectore latrans, conscientia simul reus, actor, testis, judex, tortor, carcer, & carnifex est, à quâ perpetuâ anxietate condignè cruciantur. Solus hic Judex malis ad accusandum, judicandum & damnandum sufficit. Incorruptus hic Judex nec flecti potest precibus, nec corrumpi muneribus; nec minis deterreri. Quocunque locorum peccator est, vel quo se recipit, eum mala ipsius conscientia semper comitatur, & vermes gignit immortales, &c. vah! quantum mali mala hominibus conciliat conscientia! Ergò conscientiam nostram, misericors DEUS! per veram pœnitentiam munda, & peccata nostra in nobis pro tua misericordia extingue, ne cum Atheis & Epicuris in caducâ hac mortalitate inexplebilem conscientiæ morsum & in futurâ vitâ æternum flammarum cruciatum justè sentire cogamur. Votum confirmet DEUS.

Atheismus est dulce, sed periculosum venenum, reipublicæ Christianæ valdè noxium; nam licet præter Mahometismum, Judaismum & Eth-

& Ethnicismum multæ hoc sæculo reperiantur sectæ, præprimis in Hollandia & Anglia sectarum patriis. Nulla tamen major & pestilentior est secta Catholicæ Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ, quàm Atheistarum, qui quidem DEUM ore & corde non absolutè & constanter negant; sacram tamen Scripturam ceu fabulam agnoscunt, ac resurrectionem mortuorum, & immortalitatem animarum tacito ore negant, fato omnia unicè adscribentes. Imò de toto religionis negotio impium hoc fovent axioma. Quod religio saltem sit Regum, Principum & Statistarum inventum, quo tanquam fræno plebem ad obedientiam, Principumque nutum facilè redigere possunt, ut omnes subditi intuitu religionis Christianæ quietè in Republicâ vivant, prout nuperrimè adhuc pessimo docuit exemplo publicè atheus M. Samuel Puffendorff in suo jure naturæ & gentium, qui religionem statui reipublicæ accommodandam diabolico spiritu gentiliter docet, &c. Ex præsuppositis asserunt saniores Jurisconsulti & Theologi, atheismi principia primariò in sequentibus consistere. (1) Non credere, esse infernum, nec dari dæmones, aut sagas, nec spectra existere, &c. (2) animam non esse immortalem. (3) Sacram Scripturam esse potius fabulam, quàm verum & immutabile DEI verbum. (4) Adamum non fuisse primum hominem, nisi ratione certi stemmatis; sed extitisse Præ-Adamitas. (5) Mundum fuisse ab æterno. Hisce quinque diabolicis principiis primo impetu omnia vitæ æternæ fundamenta funditùs destruunt, seque in æternam perniciem datâ operâ miserrimè detrudunt: vah quantâ cœcitate ratiocinantur miserrimi hi salutis æternæ destructores! quid & quorsum cogitant? si spretis sacris literis, ac spretâ animarum salute æternâ, DEUM ejusque regnum cœleste sic semper negligant, vel potius contemnant. Nonne ipsis longè salutarius foret, si DEUM, quem ex lumine naturæ norunt omnium rerum conditorem & gubernatorem, piâ mente & ore agnoscerent, eumque debitâ reverentiâ colerent, ipsius mirabilia opera admirantes, DEUM indesinenter invocando, ut is pro misericordia sua eos in gratiam recipere vellet, ne cum desperatione, horrore & planctu tandem vitam caducam cum æterna morte commutare cogerentur.

Athleta est certator: quoniam ἆθλος denotat certamen. Athletæ olim fuerunt, qui non mercedis, sed virtutis exercendæ & ostendendæ causâ in palæstra pugnabant, præmia accipientes, lauream, coro-

H nam,

nam, & immunitates: unde apparet, quòd talia athletarum certamina olim quàm maximè honorifica sint habita. Contrâ qui mercedis causâ id faciebant, habebantur viles; quales hodiè in præclaris emporiis plurimi inveniuntur, germanicè vocantur, Klopfechter/ quos hodiè non magni facimus, quoniam sunt ex vili plebe, & homines plerumq; leves ac otiosi, virtutem parum curantes.

Avarus gratius aurum intuetur, quàm solem, *cap. 8. distinct. 47.* eique ut terreno suo Deo maximoperè inservit; hoc avaritiæ vitium prudenter dissuadet Poëta:

Quid mihi divitiæ, quarum si demeris usum,
Quamvis largus opum, semper egenus ero.

Ex hoc vitio multa alia tanquam è fonte propullulare solent. Omnia vitia accrescente ætate decrescere solent, sed hoc cum annis accrescit; ideò etiam avaritia omnium malorum mater dicitur. *Novell. 8. cap. 1.* quoties magistratuum animi hoc vitio corrupti sunt, tunc venalem habent rempublicam, omniaque ejus commoda, fulcra & præsidia, senatum, dignitates, & judicia sordido quæstui exponunt venalia. Nec in Hollandia, nec in Germania hisce calamitosis belli temporibus tot extitissent patriæ proditores, nisi detestanda auri & argenti cupido eorum pectora in rerumpublicarum perniciem scelestè invasisset & occupâsset: Hinc Aristoteles *2. Polit. cap. 7.* maxima, *inquit*, pars injustorum factorum, quæ homines spontè faciunt, proficiscuntur ab ambitione & avaritiâ; hæ duæ meretrices multorum Illustrissimorum virorum & Heroum animos pessimè corrumpunt, & cum multorum injuria impiè possident, eosque ad gehennam tandem miserrimè perducunt, nisi ante vitæ finem fecerint pœnitentiam. Non est mirum, quod in nos mortales Divina sæpissimè sæviat indignatio, cum ardentius à nobis terræ sordes, (pecunia, honores & voluptates corporis) quam cœli deliciæ desiderentur. Contrarium desideravit Paulus Apostolus, qui cœli beatitudinem usque adeò æstimavit, quod cum cœlesti gaudio & gloria nihil quidquam comparari posset, quòd nec simile quicquam visum, nec auditum, nec cogitatum, nec in cor hominis ascenderit.

Aulæ Regum & Principum in tanto libertatis, dignitatis, & luxuriæ statu vix possunt variis ac infinitis carere peccatis mortalibus, cùm Aulici præter Principem neminem facilè in suis erroribus corrigendis

dis admittant censorem; unde ob impunitatis spem & peccandi occasionem ab illis gravissima sæpè perpetrantur peccata, & quidem cum multorum scandalo: ut non immeritò quisquam dixerit; discedat ab aula, qui volet esse pius. Ut ut non negem, dari in aulis Regum & Principum viros pios, quamvis raros. Ideò de aulica vita in genere prudentissimè scribunt auctores Politici, inter quos est Busbequius *in epistola 4.* quod illa sibi nunquam cordi fuerit. Notæ mihi, inquit, sunt ejus ærumnæ: falso splendore multæ ejus miseriæ obtenduntur: fuci in ea multum, candoris parum est; ubi alter alterum osculo interdum Judaico amicè excipit, & premendo manus in tantum se ejus amicum simulat, ac si alter pro altero mortis supplicium libenter subire vellet; licet contrarium; hoc est, interitum ejus plus millies omni voto expeteret. Tam lubrica, ficta, & periculosa est aulicorum vita ad ruinam, ut is, qui non potest perfectus cujuslibet rei esse simulator & dissimulator, aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habendo, omnium aulicorum opprobrio quasi per sibilum indignè exponatur. Nullam facilè invenies aulam, quæ vacat perfidiâ, dolo ac invidiâ, in quâ non desideretur amicitiæ fides, ubi voluntatum mutatio, & subita ruina non sit metuenda: cum ipsi Reges & Principes sint homines, qui fragilitate humanâ ob lapsum primorum parentum errare possunt. Vidi, qui centum amicis stipatus Regiam animosè adierat; ast irato Rege vix cum uno comite miserrimè domum rediit. Aula verum & perfectum bonum non novit, nisi serò. Umbris, famâ, specie, fallaciis, errore populari, ac falsis opinionibus, ut plurimum miserè ducitur ac seducitur, qui aulam ad vitæ finem semper frequentat; ut eos fortunatos meritò dicere non dubitem, qui sibi, musis & DEO vivunt, cum paucis honestis & non fallacibus ac lubricis conversari & consenescere amant. Deplorandum sanè, quòd in aula Regum & Principum juxta perversum vivendi morem hodiè plerumque plus valeat nobilis scurra & Sycophanta, quàm vir bonus & virtuosus: ut non absurdè viri boni inter aulicos speciem oculis subjecisse videantur, qui asinum pinxerunt inter simias.

Austregæ sunt judicia, in quibus certorum ordinum Imperii res controversæ in prima instantia, juxta modum in ordinationibus imperii præscriptum, ad eorum utilitatem definiuntur. Vox Austregæ variè accipi solet; (1) pro ipso jure & privilegio, quo tanquam privi-

vilegiatâ instantiâ Ordines & Principes Imperii in sui favorem utuntur; (2) accipitur pro ipsis Judicibus, qui judicio austregarum præsunt; & (3) sumitur pro ipsis privilegiatis instantiis.

Austregarum Judices (die Austräge) non ordinariam, sed delegatam saltem à Principe habent jurisdictionem, quæ post semestre, vel annum exspirare solet; ideò non quâ ordinarii, sed delegati judices ab Imperii Statibus tanquam Commissarii sunt constituti, qui propriè vocantur arbitri, qui inter Status & immediatos cives Imperii causas controversas quasi in ordinario judicio solenniter examinant, ut de causa litigantium controversa judicent, qui propter arbitraria hæc judicia regulariter nudam duntaxat causarum notionem, non executionem habent; eapropter Cæsar vel Camera Imperialis res ab Austregarum Judicibus judicatas exequitur. Austregæ sunt duplices, (1) sunt illæ, quas quædam familiæ illustres sibi ipsis peculiares constituerunt; has germanicè Stamm-Austräge und willkührte Austräge vocant, quales inter se familia Saxonica, Hassiaca & aliæ fecerunt, (2) sunt, quæ ex generali dispositione imperialium decretorum suam habent autoritatem. Maximilianus I. dicitur austregarum autor & fundator, anno 1495. in comitiis Wormatiensibus. Privilegia austregarum sunt exceptiones à jurisdictione Cameræ in prima instantia, quibus omnes imperio immediatè subjecti, ut Electores, Duces, Principes, Prælati, Comites, Barones, liberæ Imperii Civitates, & Nobiles Franci, Suevi & Rhenani fruuntur: In aliis casibus omnes Status Imperii jurisdictionem Cameræ regulariter agnoscere coguntur. Austregarum jus competit omnibus imperii civibus immediatè Imperatori subjectis, quando inter se litigant, vel alius inferior, sive civis, sive rusticus, eos judicialiter convenire vult; *Ordinat. Camer. art. 12.* wie Burger und Baurn. Hinc, quando Princeps secularis vel Ecclesiasticus tanquam actor cum alio Principe seu reo litigare vult, tunc suam petitionem in libello declaratam mittit reo, requirens insuper juris, justitiæque administrationem, *C. p. 2. t. 2. pr.* quo præstito, reus sive requisitus Princeps tenetur intra unius mensis lapsum à libelli insinuatione 4. Principes regentes, nimirum duos Ecclesiasticos, & duos seculares ex diversis familiis nominare, ne cognatio suspicionem collusionis gignat; ex his 4. nominatis Principibus actor unum Judicem controversiarum eligere potest. Constitutus hic Judex austregarum tanquam Commissarius Cæsareus litigantibus

tempus

tempus comparitionis in quadam civitate suarum ditionum, vel in curia sua determinat, totamque causam cum suis Consiliariis breviter & accuratè examinando, intra semestre vel anni spatium sententiam dicere obligatur; totus enim austregarum processus intra semestre, vel ad summum (si justæ procrastinationum causæ fuerint) intra annum & diem finiendus est; ultra hoc tempus non extenditur. Quòd si verò reus sit in mora, & tergiversetur, causa statim ad Cameram devolvitur, *constit. 2. titul. 4. §. 1.* dantur & alii modi in judicio austregarum usitati, quos brevitatis causa ratione mei instituti apponere non licet, de quibus vide *constit. p. 2. tit. 4. §. 7. & Gailium.* Nota, à judicio austregarum & Cameræ Imperialis excipiuntur causæ matrimoniales & spirituales: nam sicuti hæ causæ neque ad Cameram imperialem, sed ad forum ecclesiasticum spectant, ita nec ad austregas pertinent. Duo sequentia hîc probè sunt notanda; (1) Quòd omnis civis Imperio Romano immediatè subjectus, cui jus austregarum datum est, in omnibus causis civilibus regulariter conveniri debeat in prima instantia coram austregarum Judicibus. (2) Quòd appellatio regulariter ab austregarum judicio ad Cameram Imperialem concedatur; ast in causis feudalibus regulariter cessant austregarum judicia, quando vasallus vult Principem Imperii in sua causa feudali in jus vocare; tunc Pares Curiæ, & non Judices Austregarum adire debet.

Authenticæ, quas Irnerius ICtus codici Justinianeo inseruit, catenus merentur fidem, quatenus cum textu Novellarum, unde desumtæ sunt, congruunt; ideo ad fontem, hoc est, ad Novellas, est recurrendum, quoties de intellectu authenticæ aliquod dubium occurrit; dulcius enim, imò purius, ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Αὐτοχειρία, sive propricidium est delictum simplici homicidio atrocius, qui enim ob conscientiam perpetrati criminis, vel ob metum secuturæ pœnæ, aut ob denegatum reciprocum amorem (quo flagrante amore stulti juvenes interdum virgines formosas imprudenter amare solent) se ipsum gladio, sclopeto, veneno, fune, aquâ &c. dolosè occidit, gravius peccat, quàm qui alium interficit, *l. 6. §. 7. ff. de injust. rupt. testam.* quod ex subsequente ratione clarius liquet; quia is, qui alium innocentem malitiosè necat, corpus ipsius saltem è medio violenter tollit, animam non lædit; sed qui se ipsum ex desperatione occidit, is & corpus, & animam simul perdere & pe-

rire creditur; *teste S. Augustino, de civitate Dei. c. 26. vide tit. ff. & C. de bonis eorum, qui mortem sibi consciverunt.* Nam nemo ex mortalibus membrorum vel vitæ suæ Dominus est, qui eam sibi ipsi non dedit, sed vitam Dei beneficio saltem precariò, & non patrimonialiter possidet ad breve tempus, eamque tamdiu ducere debet, donec Deus vitæ humanæ & totius generis humani creator, eam pro suo beneplacito clementer revocet. His propricidis sepultura ecclesiastica justè denegatur, qui sub tecto domûs dejiciuntur, vel sub limine extrahuntur à carnifice, & supra rastrum educuntur, & inseparato campo à lictoribus ignominiosè sepeliuntur; aliud statuitur, si quis furore mentis vel vi morbi correptus, aut impatientiâ doloris adactus semetipsum interficit, quia talis commiseratione, & non pœna dignus est, ob furorem & privationem mentis supervenientem.

Auxilium opemve tulisse dicitur, qui fecit, quod potuit, *l. 1. §. 35. ff. ad SCtum. Syllan.* nemo enim ultra suum posse obligatur, & juxta Poëtam: ut desint vires, tamen est laudanda voluntas: Ergo si videro alium à latronibus vel pessimis hominibus in tantum esse oppressum, ut eum, etiamsi libentissimè juvare velim, ob latronum multitudinem & vim juvare non possim absque summo mortis periculo, quo casu in conscientia excusor.

B*ancum* rumpunt debitores, quando ære alieno nimium gravati aliquantisper à loco domicilii secedere & latitare solent; & sic foro cedunt, *l. 7. §. 2. ff. depositi.* Donec certis conditionibus cum suis creditoribus transegerint, ut creditores ipsis partem debiti remittant, & residuum vel statim creditoribus solvant, vel aliquamdiu differant; hi quidem propriè non cedunt bonis, sed ea retinent; attamen non sine dispendio famæ, existimationis, & fidei; præprimis si quis prodigalitate & propriâ culpâ, vel dolo ad id extremum descenderit; qui verò fortunæ casu recedere cogitur, commiseratione dignus est. Hi bancoruptores Italicè vocantur falliti, & gallicè banqueroutiers, qui font banqueroute, qui rompe la banquè.

Bannum propriè proscriptio est, ideò banniti per denominationem dicuntur proscripti. Bannum imperiale (die Reichsacht) est imperii censura judicialis, quâ delinquentibus, h.e. violatoribus pacis publicæ aquâ & igni interdicitur, ita ut à nemine in clientelam, fidem & amicitiam jure recipi possint, sed ab omnibus impunè, tam in per-

in persona, quam in rebus offendi licitè queant. Ratio est, quia ob criminis atrocitatem à fide & tuitione imperii excluduntur, & in discrimine vitæ, fortunarumque haud injuste constituuntur; *ordin. camer. part. 2. tit. 9. §. 1.* So jemand. ibi: So bald auch der/oder dieselbe Thäter in die angeregete Acht gefallen/ declariret und erkläret seynd/ sollen des oder derselben Leib und Gut allermänniglich erlaubet seyn/ und niemand daran freveln oder verhandlen können oder mögen. Omnes enim, qui armatis hominibus pacem publicam & tranquillitatem Reipub. dolosè violant, in bannum imperii incidunt; attamen non prius censentur banniti, (ut extra omnem protectionem constituti ubivis locorum impunè occidi possint,) quàm per sententiam declaratoriam super commisso delicto ab Imperatore vel Camerâ Imperiali expressè tales declarantur. Daß derer Leben jederman so gemein und frey heimgestellet/ wie eines Vogels in der Lufft. Ille quoque, qui bannitos contra prohibitionem sciens recipit, eâdem pœnâ punitur. Ratio est, quia apertos imperii hostes contra reipubl. salutem dolosè recepisse creditur, seque delicti participem temerè reddit. Banniti ab Imperatore ex toto orbe christiano banniti intelliguntur, ut hi in nullo regno securitate gaudere possint. vide *Recess. imp. de anno 1567.* Wir wollen auch etzliche Könige/ alß Hispanien/ Franckreich/ Dennemarck/ Polen und Schweden; auch die gemeinen Eidgenossen abermahl entweder durch Schickung oder in Schrifften ersuchen/ daß sie denen/ als erklärten unsern und des heiligen Reichs Aechtern und Betrübern gemeines Friedens kein Fürschub/ Aufenthalt/ oder Unterschleiff in und bey ihren Königreichen/ Landen und Leuten nicht gestatten oder zulassen wollen &c.

Bellum non temerè absque necessitate & justâ causâ suscipiendum est, ideò etiam justè damnantur omnia bella, quæ tantùm ad dilatandos regionis, vel regni fines, vel ad debiliores planè supprimendos, vel ad nominis immortalitatem consequendam frivolè suscipiuntur. Rationes variæ adduci possunt, quæ temeraria bella prohibent, (1) quia bello omnia sine discrimine vastantur; subditi partim ad incitas miserè rediguntur, partim impiè trucidantur aut violantur; Virgines & honestæ matronæ ceu publica scorta damnandæ militum libidini miserè ac flagitiosè exponuntur, deflorantur, corrumpuntur. Hinc bellum haud incongruè vocatur cunctarum calamitatum vorago. (2) quia bella in genere plus detri-
menti

menti & impendii, quàm compendii & emolumenti secum ferunt; nam bellis plerumque pestis & fames sunt sociæ, & comites; (3) quia Martis alea est ambigua, & eventus dubius; nusquam enim minus, quàm in bello, eventus rerum intentioni belligerantium respondere solet, *1. Reg. 20. v. 11.* (4) Bellum facile suscipitur, sed ægerrimè desinit, cujus initium & finis raro solent esse in ejusdem belligerantis potestate. Plurima hodie, proh dolor! bella ex avaritia & ambitione, sive cupidine habendi & dominandi temerè suscipiuntur, cum infinitorum hominum, multarum provinciarum, & regnorum ruinâ. Vah quantum mali mortalibus conciliat illud meum & tuum! quantum indè sanguinis impiè profunditur! quot scelera & atrocia delicta ibi pro cujusque libidine impunè exercentur! Quid hisce autoribus in extremo judicio fiet? quando tremenda sententia pronunciabitur: Ite maledicti in ignem æternum &c.

Bella plurima ob levissimas causas pro nudo dignitatis titulo, vel majore autoritate consequenda, aut pro regionum extensione à supremis potestatibus temerè suscipi solent; Hinc fit, quod Reges & Principes omnes illas quæstiones, quas inter se atramento, calamo, ratione & voce in judicio decidere nequeunt, armis sanguine & tormentis in bello disceptare & definire soleant, flocci pendentes, num ex frivolis istis litigiis aliquot millia militum in præliis pereant, ac rustici cum extrema rerumpubl. ruina ad incitas miserè redigantur, vel an illi in beato & tranquillo statu conserventur.

Bella, quæ ad religionem, & regionem, bonaque sua defendenda contra malorum insultus piè, fortiter, & prudenter suscipiuntur, censentur non minus pia, quàm licita; quod exemplo Josuæ & reliquorum Judicum è Bibliis patet, *& ex Recess. Imperii de anno 1532.* §. und damit solcher/ *& de anno 1542.* §. und dieweil nun. Ratio est, quia bellum, religionis catholicæ defendendæ gratiâ susceptum, refertur ad Dei gloriam, veræ Ecclesiæ conservationem ac propagationem. Alterum scilicet bellum regionis defendendæ ad patriæ & proborum subditorum salutem ac tranquillitatem spectat; dulce enim & decorum est, pro patria mori; David nunquam contra hostem bellum inchoavit, nisi prius Deum in consilium adhibuisset, implorato ejus auxilio; In hoc peccavit populus Israel, qui justissimam quidem habuerunt causam pugnandi cum Philistinis; verùm, quia non timore Dei arma contra hostes

hostes susceperunt, bis in fugam conjecti, magnam acceperunt cladem, 1. *Samuel.* c.4. An hodiè Reges & Principes Christiani semper bella justa suscipiant, vel ea ab invocatione Dei cum David inchoent, judicent prudentiores. Quàm difficillima horum reddenda erit ratio in extremo judicio; vereor, ne sequatur sententia: Ite maledicti, &c.

Bellum quæ & qualia essentialiter requirat, quæritur? Resp. ad bellum prudenter gerendum tria necessariò requiruntur (1) pecunia, (2) commeatus, & (3) arma; quoniam pecunia bello vitam & animam suppeditat, estque rerum gerendarum nervus. Commeatus etiam belligerantibus adeo est necessarius, ut sine illo nec vivere, multo minus hostem vincere possint; remoto enim commeatu exercitus sine armis hostium haud difficulter vincitur. Quòd arma concernit, iis satis instructus debet esse exercitus, dum nuda manu sine armis cum hoste pugnare nequit sicuti ursi, leones, lupi inter se pugnant; ergo armamentaria Principi in reipubl. salutem tempestivè paranda sunt, in quibus varia armorum genera pro equitibus & peditibus sufficientissimè instructa habeat, ut & tormenta bellica, pulverem nitratum & alia necessaria sibi comparet; quandoquidem hæc omnia in casu necessitatis ad avertenda imminentia mala non tam facilè comparare valet Princeps, etiamsi pecuniâ satis sit instructus. Si ergo Princeps tempore pacis de his tribus acquirendis probè fuerit sollicitus, non tam facile ab hostibus opprimitur, quod ex ipsa experientia notum: nemo enim Regem vel Principem hodiè temerè provocare audet ad pugnam, aut illi facere injuriam, quem intelligit expeditum, potentem, imo promtum ad vindicandum. Optandum foret, ut omnes Principes Germaniæ de hiscè tribus requisitis in tempore contra hostiles Gallorum conatus usque adeo essent solliciti, sicuti Rex Galliæ glorioso & immortali exemplo in sui favorem est, utique Germanorum vires, fortitudo & gloria longè foret major; nec tot urbes, fortalitia, oppida, pagi & provinciæ Gallorum prædæ cum plurimorum ruina tam miserè exponerentur.

Bellum perquam circumspectè ac prudenter suscipiendum & gerendum est, dum in bello etiam justissimo multa enormia & abominanda peccata à plurimis ex quadam animi levitate perpetrantuur; Ratio est, quia militantium (præprimis gregariorum militum) nec indignatio, nec lætitia moderata est, ad omnes affectus impetu rapiuntur,

tur; vituperant, laudant, miserentur, scortantur, rapiunt, blasphemant, trucidant &c. utcunque præsens eos movet affectio; beati igitur pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur, *Matth.5. v. 9.* Tanta militantibus in bello concessa est licentia, ut homines non tantùm in prælio, sed etiam extra illud in hostili terra pro libidine occidere, torquere, ipsis sua eripere, regiones, urbes, pagos, & agros vastare impunè possint.

Belli consilia debent esse occultissima; benè quidem facit Dux belli, si quid fieri velit, ut id cum multis rerum bellicarum peritissimis & primariis in secreto communicet, eorumque judicia insuper prudenter exploret; quid autem facturus sit, cum paucissimis, prudentissimis & fidissimis saltem commune habeat; ne consilia hosti imprudenter detegantur.

Beneficia omnia, ab Imperatoribus alicui concessa, sine aliorum præjudicio regulariter fieri, & valere debent. *l. 2. §. 16. ff. ne quid in loco publico.* Ob id rescripta dicuntur valere, quæ neminem lædunt, ac supplicantibus prosunt; & quamvis interdum parum lædere videantur, attamen exigua ista læsio pro nullâ in hoc casu censetur, cùm minima non curet Prætor, ut læsos eo nomine in integrum restituat: quod fit ad amputandas in foro civili lites, ne hominibus levibus de minimis rebus & lana caprina frivolè litigare permittatur.

Beneficio aliquo concesso, omnia videntur concessa, sine quibus beneficio commodè uti non licet; e.gr. maritus uxori in testamento donavit ad vitæ dies alimenta, in hoc alimentorum beneficio comprehensa sunt victus, vestitus, lectus, habitatio, & ea omnia, sine quibus commodè & honestè vivere non potest uxor, *l. 43. ff. de verbor. signific.* quia in materia favorabili omnia laxè, & in materia odiosa omnia strictè sunt intelligenda.

Beneficium collatum ad quid nos obligat? Resp. Jus naturæ nos obligat, ut beneficia beneficiis compensemus; ob id homo de honestate, non autem de necessitate ad id secundum naturalem æquitatem obstringitur; attamen in foro civili ad id non obligatur; ratio est, quia naturalis obligatio non producit actionem civilem, *l. 7. §. 4. ff. de pact.* ei tamen præ aliis jure naturæ plurimum tribuere & officia præstare debemus, à quo maximè diligimur, quia amor est bonum amicitiæ proprium.

Benefi-

Beneficiis omnibus an liberè renunciare liceat? quæritur. Resp. quilibet beneficio pro se introducto liberè renunciare potest, si beneficium merè sit personale; sic mulier Senatusconsulto Vellejano renunciare potest, quia illud pro sexûs muliebris imbecillitate est introductum, ne patrimonio, rebusque suis fidejubendo inique defraudetur, *l. fin. ff. ad SCtum Vellej.* Secus se res habet, si beneficium pro unâ parte sit favorabile, pro alterâ odiosum, ut beneficium SCti Macedoniani; quia hoc partim in filiorum familiâs favorem, partim in fœneratorum & creditorum odium à lege est introductum, ne ipsis amplius daretur occasio, juventutem subdolè corrumpendi, *l. 40. pr. ff. de condict. indebit.* sic nec Clerico licet in præjudicium Episcopi renunciare ordinario suo foro, etiamsi Clericus in foro seculari citetur; *caus. 11. q. 1. can. 17.*

Bigamia est famosa, h. e. binas simul uxores ducens habetur infamis, *l. 1. in fin. ff. qui notantur infamia.* & ultimo supplicio afficitur. *constit. crimin. Caroli 5. art. 121.* talis potest etiam adulterii accusari. *l. 18. C. ad L. Jul. de adult.* quòd si verò puella marito alieno ignoranter nupserit, ipsa à pœnâ est immunis, *d. l. 18. C.* quia dolo caret, (dum de mariti priori matrimonio nihil scivit) nec adulterium absque dolo committitur, *l. pen. ff. ad L. Jul. de adult.* Si verò puella antè sciverit, maritum suum aliam adhuc habere uxorem superstitem, & tamen se ei matrimonio junxerit, ultimo supplicio non afficitur, sed ob dolum fustigationis & relegationis saltem pœnæ subjicitur: quo casu maritus duntaxat est bigamus, & non ejus uxor; ratio est, quia illa duos maritos simul non habet: interim tamen dolosè violat thorum alienum.

Blasphemia est nefandissimum ac pessimum crimen, quô Divina Majestas contumeliosis dictis atrocissimè læditur, & ad iram justè provocatur; idcirco si talia detestanda crimina à Regibus, Principibus, & Magistratu non vindicentur, ac condignè puniantur, ad honorem DEI per omnia conservandum, DEUS irâ commotus generi humano publicas calamitates, famem, pestilentiam, bellum & terræ motum justè immittit, imò tota regna, regiones, & maximas civitates interire & vastare jubet, teste experientia. *vid. Novell. 77. c. 1. §. 1.* horrendum hoc delictum jure Divino & civili capitale est, *Levitic. 24. v. 13. & seq. & d. Novell 77.* ratio est quia atrox injuria civi duntaxat (non dicam Regi) illata graviter punitur; quid ni ergò blasphemia, quâ Rex regum, & Dominus dominan-

minantium atrocissimè offenditur. Hîc nota, inter blasphemiæ species latissimè etiam refertur, si quis per caput vel capillum DEI juraverit, *caus. 22. q. 1. can. 10.*

Bona dicuntur ex eo, quòd beant, sivè beatos faciunt homines, iisque prosunt; beare enim est prodesse, *l. 49. ff. de verb. signif.* ergò illa propriè non possunt dici bona, quæ plus incommodi, quàm commodi habent, *l. 83. ff. ibid.* hinc bona intelliguntur cujusque, quæ deducto ære alieno (sivè debito) supersunt, *l. 39. §. 1. ff. de verb. signif.* nam quod ego alteri debeo, illud propriè non est meum, sed ad creditorem meum spectat; ideò illud non possum jure inter mea bona numerare. Cæterum bona generaliter considerata sunt in triplici differentia, vel sunt (1) bona fortunæ, ut divitiæ, vel (2) bona corporis, ut sanitas, pulchritudo, & agilitas corporis, vel (3) sunt bona animi, ut eruditio, sapientia, prudentia, eloquentia, humanitas &c. Ex his tribus generibus bona animi sunt Κυρίωτατα, h. e. præcipua & hominis propria; ratio est, quia perficiunt præstantissimam hominis partem, puta animum &c. juxta hæc tria bonorum genera homines singuli sæpissimè in jure considerantur, & alius ab alio distinguitur. (1) Juxta bona animi homines quidam sunt boni, quidam mali, *l. 1. §. 1. ff. de just. & jur.* quidam sanæ mentis, diligentes, idonei, docti; quidam contra furiosi, mente capti, prodigi, negligentes, inhabiles, indocti, &c. (2) Juxta bona corporis homines vel sexu differunt, vel ætate, vel valetudine & corporis firmitate. Ratione sexûs alii sunt mares, alii fœminæ; respectu ætatis alii sunt majores natu, alii minores; hi iterum vel puberes, vel impuberes, qui vel infantes, vel infantiæ aut pubertati proximi, quorum omnium maximæ & plurimæ in jure civili sunt differentiæ. Ratione valetudinis alii homines sunt sani, alii ægri, ut surdi, muti, cœci, perpetuo vel temporali morbo laborantes &c. quorum diversa ratio existit in excusatione tutorum, in restitutione in integrum, in torturis &. Juxta bona externa sivè fortunæ, alii homines sunt divites, & beati, alii pauperes & miserabiles, ut pupilli, egeni, viduæ; alii nobiles, alii ignobiles &c. quorum maxima in materia injuriarum, nuptiarum & testimoniorum habenda est ratio.

Bonitas est duplex, (1) naturalis, & (2) moralis; illa est sanitas, robur, integritas sensuum & corporis &c. hæc est, quæ à naturâ rationali, & virtute dependet, ut justitia, prudentia, temperantia, &c. Hæc duo bona, puta, naturalia & moralia inter se realiter distinguuntur,

quo-

quoniam non omne bonum naturâ tale est bonum morale: quod ex subsequentibus patet. Nam pessimus nebulo, pyrata & latro potest sanitate & robore corporis, judicio, memoriâ & felicitate ingenii præ aliis maximè excellere, h. e. habet bona naturalia multa in se: ast idem de bonitate morali ne micam quidem possidet, &c. dum bona sua naturalia arte, industriâ & virtute excolere noluit. Ex opposito, vir bonus sæpè caret bonis naturalibus, puta, sanitate & robore corporis; virtutem nihilominus ut bonum morale possidet; quandoquidem & valetudinarius, vel naturâ valdè debilis virtute, prudentiâ & justitiâ instructus esse possit. Interdum tamen accidere solet, ut bonitas naturalis & moralis in eodem subjecto simul existant: e. gr. si virtuosus præter bona moralia sanitate corporis sit præditus; ut autem scias, in quo consistat forma & qualitas boni moralis, consistit illa in conformitate cum rectâ ratione & lege; quod verò inde recedit, & exorbitat, est malum morale. Hinc formale rei moraliter bonæ est conformitas cum lege & rectâ ratione: & formale rei moraliter malæ est exorbitantia à lege & rectâ ratione. Ergò omnis res juri Divino, naturæ & rectæ rationi conveniens est res moraliter bona; & omnis res à rectâ ratione & lege, sive jure Divino & naturæ recedens est moraliter mala. Sic omnis actio mala est, quæ recedit à jure Divino, jure naturæ, & rectâ ratione.

Bona damnatorum regulariter hodiè non amplius confiscantur, & fisco cedunt, ut olim, excepto crimine læsæ Majestatis. *auth. bona damnatorum C. de bonis proscript. sive damnatorum.* Sed descendentibus vel ascendentibus vel collateralibus ad tertium usque gradum reservantur; & uxores dotem & donationem propter nuptias retinent illæsam, *d. auth.*

Bona regalis patrimonii vel coronæ non debent renunciationis titulo in benè meritos conferri, nisi consentientibus Reipubl. defensoribus: ratio est, quia ea bona sunt potius regni, quàm Regis, cui saltem commissa est bonorum istorum administratio, non verò alienatio.

C*Alamitas* matris non debet nocere ei, qui in ventre est, *l. 5. §. 2. ff. de stat. hom.* quia delicta duntaxat tenere debent suos autores, non verò alios, ut fœtum mulieris delinquentis innocentem; ideò etiam prægnantis mulieris supplicium differtur, donec pariat; nec quæ-

stio sivè tortura de tali delinquente habenda est prius, ne innocens partus injustè simul puniatur, *l. 3. ff. de pœn.*

Calculi error est error in computationibus factus. Veteres enim rationibus supputandis utebantur calculis: inde calculatores vocantur, qui operas suas in rationibus conficiendis computando & subducendo locant, *l. 7. §. 2. ff. de oper. libert.* quales hic Bambergæ & alibi inveniuntur, qui pro officialibus arithmeticæ ignaris rationes quotannis conficiunt: de talibus officialibus congruè dici potest, quod de indocto Secretario; est bonus Secretarius, sed non potest benè scribere.

Calumniatores in jure sunt, qui per fraudem & frustrationem alios vexant litibus, *l. 233. ff. de verb. signif. & l. 1. ff. de calumniat.* In causis criminalibus is dicitur calumniator, qui alicui sciens dolo malo falsum crimen intendit, *l. 1. §. 1. ff. ad Sct. Turpil.* qui meritò pœnam talionis patitur, vel infamiam incurrit, *l. 7. & l. fin. C. de calumn.* Olim lege Memmia calumniatorum frontibus litera K, ceu ignominiæ nota inurebatur, *l. 1. §. 2. ff. de his, qui not. infam.* ut alii exemplo admonerentur, ne idem linguæ vitium temerè sequerentur, quòd tamen ob hominum malitiam præcaveri nequit, cum linguæ nihil sit inaccessum. Non sunt immunes à criminationibus Principes terræ, quos extra ferri metum collocavit potentia: nec viri sanctitate conspicui, quos censuræ subduxit innocentia. Imò ipse Christus, cum inter homines degeret, linguæ flagellum non evasit. Ad horum exempla Christianus meritò patientiam suam erigere debet: quandoquidem stimulus quidam virtutis est obtrectatio & frænum, ne à recto virtutis tramite deviet Christianus; nullus tamen capitalior vitiorum hostis est, quàm censura. Cùm quis perperàm de te loquitur, doceris, quid caveas. Vis maliriosos venenatæ linguæ morsus cautè evadere, contemne eos, in quantum fama tua honestè permittit: nullum vulnus habebis, si tacueris, plus tribuens bonorum judicio, quàm criminantis insolentiæ, ne ab insipientium sermone dependere videaris.

Capitulatio Cæsarea est lex Germanorum Imperii, quam Imperator circa regiminis sui ingressum juramento confirmare debet, quod velit more Majorum sivè Antecessorum omnia juxta leges Imperii fundamentales fideliter administrare; hujus capitulationis articuli primarii sunt sequentes: (1) ut juret, se Ecclesiam & Rempublicam Imperii defensurum, pacem, concordiam & justitiam conservaturum;

rum; nec imperium diminuturum: (2) ut juret, se auream bullam, pacem publicam, religiosam & profanam, reliquasque Imperii constitutiones servaturum, & custoditurum: (3) ut juret, se Statuum per Imperium jura, libertates, dignitates, & quæcunque ab Imperio obtinuerint privilegia, confirmaturum. Nam in omnibus regnis & rebuspublicis moris est, quod nullus Rex vel Princeps prius regimini præficiatur, quàm sub certa capitulatione, certisque conditionibus sanctè promittat, se rempublicam more antecessorum juxta leges fundamentales benè administraturum: nec ulli Statuum sua privilegia iniquè diminuturum. Sic Carolus quintus sub sequenti capitulationis formula in Imperatorem electus est: So haben Wir als Römischer König den Churfürsten und Ständen alles und jedes versprochen und zugesaget/ bey unsren Königlichen Ehren/ Würden und Worten/ im Nahmen der Warheit/ thun dasselbig auch hiermit und in Krafft dieses Briefes; immassen Wir dann deßfalls einen leiblichen Eyd zu GOtt und seinem heiligen Evangelio schweren. Hîc quæritur, an Imperator, Rex, vel Princeps possit initam capitulationem contra suum juramentum præstitum pro arbitrio postea rescindere? Resp. quod non, nisi illa capitulatio aliquid contra pietatem, bonos mores, & naturalem æquitatem in se contineat, *l. 15. ff. de condit. instit.* ne Princeps votum DEO datum temerè contra conscientiam violet; dum per jusjurandum cum ipso DEO contractum credatur, *c. 6. X. de jurejur.* ideò inde temerè resilire nequit: cum per modum contractus capitulationem approbaverit; ubi valet regula, quæ ab initio sunt liberæ voluntatis, illa postea fiunt necessitatis, *l. 5. C. de oblig. & act.* hîc porrò quæritur, an capitulatio Majestatem Principis lædat? dum certæ conditiones ei præscribuntur à suis Imperii Statibus, quas in administranda Republica sanctè observare debet? Resp. quod non; quia digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se profiteri, *l. 4. C. de legib.* Ergò Princeps ideò superioritatem vel Majestatem non amittit, quia legibus Divinis, & legibus fundamentalibus per modum contractûs solenniter initis est subjectus. Nec Majestas in omnibus regnis & rebuspublicis est æquè magna, sed sicuti libertas alia est major, alia minor, ita Majestas gradus recipit; dum non naturæ, sed hominum opus est, ab arbitrio cujusque reipublicæ vel regni dependens. Sic Rex Galliæ, & Rex Daniæ majorem in suis

regnis-

regnis habent Majestatem, quàm Rex Angliæ, Rex Sueciæ, & Rex Poloniæ, &c.

Capitula sivè Collegia Canonicorum (juxta canones Ecclesiæ viventium) olim ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus Christianis eo præprimis fine sunt instituta, ut in iis religio Christiana conservaretur, religionisque Christianæ, artiumque liberalium studia, tanquàm in Sacrariis deposita, perpetuò exstantia vigerent, & ut pii fundatores, eorumque successores ad hæc collegia, tanquam ad Pythonis oraculum, in omnibus causis & casibus dubiis confugere possent, indeque veritatis eruendæ gratiâ dubiarum controversiarum tùm in religionis, tùm in statûs politici negotiis, valida responsa referrent. Ex hoc fundamento factum est, ut ex primariis cathedralibus Germaniæ Ecclesiis tres Archiepiscopi (puta, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis,) inter Electores Imperii summæ in Imperio Rom. post Imperatorem sint dignitatis & autoritatis; & ut in reliquis cathedralibus Ecclesiis Canonicorum & Capitularium Præses sivè Prælatus sit Episcopus & Princeps Imperii, *c.4. X. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Collegia hæc Germaniæ cathedralia primaria in religione Catholica sunt Illustrium familiarum columnæ & fulcra. Nam quoties familiæ illustres fortunam novercam invitæ experiuntur, vel sunt adeò prolificæ, ita ut omnes à parentibus pro familiæ dignitate & splendore elocari & dotari non possint; tunc quidam ex hisce illustribus familiis committi & dedicari solent cathedralibus Ecclesiis DEO inserviendi, fiuntque Capitulares; unde honorifica vitæ subsidia cum ampla dignitate consequuntur. Sic nemo Bambergæ & Herbipoli, &c. inter illustrissimos Dominos Capitulares numerari potest, nisi nobilitatem antiquam ab utroque parente, avis, proavis, & abavis plenariè demonstrare possit.

Capitulum vel Collegium regulariter non moritur, licet quidam ex capitulo moriantur; quoniam id ob perpetuam personarum surrogationem (ubi in demortuorum locum alii surrogantur) semper idem manet; hinc si casu contingeret, ut omnes ex collegio præter unum essent mortui, jus collegii in eum recideret, inque illo solo collegii nomen staret, & collegium per illum unicè conservaretur, *l. 7. §. fin. ff. quod cujusque universitatis nomine agitur.* Ex opposito, Collegium per pauciores, quàm tres constitui nequit, *l. 85. ff. de verb. signif.* sed tres ad minimum faciunt collegium.

Caput hominis dicitur nobilior & principalior ejus pars, *l. 44. ff. de relig. & sumpt. fun.* in quo rationis sedes, & totius corporis regimen est. Ideò caput synechdochicè accipitur pro toto homine, *l. 2. ff. de publ. judic.* quo sensu jura dicunt: quod noxa caput sequatur, *l. 2. ff. si ex noxal. caus. agatur.*

Carcer ad custodiam non ad supplicium inventus est, h. e. ad continendos, non puniendos homines, *l. 8. §. 9. ff. de pœn.* Quamvis tamen carcer non sit absque afflictione vitæ, famæ, corporis & bonorum; ob id etiam vocatur mala mansio, *l. 7. ff. depositi.* Ast jure canonico interdum puniuntur delinquentes ob criminis atrocitatem perpetuâ carceris pœnâ ad pœnitentiam agendam, *c. 3. de pœnitent. in 6to.*

Carcerem, vincula, torturam, vel fustigationem injustè passus non notatur infamiâ; ratio est, quia non quivis cruciatus, sed causa, propter quam cruciatum justè patitur, infamat, *l. 22. ff. de his, qui notantur infamiâ.*

Cardinales sunt Romani Pontificis Senatores primarii, Consiliarii, Coadjutores, Assessores, & Electores, cum quibus Pontifex judicium Sacrum exercet; quorum autoritas tanta, ut in jure publico Regibus pares & Principibus superiores censeantur, *teste Lymnæo.* Hinc fit, ut Cardinalem graviter & dolosè lædens, dicatur crimen læsæ Majestatis commisisse. Cardinales in primitiva Ecclesia & tempore Justiniani Imperatoris anno 527. & seqq. propriè & titulo tenus non fuerunt, quia eorum in toto corpore juris non fit mentio; in quo aliàs omnia dignitatum Ecclesiasticarum officia specialiter recensentur. Verùm haud longè post à Pontifice Gregorio Magno, circa finem seculi sexti post nativitatem Christi creati & introducti sunt. Cardinales dicuntur à cardine, quia Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, cui inserviunt, sunt quasi cardo & axis, circa quam Ecclesia Catholica sic piè & prudenter volvitur, ac fortiter regitur, sicuti ostium, imò cœlum circa axin, Præside ac Gubernatore Pontifice Rom. Cardinales sunt numero 72. ad imitationem discipulorum Christi, suntque in triplici differentia; (1) quidam sunt Episcopi, (2) quidam Presbyteri, & (3) quidam Diaconi, à quibus omnibus eligitur summus Pontifex. Inter Cardinales quâm maximè eminet Serenissimus Cardinalis Badensis Gustavus Bernhardus, qui ut regio sanguine natus, & duplici principatu Fuldensi & Campidonensi donatus est; ita omnibus regibus virtutibus instru-

ctus exemplar Præsulum & pietatis publicè præ se fert; quem ego, ut Consiliarius ejus, intra sesqui anni spatium cum summa animi admiratione ob generosissimas ejus actiones non satis condignè æstimare potui, in victu & amictu perquam simplicem, &c.

Carnifex decollando, suspendendo, vel rotâ quassando delinquentem justè condemnatum, in conscientia non peccat; quia id non ex quadam malitia contra leges, sed jussu Magistratûs officium suum facit, cum tantùm sit minister justitiæ & non suorum affectuum, *caus. 23. q. 5. can. 29. & 37.* & sicuti miles autoritate Principis hostem interficiens non peccat, sic nec carnifex ceu minister justitiæ, autoritate & jussu Magistratûs latronem, homicidam, furem, &c. occidens, peccare intelligitur.

Casus fortuitus est ille, quem nullum humanum consilium prævidere vel præcavere potest; *l. 2. §. 7. ff. de administrat. rerum, ad civitat. pertin.* ideò cessante dolo & culpâ, casum nemo in ullo contractu regulariter præstat: ratio est, quia est fortuitus & inopinatus eventus, quem prudentissimus præcavere non potest, *l. 23. ff. de R. J.* quales sunt rapina, aquarum magnitudo, hostium & pyratarum incursus, mors animalium &c. talis casus dicitur etiam fatalis, & improvisus. Ergò si quis rem commodatam, locatam, vel alio titulo habeat, eamque casu absque suo dolo & culpâ amittat, eam solvere non obligatur; quia in hisce casibus res perit suo Domino, non alii, penes quem res fuit fatali casu superveniente. Nota, quoties res, penes alium existens, casu periisse dicitur, is, penes quem res fuit, regulariter quidem ob casum Domino non obligatur ad refusionem damni; in triplici tamen casu extraordinariè obligatur, (1) si cõtrahens (commodatarius, conductor &c.) expressè casum præstandum domino promiserit, omneque periculum in se susceperit, *d. l. 23.* contractus enim ex conventione legem accipiunt, *l. 1. §. 6. ff. depositi.* (2) si dolus vel culpa casui intervenerit, *l. 5. ff. de reb. credit.* e. gr. si caupo locaret Titio equum, ut eo veheretur Norinbergam; ast si Titius inscio caupone proficisceretur Francofurtum, in via autem spoliaretur equo locato; quo casu teneretur cauponi præstare casum, ac solvere equum; quia Titii culpa casum conciliavit. (3) si casum præcesserit mora injusta, ob quam res periit, *d. l. 23.* Nota, furtum inter casus fortuitos non refertur, quia id regulariter circumspecti hominis diligentiâ & prudentiâ evitari vel præcaveri potest, *l. 52. §. 3. ff. pro socio.*

Cathe-

Cathedralium Ecclesiarum in Germania fundator primus fuit Carolus Magnus, qui Episcopis, præter decimas & aliquot agrorum jugera cum colonis, plures ditiones ex pia liberalitate concessit in Ecclesiarum augmentum; hinc etiam postea certis legibus statutum fuit, ne ullum consecraretur templum, nisi illud dotem haberet in fixis reditibus ad templum illud sartum tectum conservandum, ad luminaria, ad vasa, & ad ministrorum sustentationem, *Novell. 67.* Inde factum est, ut Imperatores, Reges & Principes successu temporis non modò certa prædia, pagos & villas ex devota quadam munificentia Ecclesiis dederint in veræ religionis augmentum; verùm etiam civitates, oppida, castra, aliaque dominia temporalia, & jurisdictiones piè donaverint, imò integros Ducatus & Comitatus Ecclesiis plenariè assignaverint: sic opes Ecclesiarum sensim creverunt. Otto I. Imperator Cathedralibus Ecclesiis dominia temporalia & jurisdictiones, ut & peculiaria insignia primùm dedit, qui Archiepiscopos & Episcopos Ducatibus, Comitatibus & Baroniis primùm communivit, ut præter spiritualem jurisdictionem juribus ac regalibus, adinstar Principum secularium, in suis ditionibus liberè uti possent; sic Episcopi Imperii Principes sunt effecti; bonaque Ecclesiastica, ut feuda Imperii regalia ab Imperatore possident.

Causæ vox dupliciter in jure accipi solet. (1) Causa accipitur pro ipso negotio controverso, quam hodiè dicimus facti speciem sivè casum; (2) causa accipitur pro argumento ex casu sivè specie facti desumto, quod argumentum, cum ex eodem casu oriatur, prò personarum diversitate est diversum; ex parte actoris est ad actionis suæ susceptæ intentionem fundandam; & ex parte rei est ad fundandam exceptionem, sed ex conflictione utriusque argumenti oritur status causæ, sivè negotii controversi, &c. Secundum Philosophos sunt quatuor causarum genera, quibus in jure etiam utimur; (1) est causa efficiens, (2) materia, (3) forma, & (4) finis. Nam quando res aliqua fit in mundo, non fit à se ipsa, sed ab alio aliquo; hoc est, à causa efficiente. Sed efficiens causa non facit aliquid ex nihilo; ratio est, quia ex nihilo nihil fit, intellige Physicè, juxta naturalem modum; non autem Metaphysicè & supernaturaliter: nam Deus coelum & terram ex nihilo creavit. Ergò causa efficiens in sensu Physico seu naturali rem facit ex aliquo, h. e facit eam ex aliqua materia: dum verò causa efficiens debet aliquid novi

efficere, & in materiam novam formam introducere; inde oritur forma: sic sutor in corium introducit novam formam, dum è corio conficit calceum: sic sutor est causa efficiens calcei, & autor formæ introductæ. Denique causæ per se agentes & præsertim intellectivæ non agunt temerè, sed certum sibi semper finem habent propositum; ergò etiam datur finis: quicquid enim agitur, semper ob certum finem propositum agitur: sic 4. dantur causæ: inter has causas excellunt materia & efficiens, quæ sunt extrinsecæ. Intrinsecæ verò sunt forma & finis. Finis non existit in rerum natura, qui dicitur causare, & materia à solo DEO creatur & conservatur.

Causæ criminales sunt, quæ vel vitam delinquentibus adimunt, vel manum, aut aliud membrum amputant, vel famam lædunt: his annumerantur fustigatio & relegatio.

Causæ Ecclesiasticæ & Spirituales ad Cameram Imperialem ceu forum seculare in Imperio R. summum non devolvuntur, quales sunt crimen hæreseos, adulterium, causæ matrimoniales, simonia, &c. Sed ad forum Ecclesiasticum spectant, ibique tractandæ sunt, ne confundantur fora & jurisdictiones.

Causæ spirituales conscientiam, animam & religionem concernunt, in his causis semper sequimur Jus Canonicum, licet Jus Civile contrarium statuat: item quoties in Jure Civili aliquid est dubium, controversum, vel non decisum, & illud in Jure Canonico clarè decisum est, tunc Juris Canonici decisioni standum est, *attestante Gailio 1. observ. 105.* quod fit ob naturalem æquitatem, quâ Jus Canonicum semper nititur.

Causa civilis quid operatur, & quò usque se extendit? Resp. cessante causâ (scilicet impulsiva, efficiente & finali) regulariter cessat effectus; excipe, nisi effectus jam sit impressus & consummatus. Ergò mortuâ uxore meâ, quæ erat causa affinitatis inter me & uxoris meæ consanguineos, non statim tollitur affinitas jam antea contracta cum ejus consanguineis, *§. 7. Inst. de nupt.*

Cautio in genere est satisfactio, quâ creditorem vel adversarium securum reddimus ad suum consequendum; quod regulariter fit fidejussoribus vel pignoribus. Cautio judicialis fit duplici modo, vel (1) respicit ipsas personas litigantes, vel (2) respicit ipsam litem. Prioris generis sunt duæ sequentes cautiones, quales sunt (1) cautio de judicio sisti, & (2) cautio rem ratam haberi. Posterioris generis est cautio judicatum solvi; sic actor solet cautionem præstare, quod

quod usque ad finem litis in judicio permanere velit, *auth. generaliter C. de Episcop. & Cleric.* Item si causa cadat in judicio, quod expensas litis solvere velit, *d. auth. & Novell. 112. c. 2.*

Cautio in sensu civili dicitur securitas; hinc dicit JCtus Pomponius, quod plus cautionis sit in re, quàm in persona, *l. 25. ff. de R. J.* hoc est, nulla cautio creditorem reddit securiorem, quàm pignoris datio; tutius enim est rem sibi pignore habere devinctam, quàm in personam agere, vel fidejussorem habere: ratio est, quia fidejussor creditorem fallere potest, qui nonnunquam labitur facultatibus, nonnunquam foro, vel bonis cedit, interdum etiam dolosè creditum negat, vel abjurat. Contra, in pignore magna est securitas; oppignoratio enim & jus in re consistens quemlibet possessorem cum suo onere comitatur, *l. 2. C. de hereditar. action.* Ideò actiones reales contra quemlibet possessorem exercentur, etiamsi res oppignorata in mille manus pervenerit, *§. 1. Inst. de action.* actiones verò personales tantum infixæ sunt in persona obligati, *l. fin. ff. de de contract. empt.*

Cautio moralis in causis & casibus periculosis justissimè expetitur: hinc quoties quis violentam offensionem justè metuit, tunc licitè potest judicem ordinarium supplex rogare, ut alter, à quo se violari metuit, sibi idoneam cautionem de non offendendo præstet. *arg. l. 5. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* quoniam cautio hæc est legitimum præsidium, quod judicis autoritate justè timenti datur; quo casu quis sibi, suisque cautè consulit contra violentiam, & intentata mala: sed hæc cautio sivè securitas tunc demum peti debet, si justus metus violationis subsit, qui in constantem virum cadere potest *l. 6. ff. quod metus causa & l. 3. §. 5. ff. de vi & vi armata.* e. gr. si homo ferox vel dissolutus alteri capitaliter minetur, quod velit ipsum occidere, verberibus excipere, vulnerare, ædes ejus incendio consumere &c. ubi tamen quis tunc demum ad hanc cautionem de non offendendo præstandam astringitur, si testibus plenè probari possit, illum tam hostilia minatum esse; tales cautiones in aliorum securitatem regulariter idoneis fidejussoribus vel sufficientibus pignoribus præstari solent &c. quod si verò quis ob vanam saltem suspicionem, vel levem metum cautionem hanc petat, nihil efficit, sed frustra id tentat.

Cautionem sive satisdationem actor & reus in judicio, juxta jus civile, regulariter fidejussoribus præstare obligantur, ne judicium eluda-

 tur;

tur; hinc cautionem actor præstat coram judice, dato fidejussore, quâ promittit, se ad finem litis causam persequi velle; & si in judicio convictus fuerit, se calumniosè vel injustè movisse litem, decimam partem litis reo præstiturum ob temerarium litigium. Cautio hæc moribus nostris non observatur; sed actor sequentem cautionem præstare cogitur, se damna & sumtus litis (si causa cadat, vel quòd idem, in casum succumbentiæ) reo restituturum. Contrà, reus duplicem præstare cogitur cautionem, (1) cautio est de judicio sisti, quæ fit datis fidejussoribus, *vide t. ff. in jus vocati ut eant, aut satis vel cautum dent*, quòd judicio ad causæ controversæ exitum adesse velit. Altera cautio, quam reus præstare tenetur, est judicatum solvi, *vide t. ff. judic. solv.* hanc ultimam reus hodiè regulariter præstare non solet, nisi sit suspectus de fugâ, tunc eam præstare debet. Reus etiam interdum cautionem præstare cogitur de non offendendo actorem, si ei fortè minatus sit vim, sitque talis homo, qui minas exsequi solet. Procurator quoque rei nomine agens cautionem judicio sisti & judicatum solvi præstare obligatur; ideò procuratores, ne in damnum incurrant, in suis mandatis inseri curant clausulam de procuratore indemni servando, & à cautionibus, quas præstiterit, relevando. Dantur prætereà variæ cautiones, ut cautio damni infecti, quando veremur damnum ædibus vel agris nostris futurum, quod avertere petimus per cautionem de damno infecto: ideo si nobis postea damnum à vicino inferatur, id resarcire debet, de quâ agitur, *t. ff. de damn. infect.* item cautio juratoria, cautio nuda, &c. *t. ff. qui satisdare coguntur.* quas omnes recensere & explicare, à meo instituto est alienum. Cæterum cautionem, rem ratam haberi, præstare cogitur actoris Procurator, quando de mandato ejus dubium est, num à suo principali acceperit, vel non; hac enim cautione comprobat Procurator, ut omnia, quæ à se in judicio geruntur, principalis sui voluntate & jussu fieri credantur.

Census est civium vel bonorum descriptio publica in tabulis publicis, tributi definiendi & exigendi causa. *l. 3. pr. & l. 4. ff. de censib.* indè patet, quòd census sit duplex, (1) est census personarum, & (2) est census bonorum. Census personarum est, quando cives vel subditi nomina sua, uxorum, liberorum, & servorum suorum coram Magistratu profiteri coguntur, & cujus ætatis sint. Census bonorum est, quando patresfamiliâs sua prædia tàm urbana, quàm rustica,

ea, supellectilem & pecuniæ numerum edere coguntur, *l.64.ff. de acquir. rer. dom.* hincin crimen defraudati censûs incidunt, qui non omnia sua bona, quæ habent, in censum expresse deferunt, *l. 53. ff. de judic.* quod ob eam rationem fit, quia tributa præstantur à subditis, vel pro modo patrimonii, vel pro capite; excipe, nisi vel immunitas vel ætas aliquem à tributis excuset, *d. l. 3. pr. ff. h. t.* Hic sciendum, quod prædia & res immobiles eo loco, ubi sita sunt, in censum regulariter computentur, *l. 4. §. 2. ff. de censib.* Quod si verò mercator vel opifex bona immobilia non habeat, tunc eorum negotiationes bonis immobilibus annumerantur, ut pro lucro ex commerciis & opificiis percepto tributum pro negotiorum qualitate solvant, *l. 5. §. 3. ff. de jur. immunit.*

Cessio bonorum est actus, quo debitor ære alieno prægravatus, omnia sua bona sponte dimittit, & creditoribus suis, ad effugiendas vinculorum & servitutis injurias offert, *l. 4. C. qui bon. ced.* ut solutis utcunque debitis molestiam carceris & rigorem creditorum tempestive evitet. Cessio hæc bonorum dicitur flebile & miserabile beneficium, *l. 7. & 8. C. qui bonis cedere poss.* quia cedens bonis postea panem ostiatim, aut duris manuum laboribus quærere cogitur, nisi fame perire velit, cum creditores ei omnia eripiant, & ad peram usque excutiant. Hæc bonorum cessio debitoribus obæratis conceditur, ad effugiendum carcerem, & alios corporis cruciatus, aliaque incommoda, quibus à creditoribus affici solent. Causa efficiens cessionis est voluntas debitoris, æs alienum confitentis *l. 6. C. h. t.* & ex duobus malis minimum eligentis, qui bonis cedere, quàm gravius quid perpeti mavult, puta, creditorum vexationes, & carceris molestias. Materia cessionis sunt omnia debitoris bona: quoniam debitor cedens usque ad peram & ultimum quadrantem à creditoribus excutitur *l. 4. C. h. t.* Forma est, ut creditores ad actum bonorum cessionis certo constituto tempore à Magistratu citentur, ad debita juratò, vel publicis documentis validè indicanda in ædibus debitoris, & ut debitor omnia sua bona coram creditoribus indicet, ac cedat. Finis est, ut carceris molestias, & creditorum vexationes mediante bonorum cessione evitet debitor. Ne autem creditoribus præsertim privilegiatis in concursu creditorum injuria fiat, dum omnes creditores promiscuè ad cessa bona dividenda proportionaliter admittantur, ideo creditores hodiè in quinque classes accuratè dispescuntur, qui juxta classes saltem ad bona debito-

ris

ris admittuntur. In prima classe sunt illi saltem creditores, quibus competit speciale privilegium personale, & jus prælationis; tales creditores sunt, (1) qui res exstantes jure dominii repetunt, ut deponentes, & (2) uxores, quæ dotem & res paraphernales à marito bonis cedente in concursu creditorum exigunt, (3) venditores, qui sibi hypothecam in re vendita specialiter reservarunt (4) qui rem jure hypothecæ sibi jam antea habuerunt obligatam, quàm debitor illam emit, (5) sumtus funeris in sepulturam debitoris collocati, (6) salaria servorum & ancillarum, (7) tributa, canon emphyteuticus, decimæ &c. Ad 2dam classem referuntur (1) creditores hypothecam cum privilegio personali habentes, qui præferuntur omnibus creditoribus anteriorem etiam hypothecam habentibus, quales sunt mulieres in bonis mariti ratione dotis non amplius exstantis, *l. 12. C. qui potior in pignor.* (2) qui ad refectionem vel conservationem domûs, vel alterius rei pecunias specialiter crediderunt, & res illa sivè domus ruinosa indè reparata est. (3) qui ad emendam domum, vel aliam rem nummos mutuò dederunt sub illa cautione, ut rem sibi eo nomine habeant oppignoratam, *l. 7. C. qui pot. in pign.* Ad 3tiam classem referuntur nudi hypothecarii, qui rem sibi vel expressè, vel tacitè habent oppignoratam. Ad 4tam classem spectant creditores, qui non hypothecam, sed saltem personale privilegium habent, cujus beneficio præferuntur reliquis nudis chirographariis, quales sunt (1) deponentes in bonis debitoris, si res deposita non amplius existat, *l. 24. §. 2. ff. de reb. auth. jud. possid.* (2) si alicui alimenta debeantur &c. In 5ta classe sunt simplices chirographarii, qui reliqua, quæ ex bonis debitoris supersunt, pro rata dividunt. Hic in concursu creditorum circa bona debitoris cessa inter creditores proportionaliter dividenda inprimis notandum, quod creditores ex prima classe primò omnium exclusis reliquis admittantur, ut illi sua credita prius consequantur, postea demum illi admittuntur, qui sunt ex 2da classe, deindè demum isti ex 3tia classe, & sic consequenter.

Cessio bonorum regulariter non infamat debitorem ære alieno prægravatum *l. 1. & 4. C. qui bon. ceder. poss.* excipe nisi debitor datâ operâ patrimonium dilapidaverit; *l. 11. C. ex quibus caus. infam. irrog.* quoniam multi honesti viri Mercatores, Nobiles & alii, fortuitis casibus, vel fortunæ novercantis injuriâ, præter spem & meritum bonis

bonis suis privantur, qui potius misericordiâ, quàm pœnâ aut ullâ infamiâ digni sunt.

Charitas ordinata incipit à se ipsa, *l. 6. C. de servit. & aqua.* Ex hoc fundamento non teneor alterius salutem promovere, neglectâ propriâ. In quantum verò salvâ meâ salute, salvisque propriis meis juribus, proximum juvare possum, in conscientia obligor. Id enim homo cum omnibus animantibus habet commune, ut se ipso nihil habeat carius; se ipsum, suasque res præ aliis quovis honesto modo & mediis licitis conservare studeat; & ut ea, quæ sibi videntur bona & grata, acquirere nitatur: et ea, quæ sibi mala videntur, à se pro viribus repellat, seque per omnia & in omnibus indemnem ac incolumem contra malitiosorum attentata & insultus conservet, ac plenariè defendat.

Circuitus sivè ambages in negotiis civilibus sunt evitandæ, *l. 53. ff. de condict. indebiti:* ratio est, quia frustrà fit per plura & ambages, quod fieri potest per pauciora, sivè viâ rectâ; nihil enim in judicio fieri debet, quod factum non relevat, *l. 14. §. 1. ff. ut legator. nomine caveatur*, aut negotium controversum non promovet; quoniam causæ controversæ iis obstaculis remanentibus in totius reipublicæ perturbationem magis magisq; aluntur ac foventur.

Circuli Imperii quot sunt? Resp. Sicuti omnia regna & imperia in certas provincias dividi solent, ut de Gallia, Italia, Hispania, Dania, Suecia, &c. constat; sic Imperium Romanum cum omnibus Statibus Imperii in 10. Circulos (in zehen Creiße) sive districtus à Carolo V. est divisum, *Receß. Imper. Norinbergens. anno 1522. tit.* Erklärung des Land-Friedens. Hi Circuli Germaniæ sunt congeries multarum provinciarum vicinarum, quæ omnes ob suum commune bonum & salutem certo tempore & loco congregari, deq; negotiis publicis deliberare solent. (1) Circulus est Austriacus, sub quo Comitatus Tirolensis comprehenditur. Director ejus Circuli est Dux Austriæ. (2) Est Burgundicus, cujus Director est Rex Hispaniæ & Archiepiscopus Bisantinus. (3) Est Circulus Electoralis Rhenanus inferior, (der Niederreinische Creiß) sub quo 4. Electores, ut Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, & Palatinus, unà cum quibusdam Prælatis, Comitibus, & Baronibus, sedes suas ibi habentibus, comprehenduntur: hujus Circuli Directores sunt omnes 4. Electores. (4) est Circulus Saxonicus superior, sub quo Electores duo, nimirum Saxonicus & Brandenburgicus, ut & Episcopi

ſcopi ſequentes, Miſnenſis, Mersburgenſis, Naumburgenſis, Brandeburgenſis, Havelburgenſis, Libuſienſis: Item Principes Saxoniæ & Pomeraniæ, unà cum Prælatis, Comitibus & Baronibus territoria ibi habentibus, comprehenduntur: hujus Circuli Director eſt Elector Saxoniæ. (5) Circulus Francicus, ſub quo ſunt tres Epiſcopi, Bambergenſis, Würtzburgenſis, & Aichſtadienſis, ut & Burggravius Norimbergenſis; item Prælati, Comites, Barones, & civitates liberæ ejusdem diſtrictûs. Director eſt Celſiſſimus Princeps & Epiſcopus Bambergenſis. (6) Circulus Bavaricus, ſub quo ſunt Archiepiſcopus Salzburgenſis & tres Epiſcopi, nimir. Epiſcopus Ratisbonenſis, Friſingenſis, & Paſſavienſis, item Duces utriusque Bavariæ, ut & Landgravii Leuchtenbergenſes, unà cum Prælatis, Comitibus & Baronibus, territoria vel bona ſua ibi habentibus. Directores hujus Circuli ſunt Archiepiſcopus Salzburgenſis & Dux Bavariæ. (7) Eſt Circulus Suevicus, ſub quo ſunt Epiſcopi tres, ut Curienſis, Conſtantienſis, & Auguſtanus, Abbas Campidonenſis, Duces Würtenbergenſes, Marchiones Badenſes & Societas S. Gregorii, unà cum Prælatis, Comitibus & Baronibus. Directores hujus Circuli ſunt Epiſcopus Conſtantienſis, ſive Coſtnienſis & Dux Würtenbergenſis. (8) Circulus eſt Rhenanus ſuperior, (der Oberreiniſche Creiß) ſub quo ſunt Epiſcopi 4. ut Wormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis, Baſilienſis: Abbas Fuldenſis, Duces Bipontini, & Simerenſes, Dux Lotharingiæ, Landgravii Haſſiæ, unà cum Prælatis, Comitibus & Baronibus, & Civitatibus liberis, circumcirca ibi jacentibus. Director eſt Epiſcopus Wormatienſis, & Dux Bipontinus. (9) Circulus eſt Weſtphalicus, ſub quo ſunt 5. Epiſcopi, ut Paderbornenſis, Leodienſis, Trajectenſis, Monaſterienſis, & Oſnabrugenſis, item Duces Juliacenſes, Bergenſes, Clevenſes, Geldrienſes, Comites Naſſovienſes, Seinenſes, Iſenburgenſes, & cæteræ regiones usque ad Moſellam, unà cum Prælatis, Comitibus, Baronibus & liberis Civitatibus ibidem ſitis. Directores hujus Circuli ſunt, Epiſcopus Monaſterienſis & Dux Juliacenſis, (Brunſvicenſis) (10) Circulus eſt Saxonicus inferior, ſub quo ſunt Archiepiſcopus Magdeburgenſis & 8. Epiſcopi; puta, Bremenſis, Hildeſienſis, Halberſtadenſis, Lubecenſis, Ratzburgenſis, Suſſienſis, Mindenſis, & Verdenſis; ut & Duces Brunſvicenſes, Luneburgenſes, Megapolitani, (ſcil. Guſtrovienſis & Suerinenſis) Holſatienſis, Lauenburgenſis, una cum Prælatis, Comitibus,

tibus, Baronibus, & 6. Civitatibus liberis, huic districtui ad Oceanum usque subjectis. Directores hujus Circuli sunt Administrator Magdeburgensis & Dux Luneburgensis. Hi decem Circuli solent habere Conventus Circulares, (Creiß-Täge) qui sunt vel universales, vel particulares. In universalibus omnes Circuli conveniunt; in particularibus verò unus vel quidam saltem Circuli convenire solent, deliberantes de certis negotiis publicis. Cæterum conventus Circulorum sunt vel ordinarii, vel extraordinarii; ordinarii Circulorum conventus habentur de pacis publicæ conservatione, de sententiarum & mandatorum Imperialium executione contra contumaces; de contributionibus, de monetis probandis vel improbandis &c. Extraordinarii sunt, qui ob præsentem necessitatem Circulis Imperii ab Imperatore injunguntur, *Receß. Imper. de anno 1555.* Ex dictis patet, Bohemiam esse in nullo Imperii Circulo, quamvis sit membrum & feudum Imperii; nec ad Comitia & conventus Imperii vocari, nec contributionibus, aliisque Imperii oneribus, vel constitutionibus Imperii esse obnoxiam, *Receß. Imper. anno 1500. rubr.* Wie man mit dem König. *& Receß. Imp. anno 1551.* §. 53. &c. quod Bohemia ex speciali privilegio sibi vindicat & conservat.

Citatio & in jus vocatio hodiè idem significant; citatio hodiè non amplius fit autoritate privatâ, prout olim licitè fieri consuevit, ut quis quemlibet pro arbitrio statim citare & in jus vocare possit; sed publicâ autoritate per decretum judicis. Ideò, quando quis cum alio in judicio coram judice litigare vult, tenetur actor libellum supplicem unà cum libello actionis judici offerre, & sic rogare judicem, ut pars ejus adversa citetur. Quòd si judex ex oblato libello & facti specie generaliter colligat, actionem actori competere, tunc citationem & per consequens processum decernit, reoque citationem, unà cum libello actionis, in quo facti species summatim expressa, transmittit. Sin verò actor in supplicatione suâ judici oblatâ speciem futuræ litis non exposuerit, nec libellum actionis supplicationi adjunxerit, ut judex primò; & deinde citandus causam citationis in genere statim scire, seque ad defensionem præparare possit, judex citationem non decernit; item si actor citationi causam controversam breviter non adjungi curaverit, eamque reo non communicaverit, citatio reum ad comparendum necessariò non obligat, vide *Receß. Imper. Spirens. de anno 1557. §.* Ferner nachdem/

 ratio

ratio est, quoniam omnis citatio ob duplicem finem instituitur, (1) ut reus definito tempore in judicio compareat, & (2) ut se ad defendendum intra 20. dies præparet, quod facere non potest, si citationi libellus actionis, vel species facti breviter non adjungatur, ut inde pateat, ob quam causam reus sit citatus. Citatio & editio actionis hodiè sunt tempore simul; hinc *in Recessu Imperii de anno 1654. §. 34.* sequentia formalia sunt, daß der Kläger seinen libell summarischer Weise formire / worinn das factum kurtz und nervosè, doch deutlich und distinctè begriffen / mit angehengter Bitte/daß judex Gegentheil citiren wolle (und selbigem / nebst der citation, libellum actionis durch den Kammerbotten insinuiren lassen / damit der citirte auf solche Weise causam controversam können sehen / und sich reiflich bedencken / ob er hierinn wolle weichen / oder den bevorstehenden Process fortsetzen. Hic occasionaliter quæritur, si quis in judicio ob causam legati controversi sit præsens, num is ab actore ob causam emptionis, cessante citatione cogi possit, ut statim ad ejus intentionem & intentatam actionem respondeat? Resp. quod non, quia quilibet reus benè præparatus ad respondendum in judicio comparere debet, ne sibi ex quadam mentis præcipitantia injustè noceat. Ergò ob quamlibet causam specialiter citandus est reus.

Citatio est duplex, (1) verbalis, & (2) realis. Verbalis citatio est, cum quis auctoritate judicis in judicium vocatur. Citatio verbalis variè fit; vel fit (1) vivâ voce in faciem citandi; vel (2) ad domum ejus, qui citatur; vel fit (3) in scriptis, & quidem simpliciter, vel peremptoriè. Citatio edictalis est, quando quis per edictum publicè affixum citatur, quod fit, quando reus latitat. Realis citatio est, quando reus per ministros publicos jussu judicis apprehenditur, & ad judicium vel carcerem contra voluntatem ducitur, quod regulariter fit in causis criminalibus, quando reus metu pœnæ comparere non audet, causamque suam in judicio defendere. Interdum etiam fit in civilibus, quando reus est suspectus de fuga, vel est contumax, dum Magistratûs citationem & jussum temerè spernit. Hic porrò notandum, ut ut citatio dicatur principium & fundamentum judicii, *§. fin. Inst. de pœn. temerè litigant.* ac processûs initium; attamen judicii sivè litis exordium propriè à litis contestatione demum incipit, *c. 27. X. de offic. & potest. judic. delegat.* ratio est, quia ante litis contestationem nemo dicitur agere vel petere, sed agere

agere vel petere velle, *l. 15. ff. rem ratam haberi.* Hæc litis contestatio est tanquam lapis angularis,& maximum fundamentum judicii, quâ deficiente nihil super ædificari potest, *§. fin. Inst. de pœn. temer. litig.* Nam cessante litis contestatione,sententia definitiva ferri nequit, *c. 5. X. ut lite non contest.*

Citatio valida debet habere 6. requisita,(1) ut in illa exprimatur nomen judicis citantis: ratio est, ut citatus indè cognoscat, utrum à judice competente sit citatus, nec ne; quoniam nemo supra jurisdictionem, vel extra territorium aliquem validè citare potest, *l. fin. ff. de jurisdict.* (2) ut in citatione nomen & cognomen citandi absque æquivocatione perspicuè exprimatur, ut indè certò cognoscat citandus, citationem ad se pertinere; ne alius pro alio per errorem citetur, e. g. Si citandus nominetur Petrus Stephani, & pro illo ex errore nominis citaretur Petrus Pauli; quo casu citans tanquam temerarius litigator condemnatur in expensas. (3) ut in ea nomen & cognomen citantis exprimatur, ut citatus de eo, qui ipsum auctoritate judicis citari curavit, certus sit, secumque deliberare possit, utrum contendere, an cedere velit, *c. fin. X de rescript.* (4) ut in citatione generaliter exprimatur causa, ob quam quis citatur; ad hoc ut instruatur, super quo convenitur, *c. 2. X. de dilat.* ut sic paratus ad respondendum accedere possit. (5) in citatione locus judicii exprimendus est, ne citatio sine loci adjectione & expressione sit dubia, & planè nulla, *l. 5. §. 1. ff. de novi oper. nunciat.* (sed hoc intelligendum est de judice delegato, non verò de ordinariis judicibus, hi enim certum & determinatum judicii locum habent.) Si enim citatus locum judicii ignoraverit, comparere non potest; deindè ut citatus sciat, utrum locus in citatione definitus sit tutus, vel utrum tutò ad eum pervenire possit: nam citatus ad locum non tutum comparere non cogitur, vide *Clement. pastoralis. §. notorium de sententia & re judic.* ratio est, quia nemo tenetur periculo se temerè exponere. Ob eam rationem citatus non obligatur comparere in loco, ubi pestis grassatur, qui locus ratione contagii non habetur tutus, cum quilibet etiam salutis suæ rationem habere debeat. (6) in ea exprimatur dies & terminus comparendi, ut citatus sciat, num dies sit juridicus, vel non; quoniam die feriato comparere non cogitur, *l. 2. ff. si quis in jus vocat. non ierit.* Judices prudentes, ad præcavendas cavillationes & disputationes, solent interdum citationi adjicere clausulam: compareas tali die; quod si illa non sit ju-

ridica, compareas sequenti die juridica; quam clausulam observat Camera Imperialis. Notandum, quod judex citationem die feriato decernere licitè possit, sed ut ad diem non feriatum compareat reus. Actus enim citationis non est judicialis, sed extrajudicialis, adeòque eam domi facere potest; item judici licet executionem citationis die feriato facere per nuncium, vel Notarium; quia illa nullam causæ cognitionem requirit. Cœterùm terminus in citatione expressus non debet esse nimis brevis, ut citatus intra illum ad locum judicii destinatum commodè venire possit, aliàs non valet, *l. 5. ff. quod vi aut clam.* In civilibus terminus brevis est 10. dierum, *l. 68. & 69. ff. de judic.* ast in Camera Imper. tempus est arbitrarium; ubi judex pro locorum distantia terminum definit, intra quem reus comparere debet. Quod si actor ad vexandum reum, quem citari curavit, emanserit, litemque diu protelare intenderit, quo casu actor cogitur reo reddere viatica & sumtus litis, *l. 79. ff. de judic.* nec antè ad agendum iterum admittitur, quam refuderit expensas, & sufficientem præstiterit cautionem de lite prosequendâ. Hic porrò notandum, quod actoris contumacia censeatur fœdior & gravior, quàm rei; actor enim litem incipit, quam ideò prosequi jure tenetur, nisi calumniator censeri velit, qui falsis litibus homines vexare pro delectamento habet. Rei verò proprium est fugere & subterfugere, ut onera imminentia à se pro viribus depellat; undè etiam fugientes sæpè appellantur, *l. 13. C. de judic.*

Citatione peremtoriâ Judex cominatur, se etiam absente adversâ parte cogniturum & pronunciaturum, *l. 71. ff. de judic.* quia finis citationis est, ut citatus definito tempore in judicio compareat, seque tandem defendat; sin minus, citatus ob contumaciam & contemptum Magistratûs legitimè condemnatur.

Citatio toties in judicio requiritur, quoties aliquid in causa controversa est examinandum: quoniam omnis actus judiciarius requirit specialem citationem; ideò etiam partes litigantes ad audiendam sententiam definitivam de jure communi citari debent, ut sententia ipsis præsentibus publicetur, ne sententia judicis declaretur nulla *l. 7. C. quomodo & quando judices sententiam proferre debent, & in clementina pastoralis de sententia & re judicatâ.* Quod si verò pars altera causæ suæ diffidens nolit esse præsens, quo casu ob contumaciam fictione juris censetur præsens, *l. 13. in fin. princ. ff. de minorib.*

Cives

Cives sive subditi Imperii Romano-Germanici in genere sunt duplicis generis, vel sunt mediati, vel immediati. Cives mediati sunt, qui præter Imperatorem alii Principi, Prælato, Comiti, Baroni vel Nobili &c. mediante homagio principaliter sunt subjecti, salvis tamen Imperatoris juribus & autoritate. Hic notandum, sicuti omnes cives Imperio Romano immediatè subjecti non sunt ejusdem conditionis, sed diversarum conditionum & qualitatum, prout ex subsequentibus patet, ita etiam cives mediatè imperio subjecti conditione & qualitatibus inter se valdè differunt; quidam enim sunt majoris, quidam minoris, quidam minimæ conditionis, &c. quales sunt nonnulli Comites, Barones, Nobiles, (exceptis nobilibus Francis, Rhenanis, & Svevis,) Doctores Juris, Magistri, milites, mercatores, opifices, rustici. *recess. imp. de anno 1548. §.* Wiewol auch. Cives immediati sunt sequentes: (1) Electores octo, ut tres Ecclesiastici, (1) Moguntinus, (2) Trevirensis, & (3) Coloniensis; & quinque seculares, ut (1) Rex Bohemiæ, (2) Dux Bavariæ, (3) Dux Saxoniæ, (4) Marchio Brandeburgicus, & (5) Palatinus. (2) Inter majores cives imperii sunt Archidux Austriæ & Burgundiæ, quamvis ille & hic sint Principes seculares, sedent nihilominus in comitiis in scamno Ecclesiastico, ad quod alioquin Principes seculares regulariter non admittuntur: primus scilicet Archidux Austriæ in dirigendo & sedendo alternat cum Archiepiscopo Salisburgensi; alter verò, nimirum Burgundiæ Dux Archiepiscopum in sedendo immediatè sequitur, reliquosque Archiepiscopos præcedit, (3) sunt Archiepiscopi, quos (4) sequitur Magister ordinis Teutonici, qui dignitate major est Episcopo. (5) Magister ordinis S. Johannis in Germania; (6) Episcopi, quorum quidam genere vel origine sunt Principes, quidam electione tales fiunt. Quamprimum enim summis Collegiis Ecclesiasticis, in den hohen geistlichen Stifftern unus è Capitularibus canonicè eligitur Collegii Præses, per collatam hanc principalem dignitatem Ecclesiasticam immediatè fit Princeps imperii, & in tam eminenti gradu, ut omnibus Principibus secularibus genere talibus in omnibus actibus solennibus & comitiis præferatur. (7) Abbates principali dignitate fulgentes, (gefürstete Aebte) quales sunt Abbas Fuldensis, Campidonensis, &c. qui omnes sessionem & votum viritim in comitiis habent, (8) Abbatissæ Principes, quales sunt Quedlenburgensis Essensis, Gandersheimensis, Hervordensis, &c. (9) sunt Duces, (10) Co-

(10) Comites Palatini (11) Marchiones, (12) Landgravii, (13) Principes simpliciter sic dicti. Hic observandum, quod vox Principis sit vocabulum generale, sub quo Imperatores, Reges, Duces, Comites Palatini, Marchiones & Landgravii comprehenduntur, qui omnes titulo Principis, præter titulum Ducis, Comitis Palatini, Marchionis vel Landgravii utuntur; ast ex opposito, non omnis Princeps specialiter sic dictus est Dux, Comes Palatinus, Marchio, vel Landgravius, verùm est dignitate minor *teste Goldasto,* (14) sunt Abbates & Prælati, qui non sunt Principes, sed Principibus inferiores, Comitibus tamen præferuntur (15) sunt Comites Imperii, neminem in imperio præter Cæsarem Dominum agnoscentes; dantur alioquin nonnulli Comites imperio mediatè subjecti, qui præter Imperatorem Electori vel Principi cuidam subsunt. (16) Barones Imperii, (17) liberæ civitates, (18) Nobiles Franci, Svevi & Rhenani liberi, qui majora privilegia, jura, & autoritatem majorem reliquis nobilibus habent, &c. Cives mediati non statim in Camerâ ceu supremo Germaniæ tribunali conveniri possunt, sed primam, secundam, vel tertiam interdum habent instantiam, priusquàm causa controversa ad Cameram devolvitur, ut jura sua in inferiori judicio vel neglecta, vel per injuriam debilitata aut denegata per appellationem in superioribus judiciis ampliùs urgeri, sibique conservare possint. Cives verò immediati, quia Imperio immediatè subsunt, statim quidem in Camera Imp. essent conveniendi, quoties controversias cum aliis fovent, nisi loco primæ instantiæ coram austregarum judicibus conveniri deberent, *ordin. Camer. part. 2. t. 2. 3. 4.* coram quibus tanquam in prima instantia lites eorum vel componuntur, vel per viam juris deciduntur, ne sint deterioris conditionis, quàm mediatè Imperio subjecti, quibus aliquot instantiæ conceduntur.

Civitates Germaniæ hodiè sunt in triplici differentia (1) Quædam civitates imperiales sunt liberæ, plenam jurisdictionem à Cæsare habentes. (2) Quædam sunt planè subjectæ Principibus vel Statibus Imperii, à quibus ædificatæ sunt, unde etiam jus civitatis & immunitatis habent. Et (3) quædam sunt civitates mixtæ, mixtum statum habentes, quæ partim dependent à Principibus, partim à Cæsare, à quo certa privilegia & regalia acceperunt: ut Hamburgum, Magdeburgum, Erfordia, Brunsvigum, quarum prima ut florentissima & fortissima contra Regem Daniæ se adhuc con-

conservavit, sed altera Electorem Brandeburgensem, tertia Electorem Moguntinum, & quarta Ducem Brunsvicensem jam per omnia vi armorum agnoscunt Dominos.

Civitates liberæ Imperii pari jure, ut Principes jura territorii in suis civitatibus, earumque pertinentiis & ditionibus habent, & exercent: habent quoque propria territoria, & jura territorio annexa, quibus innuitur superioritas territorialis, die Landes Obrigkeit / ut eadem in suis territoriis & ditionibus facere possint, quæ Principes in suis Principatibus, cum habeant multa regalia, jurisdictionem, merum & mixtum imperium, liberum religionis exercitium, jus pangendi fœdera, jus creandi magistratus, jus cudendæ monetæ, jus mittendi legatos: & ad comitia admittuntur ut Status Imperii, *recess. imp. de anno 1551. circa fin. §.* und wie Churfürsten. Hæc privilegia & immunitates civitatibus Imperii liberis ex singulari clementia olim ab Imperatoribus concessa sunt; præ aliis tamen civitatibus liberis Colonia, Argentoratum, Norimberga singulari jure & privilegio gaudent, puta jure erigendi Academias; quia tres hæ civitates habent Academias proprias &c. Suprà dictæ civitates non dicuntur eo sensu liberæ, acsi tantâ fruantur libertate, ut jurisdictioni Imperatoris non sint subjectæ, sed ita vocantur liberæ, quòd præter Imperatorem nullius Imperio, censuræ, & exactionibus sint obnoxiæ. Ideò Imperatores olim in singulis civitatibus liberis habuerunt Præfectum einen Reichs-Schultheißen / qui Imperatoris nomine Senatoriis consultationibus ut Præses interesset, quos successu temporis pleræque civitates liberæ ad majorem autoritatem consequendam pretio & precibus consensu Imperatoris abrogarunt, ut ut civitates quædam liberæ vel præscriptione aut conventione Principibus vicinis jura quædam concesserint, ut Principes merum Imperium vel vectigalia in civitatibus hisce habeant, manent nihilominus liberæ. Sic in liberâ civitate Coloniensi habet Elector Coloniensis merum Imperium, & in liberâ civitate Bremensi Rex Sveciæ, cui hoc jus gladii vi belli anno 1675. à Cæsare, Duce Lüneburgensi, & Episcopo Monasteriensi Justè ademptum est. Consules quidem jus carcerandi, & inquirendi habent, sed jus damnandi vel absolvendi reum in illis civitatibus sibi reservarunt Elector, & Rex. Hæ civitates quidem non habent personalia Principum jura, sed realia jura æquè habent ut Principes. Civitates liberæ Imperii sunt ultra 60. sed primariæ sunt Colonia, Francofurtum, Argentoratum, Lu-

beca, Norimberga, Wormatia, Spira, Brema, Ratisbona, Ulma, Augusta Vindelicorum, Schvveinfurt, &c. Consules & Senatores Civitatum Imperialium conjunctim sumpti in Principis locum à Civibus eliguntur. Ideò de potestate, autoritate, & dignitate Senatûs Civitatum Imperialium scribit Lehmannus inter alia, Wie den Menschen die Vernunfft regieret / den Leib die lebendige Seele / die Sonne den Himmel / und der Steurmann das Schiff / also sey ein Rath der Stadt Verstand / Leben / Liecht und Ancker des Friedens. Und wie der Leib ohne lebendige Seele tod und erstorben; Also könne ohne einen Raht die Stadt nicht bestehen. In einer jeden Reichs-Stadt ist der gantze Rath gleich einem Fürsten des Reichs in seinem Lande / wird auch von der Burgerschafft anstatt eines Fürsten erwehlet / und gesetzet / und gleich wie andere Unterthanen ihrem Landesfürsten zu Treu / Huld / und Gehorsam vermittelst leiblichen Eides verbunden / also auch die Burgerschafften in Reichs-Städten ihrer Obrigkeit dem Rath / etc.

Clerici & Canonici non debent interesse judiciis criminalibus, in quibus de puniendo maleficio, pœnarumque sanguinis irrogatione agitur; ne videantur delectari sanguine humano effundendo. Ideò nec Episcopi, Canonici, & Monachi debent aliquid contribuere ad maleficum puniendum, nisi velint fieri irregulares, *c. 9. X. ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.* ob hanc causam Episcopi causas criminales committunt suis Consiliariis decidendas & exsequendas, ne delicta commissa maneant impunita.

Clerici Sacerdotes & Monachi regulariter non debent se immiscere negotiis merè secularibus, ut judices causarum secularium esse velint, *1. X. ne Clerici vel Monachi secular. negot. se immis. l. 33. C. de Episcop. & Cleric.* quia est contra decorum & Sacerdotalem statum, ut Sacerdotes, Clerici, vel Monachi, qui Ecclesiæ tantùm inservire debent, in foro examinandis litibus, dijudicandisque causis secularibus occupari & distrahi velint; imo opprobrium est Sacerdotibus & monachis, si se peritos negotiorum & disceptationum forensium ostendere velint, *teste Imperatore in l. 23. C. de testamentis*, & quidem ob sequentem rationem, ne mundana negotia & lites forenses clericos à piis mediationibus abstrahant, & eos mundanis curis planè implicent, piasque eorum meditationes impediant, vel eas indignè distrahant.

Cle-

Clerici regulariter non possunt condere testamentum, præsertim de bonis Ecclesiæ, *caus. 12. q. 5. c. 3.* De bonis tamen patrimonialibus, doctrinâ vel artificio quodam acquisitis in ultima voluntate sivè testamento modicè disponere possunt; præsertim si consanguineis egenis, religiosis locis, pauperibus, vel aliis de se benè merentibus eadem piè reli querint, *argum. c. 11. X. de testam.*

Clerici sive Monachi ingredientes Monasterium ab hæreditate paterna non possunt excludi, sed quarta sive legitima (portio) hæreditatis eis relinquenda est, *l. 56. §. 1. C. de Episcop. audient.*

Clerici olim Imperatorum legibus stringebantur, subque jurisdictione eorum erant, *l. 7. & t. t. C. de Episcop. audient.* imò ipsi Pontifices in negotiis secularibus leges Romanas olim agnoverunt, *distinct. 10. c. 8.* ratio est, quia olim quidam Pontifices ab Imperatoribus electi, ordinati & confirmati sunt, *distinct. 63. c. 23.* quod postea abrogatum est. Hodiè omnes Clerici à jurisdictione seculari sunt exemti, suntque in tanta veneratione, præsertim in religione Catholica, ut qui in Clericum violentas manus infert, excommunicatus sit, *Caus. 17. q. 4. can. 29.*

Clericus si homicidium vel aliud atrox delictum commiserit, deponendus est, & posteà brachio seculari tradendus, ut vindictæ publicæ, & Ecclesiastici ordinis dignitati rectè consulatur, *c. 10. X. de judic.* vel perpetuo carceri includendus est; quia reatus omnem dignitatem excludit. Nam in atrocioribus delictis Nobilis, Doctor, Baro, Clericus non considerantur quà tales, sed quà sunt delinquentes, & eatenus sunt puniendi.

Clericus coram judice laico sive seculari regulariter conveniri non potest, sed coram suo judice Ecclesiastico conveniendus est. *c. 1. & 2. & c. 18. X. de foro competenti.* Nec potest Clericus renunciare huic privilegio, ut se subjiciat jurisdictioni seculari, quia hoc privilegium non est personale, sed reale, toti ordini Ecclesiastico est concessum, *c. 12. X. ibid.* Ideò illud in totius ordinis præjudicium facere nequit clericus, aut si fecerit, nullius censetur momenti. (1) Ab hac regula datur exceptio in causis feudalibus; in hisce enim casibus cessat privilegium fori clericis concessum, qui conveniri debent coram judice laico, h. e. Domino feudi, vel paribus curiæ, *c. 6. & 7. X. de foro compet.* ratio est, quia natura & qualitas causæ trahit ad se personam, non autem persona naturam causæ, (2) datur exceptio, nisi causa sit realis, quæ in clericum & laicum transit: ratio

eſt, quia ea cauſa tractari debet coram judice laico, ſub quo res ſita eſt, *l. fin. C. ubi in rem act.* & *c. fin. X. de foro compet.* Nam ratione rei controverſæ ſortitur quis forum in loco, ubi res ſita eſt, cum in actione reali perſona non dicatur obligata, §. 1. *Inſtit. de action.* & ſic non trahitur in judicium perſona Eccleſiaſtica, ſed res ipſa.

Codicilli ſunt teſtati, vel inteſtati ultima voluntas minus ſolennis, quâ heres coram quinque teſtibus rogatur, ut alteri hereditatem totam, vel ejus partem, aut rem ſaltem particularem per fideicommiſſum poſt mortem codicillos condentis reſtituat, *l. fin. ff. de jur. codicill.* Ex hac definitione conſtat, quod ſolennia teſtamenti in codicillis omittantur; nimirum ut ſeptem teſtes neceſſariò requirantur, nec eorum ſpecialis rogatio, ſubſcriptio, & ſubſignatio hic deſiderentur, *l. 6. §. 1. ff. d. t.* quoniam ſufficit, quinque teſtes non rogatos ad hunc actum codicillarem probandum ſimul aſſumi, qui fortuitò tantùm huic actui intereſſe poſſunt, ſi modo coram iis uno tempore congregatis voluntas ultima rectè exprimatur, *l. fin. §. ult. C. h. t.* In his codicillis plerumque legata & fideicommiſſa bené merentibus relinqui ſolent, vid. *Receſs. Imp. de anno 1512. tit.* von Teſtamenten. §. und ſollen die Notarii Aufmerckung haben / daß nach Käiſerlichen Rechten zu Aufrichtung eines ſolennen Teſtaments aufs wenigſte 7. Zeugen nöthig ſeynd / zu denen der Notarius auch gezehlet wird. Aber in codicillen / worinn einem / auſſerhalb Anſehung und Machung andrer Erben / etwas nach eines Tod von deſſelben Erben zu reichen und zu empfahen geſetzt / vermacht / verlaſſen oder zu treuen Händen befohlen wird / oder ihm übergeben / ſeynd nur 5. Zeugen vonnöthen. Codicillorum diviſiones ſunt præcipuæ ſequentes: (1) alii ſunt ſcripti, alii non ſcripti, ſivè nuncupativi codicilli, *l. ult. §. fin. C. h. t.* (2) alii ſunt ad teſtamentum facti, *l. 1. C. d. t.* alii ab inteſtato, *l. 8.* & *l. 16. ff. h. t.* (3) codicilli ad teſtamentum facti alii antecedunt teſtamentum, alii id ſequuntur, *l. 3. §. ult.* & *l. 5. ff. ibid.* Cœterùm codicilli à teſtamentis dupliciter differunt, (1) quia quis unum ſaltem teſtamentum condere poteſt, ut valeat; nam ſi aliud inſuper condiderit teſtator, tunc prius tollitur. Ex oppoſito, poteſt quis plures codicillos facere, ut omnes rati ac firmi ſint, ſi modo non ſint ſibi invicem contrarii; (2) teſtamenta plenam in ſe de omnibus teſtatoris bonis comprehendunt diſpoſitionem; codicilli verò plerumque ſunt de rebus duntaxat ſingularibus. Cauſa efficiens

ciens remota est jus Rom. *pr. Inst. h. t.* Causa efficiens propinqua est voluntas facientis codicillos. Subjectum relativum ut causa efficiens est is, qui tempore codicillorum legitimam testamenti & codicillorum factionem habuit. Subjectum correlativum est, cui legata & fideicommissa codicillis jure relinqui possunt. Materia sivè objectum codicillorum est hereditas, verbis precariis, & non directis relicta, *§. 1. & 2. Inst. h. t.* ratio est, quia hereditas in codicillis neque directò dari, neque adimi potest, *d. § 2.* Forma ex definitione constat. Finis codicillorum est partim necessitas, partim utilitas, *pr. Inst. h. t.* quam tum peregrinantibus propter longas & magnas peregrinationes, tum aliis, qui ob varios casus testari de facto solenniter impediuntur, concedit Imperator. *l. 8. §. 1. ff. h. t.* Effectus codicillorum est, quod heres teneatur ad id præstandum, quod in codicillis scriptum est, arg. *l. 19. & 11. ff. d. t.* ideò legata & fideicommissa codicillis relicta in judicio validè peti, & exigi possunt, *§. 1. Inst. h. t.* Quod clausulam codicillarem attinet, patet ex variis legibus infra allegatis, quod testamentum minus perfectum, mediante clausula codicillari sæpè in codicillos, & naturam fideicommissi convertatur, ad testatoris voluntatem conservandam, *l. 3. ff. de testament. milit. l. 11. ff. de manumiss. testament. & Novell. 159. in præfat.* Sic clausula codicillaris sæpè sustinet defuncti voluntatem in codicillis, quæ alioquin in testamentis esset irrita ob solennitatum defectum, &c. Codicilli exspirant duobus præprimis modis, (1) si is, cui aliquid in codicillis est relictum, moriatur antè eum, qui codicillos fecit, *l. 6. §. fin. & l. 14. pr. ff. h. t.* (2) si codicillos faciens voluntatem suam mutaverit, *l. 35. ff. de R. J.* quoniam contrariâ ejus voluntate infirmantur codicilli, *l. 5. ff. de jur. codicill.*

Cogitationis pœnam nemo patitur, *l. 18. ff. de pœnis.* intellige in foro fori, non autem in foro poli, sivè Ecclesiastico; quia homo opere, verbis, & cogitationibus peccat. In foro seculari sivè externo delicta metimur manu, hoc est, superveniente actu; non autem solâ mente, cogitatione, animo & consilio, *d. l. 18.* Ideò, qui nunquam rem alienam invito domino dolosè contrectavit, vel alienam matremfam. malitiosè corrupit, licet ejus mens & intentio fuerit, ut occasione datâ id committeret; is jure civili neque fur, neque adulter est, &c. Ast Theologorum & Philosophorum est, scelera mente metiri; contrà, Nomothetarum & JCtorum est, manu: quod ex-

plicat Cicero *lib. 3. offic.* aliter Leges, aliter Philosophi tollunt astutias. Leges, quatenus manu res tenere possunt: Philosophi, quatenus ratione & intelligentiâ. Ob id in foro poli sivè Ecclesiastico & coram tribunali Divino etiam secundum mentem examinantur delicta; quod nobis satis clarè innuit Matth. *c. 5, v. 28.* Quicunque aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo; & Paulus *Rom. 7. v: 7.* concupiscentiam non nossem esse peccatum, nisi Lex Divina expressè prohibuisset, non concupisces.

Cœlibatus laudatur. Beati, qui tanto continentiæ dono prædìti sunt, ut se propter regnum Domini castrare velint *Matth. 19. v. 12.* nam qui sine uxore est, curat quæ Domini sunt, quomodo placiturus sit Domino, ast qui ducit uxorem, sollicitus est de his, quæ sunt mundi, *c. 5. X. de clericis conjugatis, & Paulus 1. Corinth. 7. v. 32. & seq.* ratio est, quia in illo statu nemo à cultu Divino, exercitiis sacris, & animæ suæ curâ facilè avocatur, (si suo saltem officio cum fervore mentis juxta votum & statum suum fungi velit) prout ex multorum Sanctorum Patrum exemplis patet; quod si verò quis dono continentiæ non sit præditus, tunc melius est nubere, quàm uri, juxta Pauli doctrinam; quoniam & conjugii status est sanctus, ut ut in remissiori gradu. S. Basilius egregiè de utroque statu, nimirum conjugali & virginali sivè libero statu, (h. e. cœlibatu) locutus est. Le mariage est conforme à l' ordre de la nature, & la loy rend ses ordonnances conformes à cet ordre naturel. C' est pourquoy comme la virginite, qu' on vouë à dieu s' eleue au dessus de la nature, elle ne reçoit de la loy aucun joug, ny aucun commendement; mais s' elevant par-dessus la loy, elle offre volontairement au createur & au legislateur supréme le present d' une pureté inviolable. Aussi se sauveur du monde n' a rien commandé, touschant ce point; mais il a permis seulement, que comme l' homme avoit passé de l' incorruption à la corruption, en violant sa nature par l' abus, qu' il a fait de sa liberte, il passast au contraire de la corruption a l' incorruption, en faisant violence a sa nature, par l' election libre & volontaire d' un estat plus noble, & plus excellent, que le naturel. Et c' est ce qui a fait, qu il n' ordonne a qui, que ce soit, de demeurer vierge, sachant qu' une condition si excellente, qui est au dessus de la nature & de la loy, ne peut estre embrassée, que d' une ame, qui s'y porte d' elle mesme par le

seul

seul amour de cette vertu. Ex hisce dictis constat, statum conjugalem hominibus non esse absolutè necessarium, sed hominum arbitrio relictum, num illi sese committere velint, nec ne. De dono continentiæ perquam piè loquitur S. Augustinus, dum DEUM sic alloquitur, continentiam jubes Domine, da quòd jubes, & jube quod vis. (Vous m' ordonnez la continence, seigneur donnez moy la grace & la force d' accomplir, ce que vous m' ordonnez, & ordonnez moy, ce que vous voudrez) quàm acceptus hic status sit DEO, qui in puritate & munditie vitæ cœlibes extra conjugium bonâ conscientiâ vivere valent, innuit S. Paulus *1. Corinth. 7. v. 2. 8. &c.* nec cœlibatum subvertunt verba primævæ institutionis conjugii. Crescite & multiplicamini, sicuti nonnulli perversè opinantur; ratio est, quia hæc verba non sunt præceptiva, acsi quilibet in conjugio per inevitabilem necessitatem vivere debeat, sed sunt verba benedictionis, quibus Jehovah conjugibus benedicere voluit.

Cognati vox sumitur dupliciter, (1) generaliter, & (2) specialiter. Generaliter accepta in se comprehendit etiam agnationem, & est quasi genus agnationis; sic quilibet agnatus est cognatus; ast non vice versa. In hoc generali sensu vox cognati in se complectitur omnes omninò propinquos & sanguine junctos, qui dividuntur in agnatos & cognatos specialiter sic dictos. Agnati sunt cognati per virilis sexûs personas sanguine nobis conjuncti, *§. 1. Inst. de legit. agnat. tut.* qui idem gentilitatis nomen, & familiam habent, *l. 2. ff. de suis & legit.* germanicè die Schwerdmagen/ so eines Geschlechtes/ Schilds und Helms seynd. Cognati verò in specie sic dicti agnatis oppositi per fœminas nobis sanguine conjunguntur, *d. §. 1.* Hinc sicuti agnati jure Saxonico vocantur Schwerdmagen/ ita contra cognati dicuntur Spielmagen/ à fuso vel Spindel/ quem sexus fœmineus tractat; unde fit, quod jure Saxonico proximis agnatis res expeditoriæ in hæreditate cedant, das Hergewett / als das beste Pferd / Schwerd und Harnisch/ &c. Cognatis verò proximis cedit gerada, seu bona utensilia, inter quæ sunt vestes mulierum, catenæ, armillæ annuli, &c.

Cognati alii sunt ascendentes, alii descendentes, alii collaterales. Sic inter affines iidem præcedẽtes tres ordines inveniuntur; quia ex cognatione oritur affinitas: ideo mariti cognati uxori in triplici ordine sunt affines; & vice versa, uxoris cognati marito sunt affines. Hinc affines habentur vel (1) loco ascendentium, vel (2) descendentium, vel (3) colla-

collateralium, *l. 4. §. 3. ff. de grad. & affinit.* Ascendentium loco sunt socer, qui est mariti vel uxoris pater, & socrus, quæ est mariti vel uxoris mater. Prosocer est socri vel socrûs pater, h. e. mariti vel uxoris avus. Prosocrus est mariti vel uxoris avia. Descendentium loco sunt gener, h. e. maritus filiæ ein Tochtermann, sive Eydam. Nurus est uxor filii die Schnur. Progener est, qui duxit in matrimonium neptem meam ex filio vel filia prognatam, h. e. est maritus neptis. Collateralium sivè transversalium loco sunt affines respectu fratrum & sororum mariti (h. e. generi) & uxoris (h. e. nurûs) quales sunt levir, qui est mariti frater; is enim uxori est affinis. Glos est mariti soror, fratria est fratris uxor, sororius est maritus sororis der Schwester mann. Sic inter ascendentes ex 2do matrimonio vocantur affines vitricus & noverca. Inter descendentes privignus & privigna, quales sunt filius vel filia ex alio conjuge. A latere sunt vitrici & novercæ fratres & sorores, patruus & amita: item privignorum & privignarum fratres & sorores. Ubi porrò notandum, quod inter utriusque conjugis cognatos propriè non sit affinitas, sed impropriè vulgò dicitur. Es muß heut zu Tage per modum blandientis in den hunderten grad Herr Schwager heissen.

Cognatio superior & inferior in linea ascendenti vel descendenti à primo gradu incipit; sed quæ ex transverso numeratur, (h. e. collateralis) à secundo gradu: *princ. Inst. de grad. cognat.* Ideò pater & filius juxta jus civile sunt in primo, & frater & soror in secundo gradu cognationis; sed jure canonico sunt in primo gradu. *vid. Caus. 35. q. 5. de arbore consanguin.*

Collaterales in quarto gradu jure civili licitè admittuntur ad nuptias contrahendas, e. g. consobrini & patrueles, duorum fratrum vel sororum liberi, *l. 19. C. de nupt.* Contrarium docet jus Canonicum propter arctum sanguinis nexum; possunt tamen per dispensationem summi Pontificis matrimonio inter se jungi; quia jus Divinum tales nuptias non simpliciter improbat.

Collatio bonorum est, quâ liberi ea, quæ à parentibus vivis vel aliis ascendentibus acceperunt, post eorum mortem per fictionem quasi reddere & conferre coguntur, ut unà cum reliquis fratribus vel sororibus ad defunctorum hæreditatem æqualiter admittantur. Daß die Kinder müssen alles/ was sie empfangen/ in die gemeine Theilung bringen: sic filia dotem, & filius bona profectitia conferre tenentur, *l. 17. C. de collat.* Castrensia verò, & quasi castrensia bona, quæ ipsi

ipsi in militia, vel mediante arte quadam laboriosè acquisiverunt, conferre non obligantur; nec adventitia bona, quæ aliundè illis obvenerunt, *l. 1. §. 15. ff. de collat.* Causa efficiens collationis est jus civile, quod primò Prætor Rom. æquitate sic suadente, ad inæqualitatem inter heredes in pari gradu existentes avertendam, introduxit, *l. 1. pr. ff. h. t.* Subjectum activum sunt personæ conferentes, nimirum ipsi hæredes, puta soli descendentes sivè liberi. Ergò nec ascendentes, nec collaterales conferunt. Subjectum passivum sunt personæ, quibus fit collatio bonorum. Ex hoc principio justum est, quod filia acceptam dotem post patris mortem conferre cogatur, aliàs ad hæreditatem non admittitur, ne reliqui fratres & sorores, nihil adhuc ex bonis paternis accipientes, ad hæreditatem paternam inæqualiter admittantur, *l. 4. C. de liber. præterit.* Ideò meritò omnia illa bona imputantur in liberorum legitimam, quæ immediatè ex substantia & patrimonio ejus, de cujus successione quæritur, provenerunt. *l. 30. §. 2. C. de inoffic. testament.* Materia sive objectum collationis sunt bona profectitia, quæ ab ascendente, cui succeditur, proficiscuntur, *l. ult. C. h. t.* Forma collationis bonorum est, quod illa fiat reverà, vel mediante juris fictione & æstimatione rerum. Finis est, ut servetur in hæreditate dividenda inter hæredes æquales æqualitas, & per consequens ut inter cohæredes evitetur omnis iniqua læsio, ne unus hæredum plus, quàm alter ex bonis paternis vel avitis cum cohæredis damno injustè consequatur. Effectus collationis bonorum est, quod res collatæ inter cohæredes æqualiter dividantur.

Collecta in genere (germanicè die Steur / Hülffgeld / Anlage / Beth) est contributio publica, pro Reipublicæ commodo ob necessitatem à Magistratu indicta; ideò dicitur onus reale extraordinarium, quod personis pro rebus imponitur pro necessitate Reipublicæ. Vocatur in jure Rom. collatio, *l. 27. §. 3. ff. de usufruct.* Vocatur etiam indicta, *t. t. C. de indict.* item tributum, *l. ult. §. 7. ff. de censib.* Collectas & tributa solvere debent illi, qui res vel prædia possident jure proprio, & qui fructus suos faciunt, *t. t. C. sine censu fund. compar. non poss.* Collectandi jus non imperio vel simplici jurisdictioni, sed regalibus cohæret: ratio est, quia collectatio est actus sivè qualitas superioritatis, sivè jurisdictionis supereminentis; ideò inter regalia meritò refertur, *Recess. Imp. de anno 1551. §.* Solche der

Stände rc. & per consequens Baronibus & Nobilibus, aliisque inferioribus regulariter non competit: interdum tamen quibusdam dominis regalia aliàs non habentibus ex singulari privilegio conceditur. Collecta est triplex: (1) Imperialis, (Reichssteur/) (2) Provincialis, (Landsteur/) & (3) circularis, (Kreyßsteur.) Collecta imperialis in utilitatem totius imperii Rom. omnibus in imperio viventibus ab Imperatore cum consensu Statuum imperii, necessitate flagitante indicitur, *l. un. C. de superindict. Recess. imper. Spirens. de anno 1544. §.* Und wiewol. *ibi.* Daß ein gemeiner Pfenning und Anschlag durch das gantze Reich Teutscher nation, &c. *§. seq. ibid.* Niemand ausgenommen/ gemacht werde. Ideò indicitur etiam clericis privilegiatis & exemptis, *in d. recess. §.* Und zu diesen Christlichen rc. *ibi.* Auch alle Stiffter/ Capittel / Klöster / rc. *recess. imper.* zu Augsburg *de anno 1582. §.* Und nachdem diese/ rc. *ibid.* Ihre Unterthanen/ Geistliche und Weltliche/ sie seynd exempt, oder nicht exempt, befreyt oder nicht befreyt/ niemand ausgenommen. Ejusmodi collecta regulariter indicitur & solvitur pro expeditione turcica; ne Turca immani suâ tyrannide Christianismum impiè supprimat, *Recess. imper de anno 1542. & 1548.* Hinc quando Imperator ab omnibus imperii subditis, necessitate urgente, collectam exigit, tunc eam immediatè ab Electoribus, Principibus, & reliquis Imperii Statibus exigit; illi verò, ne onera pro suis subditis soli ferant, subditos suos proportionaliter subcollectant, *Recess. imper. de anno 1544. §.* Und dieweil nun diese Hülffe/ rc. ibi: Darzu die obberührte Hülffe an ihr selbst etwas ansehnlich / und gemeinen Ständen nicht wenig beschwerlich seyn wird/ dieselbe aus ihren Kammergütern zu leisten; so ist für billig und nohtwendig angesehen / daß ein jeder Churfürst/ Fürst und Stand seine Unterthanen derohalben umb Hülffe und Steur ersuche/ und die von ihnen einbringen möge. Collectam tamen à subditis suis exigere debent secundum proportionem Geometricam, habitâ ratione bonorum cujusque, hoc est, pro modo facultatum & redituum, ne quis ultra vires patrimonii injustè gravetur, sed distributio fiat secundum æs & libram, hoc est, juxta vires & quantitatem cujusvis subditi patrimonii & obventionem. *l. 1. C. de muner. patrim. & Recess. imper. de anno 1542. §.* Nachdem aber die. Quod autem Electorum, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, & Ecclesiasticorum bona à collectis non eximantur, sed proportionaliter collectas solvere debeant, ratio æquitatis

tatis hæc est; quia illi omnes sunt cives, & pars corporis Reipubl. Rom. qui non minus, quàm cœteri ab hostium incursu & violentiâ defenduntur. Ideò collectarum solutione bona sua ab incursu, deprædatione & incendio hostili redimere debent, necessitate & salute reipubl. sic svadente. *arg. l. 3. §. 15. ff. de muner. & honor.* (2) Collecta provincialis Statibus imperii tribuitur vi superioritatis territorialis. Attamen sciendum, quod Principibus & Statibus imperii jus collectandi sub certo duntaxat temperamento sit concessum; non autem pro Statuum imperii arbitrio. **Sie haben die Unterthanen mit Steur nicht höher zu belegen/als einer jeden Obrigkeit oder Landes-Herrn Herkommen sich erstrecket/ und recht ist; darbey die Armen/ so viel müglich/ zu bedencken/ und nicht mit Ubermaß zu beschweren**/ne fiat juxta commune dicterium, divites solent condere decreta, & inopes solvere tributa. Ejusmodi provinciales collectas consensu populi indicant subditis Status imperii ex rationabili & justa causa, vigore superioritatis & regalium *vide recess. imperii de anno 1544. §.* **es sollen auch alle Churfürsten.** 30.; nam Status imperii in suis territoriis vicem Imperatoris sustinent: Sic pro refectione murorum, vallis, & fossis civitatis exstruendis, collectas cum consensu populi indicare possunt. Ex dictis patet, quòd Status imperii absque consensu populi & justâ vel gravi causâ collectas indicere nequeant, nisi contra jus vi id tentare velint, tyrannorum instar. Hic nota, collectæ imperiales à provincialibus in eo differunt, quod ratione collectarum imperialium subditi pro omnibus suis bonis ubique sitis collectas solvere cogantur; ast ratione provincialium saltem pro bonis in provincia sitis; quia hæ extra territorium extendi non possunt, cum bona reliqua collectantis jurisdictioni non sint subjecta, *arg. l. fin. ff. de jurisdict.* (3) Collecta circularis ad decem circulos imperii quâ singulos spectat. Sic quilibet circulus imperii pro sustentatione Cameræ imperialis Spirensis & Assessorum collectas quotannis solvere debet, *Ordin. cameræ p. 1. tit. 40. &c.* Cœterùm collectarum solutio subjectionis tessera & probatio est, *c. 2. X. de censib.* Ergò qui Statibus imperii collectas provinciales solvit, eorum subditus est, &c. Collectæ justâ ex causâ impositæ paratam merentur executionem, ob id in iis exigendis summariter saltem de plano contra subditos procedere, & à præceptis executivis incipere licet, *l. 7. C. de exact. tribut.* quia militares expensæ, hostiumque incursiones multâ indigent diligentiâ, quæ citra pecunias peragi

nequeunt, nec dilationem patiuntur; idcircò intra definita tempora tributa & collectæ solvenda sunt, ne Reipubl. indè quid detrimenti inferatur. *Novell. 8. c. 10.* Hîc porrò sciendum, quoties in civitatibus imperii de novis collectis exigendis necessitate sic exigente quæstio est, tunc Magistratus urbici de collectis tractant cum omnium ordinum, tribuumque (der Zunfften) civitatem repræsentantium consensu, ne seditio indè oriatur: quo fine in civitatibus Germaniæ collectam (Schoß) ad certam quantitatem facultatum sive bonorum, quæ quilibet civium possidet, solvere cogitur: nimirum à singulis centum imperialibus dimidium, vel unum, aut duos imperiales, prout civitatis necessitas & utilitas id postulat.

Collegæ vocantur, qui sunt ejusdem muneris & collegii. Tres faciunt collegium *l. 85. ff. de verb. signif.* quia collegium est quasi universitas, ad quam constituendam dualis numerus non sufficit; accedit & alia ratio, quòd si inter duos istos collegas de rebus ad collegium pertinentibus dissensio oriretur, quis hujus dissensionis & litis foret arbiter, cùm tertium non haberent, cujus autoritate decidi vel componi possit lis: prout JCtus Ulpianus de dissensione duorum arbitrorum respondet in *l. 17. ff. de recept. arbitr.* Cæteroquin universitatis & collegii cujusque hæc est natura, ut negotia collegii dirigantur, vel decidantur aut componantur consensu majoris partis, *l. 160. §. 1. ff. de R. J.* ast si collegium ex duobus saltem collegis constat, tunc nec majorem, nec minorem partem in eo reperire licet; ideò tres ad minimum requiruntur, ut tertia persona in duorum collegarum dissensione sententiam ferat, aut ut duo collegæ quasi per majora vota vincant in ferendis votis tertium, &c. Quamvis per unam personam collegium non possit constitui, per unam tamen potest conservari, si antiqui forsan sint mortui *l. 7. §. fin. ff. quod cujusque univers. nom.*

Collegia opificum consensu Principis vel Magistratûs approbata (qualia sunt Sartorum, Sutorum, Fabrorum, Scriniariorum, &c.) de rebus ad eorum artificium & professionem spectantibus statuta inter se specialia condere possunt, quatenus aliis non nocent, *l. ult. C. de jurisdict. omnium judic.* quæ collegas eorum saltem, & non alios obligant, die Zunfft-Brüder. Hæc statuta particularia tribuum tribuunt Magistris Collegiorum (den Zunfft-Meistern) quandam jurisdictionem, & potestatem coërcendi collegas, mulctamque civilem

lem irrogandi, (intellige in causis civilibus, artificium eorum concernentibus; non autem in aliis, nec in criminalibus) ut de causis inter collegas & collegiatos controversis cognoscere, ac transgressores statutorum punire licitè possint; quod si collegia Principis privilegio non fuerint approbata, non censentur licita, sed reprobata, etiamsi plura quàm centum forent; quia alioquin videntur facere monopolia reipublicæ noxia.

Collegium est plurium personarum ejusdem potestatis & muneris, rerumque ad id spectantium societas, Principis autoritate firmata: ratio est, quia collegia opificum, mercatorum &c. jure regulariter sunt prohibita; causæ prohibitionis sunt sequentes, (1) ut commessationum & compotationum occasio honestè evitetur, undè plurima mala in Republica oriri solent. (2) Ut factionibus & conjurationibus non detur ansa; quò respexit Suetonius in vita Augusti Imper. plurimæ, inquit, factiones titulo collegii novi ad nullius non facinoris societatem coibant; sed Augustus omnia præter antiqua & legitima prudenter dissolvit. Et (3) ne monopolia in reliquorum civium oppressionem inique introducantur, nam opifices solent interdum inter se in fraudem aliorum condere statutum, ne quis eorum minori pretio res suas divendat, quàm in suo collegio privatim inter se definiverunt; contrarium faciens certâ mulctâ pecuniariâ sit puniendus: quale statutum meritò à Magistratu rejiciendum, (si id cognoverit) & omnes opifices eo nomine punire debet, ne imposterum talia ad vexandos suos concives malitiosè excogitent.

Comitia Imperii Romano-Germanici sunt conventus totius corporis Imperii ad aliquid de Reipublicæ salute decernendum. Sic quilibet populus & quodlibet regnum habet sua Comitia, per quæ communi omnium Statuum consilio salus Reipublicæ promovetur. In Comitiis Status Imperii in propria persona comparere non tenentur, si non spontè velint, sed sufficit, si suos Legatos literis satis instructos miserint.

Comitia prævio Electorum consensu indicat Imperator Statibus Imperii, ut certo & definito tempore Francofurti vel alibi conveniant omnes, deque totius Imperii Romani salute tempestivè deliberent, quæ inchoantur ab invocatione Spiritus sancti per Missam, quâ finitâ pergit Cæsar ad curiam, ceu deliberandi locum, ab omnibus Electoribus, Principibus, & reliquis Statibus, sivè Ordinibus Imperii

perii comitatus. Tunc Cæsar in solium suum ascendit, & Electores, ut Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Bavarus, Saxo, Marchio Brandeburgensis, & Palatinus, suam quisque sessionem ordine occupant. Cæsar sedet loco eminentiori, & Electores loco paululum depressiori circumsedent, ut à dextris Moguntinus, Dux Bavariæ, & Palatinus; à sinistris Coloniensis, Saxo, & Brandeburgensis; ast Elector Trevirensis Cæsari è regione oppositus sedet. Porro inferiùs ad dextram sedent Archidux Austriæ, Archiepiscopi, Magister ordinis Teutonici, Episcopi, Abbates, & Abbatissarum Legati. Ad sinistram reliqui Principes Seculares, eorumque Legati, quibus postea Comites, Barones, liberæ Civitates ordine ferè confuso se adjungunt. Sessionibus sic ritè occupatis, Cæsar Principi cuidam Imperii clementer injungit negotium, ut Comitiorum initium brevi quâdam succinctâ oratione coram omnibus Imperii Statibus publicè faciat, gratias nomine Imperatoris agendo Statibus Imperii pro præstito obsequio; hoc peracto, capita ad deliberandum proposita statim publicè præleguntur: postea surgunt Electores & Principes, & paululum inter se collocuti, per aliquem, regulariter per Brandenburgicum Electorem, vel ejus Cancellarium respondent, gratias primum agendo Cæsari pro paternâ curâ & affectione erga Imperium, offerentes se de capitibus propositis deliberaturos, omneque id, quod ad salutem & dignitatem Imperii spectare posset, facturos. Ceremoniis hisce peractis, & copiâ propositionis Statibus Imperii communicatâ, quilibet Status Imperii in sua classe de iis negotiis consultat. Hic observandum, quod Electorale Collegium autoritate & potestate longè exsuperet reliqua duo collegia, nimirum Principum & Civitatum. Primi collegii scil. Electoralis Director & Decanus est Elector Moguntinus. In secundo collegio, puta Principum, jus proponendi & dirigendi habent Archidux Austriæ & Archiepiscopus Salisburgensis alternatim; in hoc collegio omnes Principes, tàm Ecclesiastici, quàm Seculares, ut & Abbates principali dignitate gaudentes viritim suffragia sivè vota ferunt, suntque numero 92. Reliqui verò Abbates & Prælati minores omnes curiatim vota ferunt, h. e. omnes in universum duo tantùm habent suffragia, alterum habent Suevi, & Rhenani alterum. Hic etiam Comites Imperii, quibus adjunguntur Barones, duo saltem habent vota, in quatuor scamna divisi, (1) in scamnum Wetteravicum, (2) Suevicum, (3) Fran-

Franconicum, (4) Westphalicum, sivè Inferioris Saxoniæ; vide *Receß. Imper. de anno 1654. in fin.* Tertium Civitatum liberarum collegium in duo scamna divisum, utpote Rhenanum & Suevicum, duo etiam habet vota. Hîc notandum, Civitas libera, in quâ habentur Comitia, habet in collegio civitatum jus proponendi. Si ergò Francofurti, ubi ut plurimùm celebrantur, Comitia fuerint, tunc Consul Francofurtensis est Decanus Collegii civitatum, &c. Præcipuæ civitates liberæ sunt Norimberga, Augusta Vindelicorum, Francofurtum, Colonia, Lubeca, Ulma, Argentoratum, Ratisbona, Wormatia, Spira, &c. Hîc porrò notandum, quando Electores in uno vel altero articulo aliquid certi ratione sui collegii concluserunt, aperiunt sententiam suam Collegio Principum, & hi vice versâ; si hi sententiam Electorum approbent, benè est; sin minus, recipiunt se Electores in suum conclave, de re ulterius deliberaturi; & tamdiu referunt & correferunt hæc duo collegia, donec inter se conveniant. Hoc præstito, postea collegium civitatum advocant, suamque illi sententiam communem amicè exponunt; si tunc tertium civitatum collegium Electorum & Principum sententias approbaverit, tunc communem suam sententiam Status Imperii Imperatori per deputatos offerri curant, quod si Imperator eorum placita approbet, res est confecta; Sin secus, replicando cum Statibus tamdiu amicè disceptat, donec inter ipsos conveniat. Verùm si collegia inter se discrepent, diversasque foveant sententias, nec inter se convenire possunt, tunc Imperatori discrepantia eorum suffragia proponuntur, qui amicâ tractatione dissentientes Imperii Status componere studet; compositione sic subsecutâ, communem sententiam Moguntinus ceu Decanus & Cancellarius Imperii in justam Recessûs formam redigit, quam postea subscriptione & sigillatione corroborant Status Imperii: quod si verò quædam præter spem componi nequeunt, in proximum conventum differuntur. Eo fine in plurimis Imperii decretis sequentia verba circâ finem apponi solent: Und Wir Churfürsten / Fürsten / Prælaten / Grafen / und Herren / und des Heiligen Reichs Freye und Reichs-Städte / Gesandten / Bottschafften / und Gewaltshabern hernach bekannt / bekennen öffentlich mit diesem Abschied / daß alle und jede Puncten und Articul mit unserm guten Wissen / Willen und Rath vorgenommen und beschlossen seyn. Porrò notandum, quod Jurisdictio tempore Comitiorum in civitate liberâ, in quâ habentur Comi-

Comitia, tripliciter sit divisa. Primam Imperatoris aulæ Marschallus in aulicos Imperatoris exercet. Alteram Jurisdictionem hereditarius Marschallus ex mandato Archimarschalli Saxonis in Legatos, Legatorumque familiam & advenas omnes exercet; & tertiam Senatus urbanus in suos Cives exercet. Ideò etiam Senatus Civitatis Imperatori ad Comitia venienti claves urbis spontè offerre solet in signum subjectionis.

Commissarii à Principe, eo fine constitui solent, ut partes litigantes reconcilientur; quòd si verò litigare, quàm reconciliari malint, tunc dissolutâ commissione per ordinariam juris viam procedunt litigantes: ratio est, quia nemo jure ad transigendum vel paciscendum compelli potest, *l.3.§.1.ff.de recept.arbit.* Ergò durante commissione suspensa est jurisdictio ordinarii judicis, coram quo processus institui solet. Hi Commissarii commissionis formam præcisè observare debent, ne fines excedant, *c.22.X.de rescript.*

Commodatum est contractus realis, quo rem nostram alicui gratis ad certum usum concedimus, ut is eandem nobis in specie illæsam finito usu restituat. vid. *t.ff.commodat.* unde colligere licet, quomodo gratuita hæc rei commodatæ concessio à locatione differat: nam si aliquid pro usu rei commodatæ daretur, tunc transiret in aliud genus contractus, puta in locationem &c. Efficiens causa hujus contractus est contrahentium consensus, h.e. sunt ipsi contrahentes, puta commodans (ut Dominus rei) & commodatarius, cui incumbit sollicitè curare, ut rem sibi commodatam conservet illæsam, & ne eam ad alios usus, aut diutius, quàm commodans ei permisit, in sui commodum applicet, *vid.t.ff.commodat.* Idcirco si commodatarius rem commodatam culpâ suâ deteriorem reddit, res non censetur reddita, *l.3.§.1.ff.commodat.* ast si res commodata, nimirum equus, vel alia res casu fortuito & improviso absque dolo & omni culpâ commodatarii perierit, commodatarius non obligatur æstimationem rei commodatæ solvere commodanti, quia nemo regulariter tenetur in contractibus casum fortuitum præstare; sed res perit suo Domino, *l.23.in fin.ff.de R.J.l.6.C.de pign.action.* quòd si verò culpa casum præcesserit, talis casus commodatarium non excusat, quia non est merè fortuitus, sed à culpa originem trahit, ob id imputatur commodatario. Materia sivè objectum commodati sunt res tàm mobiles, quàm immobiles in commercio existentes. Forma est rem utendam gratuitò tradere præscripto fine & modo

modo usus, per tempus expressum, vel tacitè intellectum; quantum scil. usus rei commodatæ expetitus exigit, *l. 17. §. 3. ff. commodat.* Finis est, ut mutuis officiis alii alios adjuvemus, & communicato rerum usu communibus vitæ necessitatibus in hac civili societate subveniatur. Hic duas quæstiones subjungo, (1) quæritur, an commodans jure possit commodatum antè finitum tempus usui rei commodatæ constitutum repetere? Resp. distinguendo, vel commodans postea re commodatâ opus habet, vel non. Si opus ipse habeat, subdistinguendum, vel prævidit hoc commodans (se re commodatâ opus habere) & sic revocare nequit, quia censetur illud incommodum spontè subire voluisse in commodatarii gratiam; vel non prævidit, & revocare potest: ratio est, quia commodans non præsumitur in tali gratuito casu sic liberalis fuisse, ut propriis suis necessitatibus officeret. Sic etiam se res habet cùm donatione, quæ ob natam postea prolem revocari potest, quia donans de liberis non cogitavit; idcircò actus ultra, quàm cogitatum, extendi nequit. *arg. l. 55. ff. de oblig. & action.* Hinc semper subest tacita conditio, nisi commodans ipse indigeat; quilibet enim magis sibi, quàm alteri obligatur, *l. 6. C. de servit. & aqua.* Ergò in tali casu licitè revocatur, exemplo locatoris, qui, si ipse indiget domo locata, conductorem jure expellere potest, *l. 3. C. de locat. & conduct.* Altero casu, ubi commodans ipse non indiget re commodata, tunc illam jure repetere nequit antè finitum usum, *l. 17. §. 3. ff. commodat.* quia commodatarius jus ad rem ex contractu habet, quod ipsi antè tempus usui constitutum contra justitiæ principia in tali casu non est eripiendum, *§. pen. Inst. de just. & jur.* (2) Quæritur, an commodatarius in casu ruinæ, incendii, vel naufragii teneatur res commodatas, neglectis rebus propriis, servare? & si commodatarius viderit, se utrasque conservare non posse, amore rerum propriarum ex quadam necessitate neglexerit commodatas, num ad eas restituendas actione commodati justè conveniri possit? Resp. affirmando; ratio est, quia commodatarius exactissimam diligentiam & majorem, quàm suis rebus adhibet, alienis rebus, quarum usus sibi gratis est concessus, adhibere debet, *l. 18. pr. ff. commodat.* adeoque commodatas res propriis præferre obligatur &c.

Comœdiæ & tragœdiæ non prohibentur, quæ spectatores ad virtutem & honestatem excitant, ad has omnibus tàm juvenibus, quàm senibus adire licet; ast, si inhonesta & turpia contineant, meritò da-

mmandæ sunt. Sæpè enim honesta matrona vel virgo ad Comœdiam procedit, & inhonesta revertitur. Insuper histriones quæstuariâ suâ arte civitatum pecunias exhauriunt. Eo fine olim repudium permisit Imperator, si uxor inscio vel invito marito ad theatrales ludos, vel arenarum spectacula iret *l. 8. §. 3. C. de repud.* quod fiebat ob præsumtionem libidinis & adulterii, hisce enim illecebris mulierum pudicitia præsumitur attentata.

Commodum sub quo temperamento morali percipiendum est? Resp. juxta juris regulam: qui vult sentire cõmoda, is debet & incommoda sentire, *l. 10. ff. d. R. J.* Ergò qui vult hæreditatem locupletem adire, is debet quoque hæreditatis debita solvere, ne fiat locupletior cum aliorum damno. Ex opposito, qui suffert rei incommoda, illi nec ejusdem commoda invidere debemus, *l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv. arcend. & l. 18. ff. de usufr.* ne is iniquè prægravetur; exemplum habemus in *§. 20. Inst. de rer. divis.* quod proprietas riparum sit illorum, quorum prædiis adhæret; nam si morsu fluminis ripæ fiant latiores, hoc damnum ad eosdem prædiorum dominos pertinet. Hinc prudentissimè afferit Imperator Justinianus in *l. un. §. 4. C. de caduc. toll.* quod is non sit ferendus, qui lucrum amplectitur, sed onus ei annexum contemnit; cùm naturâ æquum sit, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, *l. 10. ff. de Reg. Jur.*

Communio rerum discordias excitare solet, *l. 77. §. 20. ff. de legat. 2.* quod enim multis commune est, nemini curæ esse solet, sed segnius plerumque ab omnibus tractatur; cum naturale sit hominum vitium: id regulariter negligi, quod à multis communiter possidetur. Ideò quilibet rem communem, pro parte sua indivisa, licitè vendere potest. *l. 3. & 4. C. de commun. rer. alienatione.* Primis quidem mundi temporibus, cùm pauci adhuc existerent homines, res omnes, quotquot in mundo erant, habebantur communes, ut non magis ad hunc, quàm ad alterum propriè spectarent: quoties verò tunc temporis unus vel alter certam rem, vel terram, in sui utilitatem possidere inciperet, eam tamdiu retinebat quietam & quasi propriam, quamdiu illam possidebat, & ad suos usus applicabat. Ipso autem momento, quo apprehensas res relinquere desinebat, eas quilibet alius pro arbitrio occupare, sibique retinere poterat. Ast successu temporis, aucto undique genere humano, & occupatis ubique terrarum possessionibus, ad evitandas lites, pacem & tran-

quillitatem inter homines conservandam, terræ & agri inter homines sunt divisi, & singulis assignati; sic dominia tandem rerum ab hominibus sunt introducta, ne communio amplius mortalibus discordias excitare posset. De his apertè loquitur Imperator in *l. 5. ff. de justit. & jure* Jure gentium, inquit, introducta sunt bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collata, commercium, contractus, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, & reliquæ contractuum species; undè obligationes institutæ, &c. Sciendum tamen, quòd non omnes res, factâ primâ illâ rerum divisione, simul & semel in proprietatem certorum hominum pervenerint, sed successivè & prout usus generis humani id postulare visus est. Multæ res sunt divisæ, & à certis hominibus separatim occupatæ; quædam intra primævam communionem permanserunt, ut lumen, aër, aqua profluens, calor solis, immensus Oceanus, &c. *§. 1. Inst. de rer. divis.* Verùm, quæ primis temporibus non fuerunt divisa, sed communia juxta primævum statum manserunt, sic semper fuerunt qualificata, ut cederent primo occupanti; quo jure naturali Hollandi hoc seculo multas incognitas & desertas regiones occuparunt, sibique proprias effecerunt. Ex introducto hoc rerum dominio certa officia hominibus jure naturali & gentium injuncta fuerunt, quæ adhuc sunt observanda, (1) ut quilibet obligetur pati, alterum rebus suis quietè frui, neque illas vi aut fraude, sive dolo, in veri domini præjudicium vel detrimentum corrumpere, aut quovis modo ad se contra domini voluntatem trahere. Quo referuntur duo sequentes tituli. *ff. ad L. Juliam. de vi public. & t. ff. ad L. Jul. de vi privata.* eo fine furta & rapinæ jure gentium prohibentur *l. 42. de verb. signif.* (2.) Quoties res aliena fortè ad me sine Domini consensu & sine justo titulo pervenit, obligor eandem vero domino, (si eum cognovero) restituere, ne injustè fiam locupletior cum alterius damno, *l. 14. ff. de condict. indebiti.* Ex hoc fundamento fluit: si fur rem furtivam apud me, furti ignarum, deposuerit, & posteà verus rei dominus accesserit, domino, & non furi rem depositam restituere cogor, *l. 31. §. 2. ff. deposit.* De his vide plura apud Grotium de jure belli & pacis; & apud JCtum à Felden, universalia juris tractantem.

Comparatio quatenus in jure attenditur? Resp. quicquid alicui comparatur, non est id ipsum, cui comparatur; sic lata culpa dolo


 com-

comparatur, *l. 32. ff. depositi.* Ergò non est ipse dolus; quæ duo in delictis distinguuntur, *l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* hinc si quis culpâ latâ committit homicidium, ultimo supplicio non afficitur, sed leviori pœna.

Compensatio est debiti & crediti inter se contributio; quod fit, quando creditor debitori iterum liquidò & purè debet ex alia justa causa; & si tantundem, in quantum creditori est obligatus, solvere debet, compensatur tota debiti summa; si verò fuerit minus, quoad concurrentem saltem summam, ut invicem tollantur. Ob id compensatio dicitur imaginaria & interpretativa solutio, quâ debitum liquidum & certum cum debito liquido & certo, reciprocum actoris & rei justè compensatur. Compensatio enim est species solutionis, *l. 4. in fin. ff. qui potior in pign.* Compensatio tamen non fit immediatè ipso jure, sed opponi debet à reo, *l. 2. l. 8. & l. fin. C. de compensat.* Undè Germanorum proverbium: Abschlag ist gute Bezahlung; quod ratione haud caret, quia debitoris interest, in mutuâ, certâ & liquidâ obligatione potius non solvere, quàm solutum postea repetere, e. gr. si Titius à Mævio peteret ex emptione & venditione 100. & Mævius vice versâ à Titio 60. ex locatione & conductione: quod si in hisce casibus debitum ab utraque parte sit liquidum, tunc Mævius, factâ compensatione, 40. saltem reverà solvit, reliqua 60. per imaginariam solutionem solvere videtur. Ast si debitum prætensum Mævii sit illiquidum, secus se res habet; quia liquidum cum illiquido compensari nequit, *l. ult. §. 1. C. de compensat.* Causa efficiens compensationis sunt personæ compensantes, creditor & debitor reciprocus: compensatio enim oritur partim ex naturali æquitate, partim ex civili. Ex naturali, quia interest nostra potiùs non solvere, quàm solutum repetere, *l. 3. ff. h. t.* Dolo etiam malo postulat, qui petit id, quod restituere debet, *c. 59. de R. I. in 6to.* Ex civili autem æquitate sivè ratione; quia compensatio pertinet ad dirimendas lites, ne fiat per plura, quod per pauciora præstari potest, *l. 10. C. de judic.* sic actiones compensatione minuuntur. Materia sive objectum cõpensationis sunt debita liquida & res fungibiles. Finis compensationis est, ut præscindantur litium occasiones, ac uno judicio negotium, contributione ultro citroque facta, transigatur; quod alioquin pluribus judiciis & actionibus esset expediendum, & sic justè minuuntur actiones. Hic tria notanda sunt requisita, (1) ut debitum utriusque sit certum & liquidum,

dum, ex causa judicati, *l. 2. C. h. t.* vel ex alia legitima ac clara probatione tali, ut instrumentis, vel testibus statim demonstrari possit: ratio est, quia liquidum cum illiquido compensari nequit, *l. ult. §. 1. C. de compensat.* (2) ut debitum sit purum & statim exigibile: nam quod in diem, vel sub conditione debetur, compensari nequit, *l. 7. ff. h. t.* & (3) ut utrimque debeatur, hoc est, ut is, qui convenitur, illi ipsi, qui ipsum convenit, vicissim ex justa causa debeat, hoc est, ut sibi invicem sint creditores & debitores, *l. 18. §. 1. & l. pen. ff. h. t.*

Comprivigni nec sunt cognati, nec affines; quia sunt ex diversis planè conjugiis procreati, sine nexu sanguinis liberi, e. gr. Paulus & Mævia sunt conjuges. Hic Paulus ex priori matrimonio habet filium Petrum, & Mævia uxor ejus ex alio matrimonio habet filiam Annam. Jam quæritur, an Petrus jure possit ducere Annam in uxorem? dicimus quod sic; ratio assertionis est, quia hi liberi ex diversis planè matrimoniis progeniti, inter se nec affines, nec consanguinei sunt. Non sunt affines, quoniam affinitas constituitur inter unum conjugem, & alterius conjugis cognatum, non autem inter utriusque conjugis cognatos se extendit affinitas. Nec sunt consanguinei, dum nullo sanguinis nexu inter se reverà sunt conjuncti, &c. Quod si verò Paulus & Mævia ut conjuges ex secundo suo conjugio postea procrearent filium Johannem, & filiam Catharinam; hæc filia Catharina non posset nubere Petro; ratio est, quia hæ duæ personæ sunt fratres & sorores consanguinei, ex eodem patre Paulo procreati. Idem statuendum esset, si filius Johannes ducere vellet Annam in uxorem, non posset; ratio est, quia sunt fratres & sorores uterini, & sic ex uno latere inter se arctissimo sanguine juncti: ideo jura in prohibendis matrimoniis non considerant, num fratres & sorores sint germani, h. e. ex utroque parente nati, num verò consanguinei aut uterini; quoniam hi omnes sunt in primo gradu collaterali. Res subsequenti exemplo erit clarior.



Compromissum quid operatur? Resp. à persona (hoc est, arbitro) in qua est compromissum, regulariter recedere non possunt litigantes, si arbiter compromissarius sententiam solenniter, observato juris ordine, tulerit, *l. 27. §. 2. ff. de recept. arbitr.* Ast si dolosè egerit arbiter in unius partis præjudicium, à compromisso licitè recedi potest, *l. 3. C. d. t.* exceptione doli oppositâ; ne arbitri malitia litiganti (reo vel actori) iniquè noceat.

Conatus hodiè regulariter in delictis non punitur, *attestantibus practicis Carpzovio in crim. part. 1. q. 2. Perezio & Meiero*; ast in atrocissimis delictis, ut in crimine læsæ Majestatis, assassinii, &c. conatus perindè punitur, quàm ipsi delicti atrocioris effectus; intellige, si conatus ad aliquem externum actum & effectum pervenerit. Eapropter is etiam pacem publicam fregisse dicitur, qui non reverà ipso actu eam fregit, vel in eam dolosè deliquit; sed qui eandem frangere, sive in eam delinquere conatur, *Recess. Imper.* Landt Fried. *de anno 1548. art. 3.*

Concilia generalia sunt conventus Episcoporum, quæ Episcopi, ex toto terrarum orbe in unum convenientes, authoritate sedis Apostolicæ condunt, *distinct. 17. can. 1. & 2.* Concilia universalia quatuor priora sunt sequentia: Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, *Novell. 115. c. 3. §. 14. & distinct. 16. can. 8.* In Conciliis semper agitur de verâ Catholicâ religione conservanda, & propaganda; de dissensionibus circa fidem tollendis, deque hæresibus & erroribus exstirpandis, *distinct. 15. can. 1.* Concilia generalia demùm incœperunt sub initio seculi quarti, tempore Constantini Magni; quia ante illa tempora, ob Imperatorum Ethnicorum gravissimas persecutiones, congregari non potuerunt Episcopi, *distinct. 15. can. 1. pr.* In primo Concilio, puta Niceno, congregati fuerunt 318. Episcopi, qui Arrium hæreseos damnarunt, anno Christi 328. In secundo Concilio generali Macedonius: In tertio Nestorius: Et in quarto Eutyches hæreseos publicè condemnati sunt. Hîc notandum, Concilia à loco, ubi habita sunt, nomen acceperunt.

Conclusio causæ controversæ in foro est omnium probationum & allegationum ulteriorum renunciatio, & ad sententiam submissio, quâ partibus os clausum est. Tunc in causa controversa dicitur conclusum, quando prævià litis contestatione & deductis probationibus, (per testes & instrumenta) exceptionibus, replicationibus, dupli-

duplicationibus, &c. litigantes utrinque renunciarunt omnibus ulterioribus exceptionibus, disceptationibus,& allegationibus juris & facti, causamque controversam cognitioni judicis committunt, *c. 5. X. de causa possess. & proprietat.* quæ partium renunciationes actis inserendæ sunt ad publicum testimonium, *c. 11. X. de probation.* Conclusio causæ alia est pura, quæ simpliciter & absolutè causam concludit; alia est eventualis, quæ fit cum conditione, protestatione, & reservatione, dicendo: hisce concludo, causamque controversam ad definiendum judici submitto; si adversa pars nihil novi amplius attulerit, vel alioquin nihil de novo emerserit: quod si pars adversa absque justa causa concludere nolit, tunc potest judex ob contumaciam illius causam pro conclusa acceptare, & sententiam pronunciare, *Auth. jubemus C. de judiciis.*

Concubinatus Jure Civili Romano olim permissus fuit, ut extra omnem legis pœnam esset, *l. 3. §. 1. ff. de concub.* ob eam rationem vocatur in jure licita consuetudo, *l. 5. C. ad SCt. Orphit.* Concubinatus tamen olim non omnibus promiscuè fuit permissus, sed iis saltem, qui uxores non habebant, ne dilectio concubinæ minueret, vel planè tolleret amorem uxori debitum, *l. un. C. de concubinis.* Nec olim infamare potuit concubinatus, *l. 3. §. 1. & t. t. ff. de concubin.* quia est imitatio quædam matrimonii, vel est quasi semi-matrimonium. Vocatur etiam inæquale conjugium, *l. 3. C. de natur. liber.* sed minus propriè. Ideò olim juxta Jus Romanum antiquum concubina fuit loco uxoris in domo alicujus, quæ cum patrefamilias corpus licitè miscuit, *l. 144. ff. de V. S.* quales concubinas olim Romani honesto nomine vocarunt amicas; hodiè verò eas satis honestè vocant, es ist meine Base; quasi verò grata ejusmodi animalcula subjicibilia non essent nota, præprimis si adhæreant viro cœlibi, valido & satis robusto. Sapienti sat &c. Olim etiam lupanaria & sordida meretricum consuetudo fuit permissa, *l. 22. & l. 29. in fin. C. ad L. Jul. de adult.* Jura hunc vagum concubitum & scortationem non ideò permiserunt, ac si hanc inordinatam Veneris libidinem ab omni crimine immunem esse assererent; sed ad majora mala in republicâ præcavenda (scilicet adulterium & Sodomiam) per conniventiam permittere cogebantur, &c. Contrarium statuit jus Divinum, quod omnem concubitum extra matrimonium damnat, *1. Cor. 5. 6. & 10. vers. 8.* cùm sit directò contra sextum decalogi præceptum: eundem & jus canonicum damnat; ubi inter alia *c. 6. distinct. 34.* dicit

dicit, fornicari vobis non licet, sufficiant vobis uxores, si vos surdi estis, audiant angeli; si vos contemnitis, concubinas vobis habere non licet; etsi non habeatis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas &c.

Condemnari quis rectè potest? Resp. nemo justè condemnari potest, nisi vel convictus sit criminis, vel illud sponte confessus sit, *caus. 2. q. 1. can. 13.* Ergò confessio vi aut metu tormentorum expressa neminem condemnat, nisi factam confessionē posteà iterùm confirmet, *l. 1. §. 23. ff. de quæstion.* quæstio enim sivè tortura est res fragilis & periculosa, veritatem sæpè fallens; quia plerique torturæ subjecti tanta sunt cordis duritia, ut ipsis veritas vi tormentorum nullo planè modo exprimi possit: alii econtra, tantâ sunt impatientiâ, ut metu tormentorum quidvis in propriam perniciem mentiri, quàm tormentis ampliùs cruciari velint.

Condictio absolutè considerata est generale nomen, omnes actiones personales in se complectens. Dicitur à condicendo, h. e. denunciando diem & locum coram testibus, ac convenire cùm reo, quâ die judicio se sistere velit, *§. 15. Inst. de action.* nam olim in Rep. R. moris fuit, ut, judicio à Prætore urbano, seu magistratu, constituto, diem ex suo commodo litigatores determinarent, quo causa controversa in judicio examinaretur, *l. 8. ff. qui satisd. cog.* cum autem ejusmodi condictiones sive denunciationes præsertim in actionibus personalibus fierent, hinc factum est, ut actiones personales generaliter vocarentur condictiones. Hodiè condictionibus vel denunciationibus talibus non amplius utimur, sed judex reum, mediante actoris petitione & libelli oblatione, in jus vocari sivè citari jubet.

Condictio causa data causa non sequuta est, quâ quis alteri quid ob causam futuram honestam dedit, causâ verò ab altero promittente non impletâ, datum justè repetit dans; nam si accipiens causam (sivè promissum) non adimpleat, obstringitur ad reddendum, quod datum est. De hac condictione in ff. & Codice agitur de condictione ob causam datorum. Ergò si quid alicui detur aut donetur ob causam, e. gr. ut Romam proficiscatur ad defendendam causam controversam, per appellationem ibi devolutam, si causa non sequatur, hoc est, si is id non faciat, tunc alter, qui aliquid ob certam causam dedit, datum justè condicit ex capite causæ non secutæ, *l. 2. C. de condict. ob caus. dator.* hæc condictio videtur ex quasi contractu & tacita

tacita conventione oriri, ut, si promissum non fiat, repetere liceat, quod datum est, ob promissum non adimpletum, *l. 52. ff. de condict. indeb.*

Condictio sine causa est actio personalis, quâ quis illud, quod sine causa datum est, repetit, e. gr. quando pater futuro suo generi pro dote filiæ certam pecuniæ summam promittit, & matrimonium non sequitur, *l. ult. pr. & §. 1. ff. de condict. sine caus.* vel si quis alteri dedit chirographum spe mutuò accipiendi pecuniam, quam postea non accepit, *l. ult. C. de condict. ex lege.* vel si chirographum post solutam pecuniam apud creditorem adhuc existat, id sine causa apud creditorem existere dicitur. *l. 2. C. ibidem.*

Condictio indebiti est, dum quis aliquid quasi ex mutuo accipit, ad quod reddendum justè obligatur. Ergò qui indebitam pecuniam ignorans solvit, hoc ipso videtur contrahere cum illo, cui solvit, quod sibi ex mutuo tacitè sit obligatus, ad solutum reddendum, *l. 2. & 33. ff. de condict. indebiti.* Hæc condictio ex bono & æquo oritur; æquum namque est, ut omne illud, quod alterius est, & apud alterum sine justa causa deprehenditur, justè repeti possit; ne quis cum alterius damno locupletetur, *l. 14. ff. d. t.* ast si quis sciens indebitum solvat, cessat condictio sivè repetitio indebiti; ratio est, quia in tali casu solvens donare videtur: ubi non sufficit condictionem indebiti allegari, quia illa est facti, quod æquè probandum, quàm ignorantia sive error; ob id actori in condictione indebiti duo extrema sunt probanda, (1) solutio & (2) ignorantia sivè error, h. e. quod indebitum solverit, & quidem ex ignorantia: quoniam sibi persuasit, se accipienti ad solvendum esse obstrictum, *l. 25. pr. ff. de probat.* quo casu ignorantia facti proprii toleratur ob damnum vitandum, *l. 22. §. 1. ff. de condict. indebit.*

Condictio furtiva est actio personalis & civilis, quâ Dominus rem sibi furto dolosè ablatam à fure, vel ejus hæredibus repetit, *l. 1. ff. de condict. furt. & §. 14. Inst. de action.* Condictione hâc furtivâ rem nostram, nobis dolosè surreptam, licitè persequimur & petimus, *§. fin. Inst. de obligat. quæ ex delicto nasc.* Condictio hæc furtiva soli Domino ejusque hæredibus contra furem competit, *l. 2. ff. de condict. furt.* estq; actio rei persecutoria & non pœnalis, *l. 7. §. 2. ff. d. t.* quæ ex obligatione descendente ex causa furtiva oritur; ab hac condictione furtiva differt actio furti, quoniam illâ furtivam saltem rem

persequimur, hâc verò pœnam dupli vel quadrupli persequimur, *dict. §. fin.*

Condictio ob turpem vel injustam causam est, quâ id, quod ob factum respectu solius accipientis turpe, datum aut promissum repetitur, licet factum præstitum, sive causa secuta fuerit; fundamentum hujus condictionis est quasi delictum, nimirum acceptio ex turpi causa. Hæc condictio competit illi, qui nihil turpe intendens, aliquid dedit, & ideò danti competit contra eum, qui aliquid turpiter accepit, ad restituendum datum: quoniam nemo ex sua turpitudine aut injustitia lucrum sperare vel percipere debet, *l. 11. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.* ut si quis alicui pecuniam metu mortis extorqueat, ne accipiens dantem occidat, aut si quis pecuniam sub illo metu accipiat, ne virginem stupret, aut ne sacrilegium committat, aut ne rempublicam hosti prodat, vel ne domum vicini dolosè comburat, &c. quæ omnia turpitudinem moralem in se continent. Hîc probè notandum: omne quod datur, aut ob rem consequendam, aut ob causam datur, *l. 1. ff. de condict. ob turpem causam.* Datur quid ob rem honestam vel turpem: quod ob rem honestam datur, tunc repeti potest, si res, propter quam datum est, secuta non fuerit: ob rem turpem ita datur, ut aut dantis sit turpitudo, & non accipientis; aut saltem accipientis, aut utriusque: quando solius dantis turpitudo intercedit, datum repeti nequit, quia repetens propriam allegaret turpitudinem, *l. 5. C. d. t.* ut si juvenis puellæ pro inhonesto coitu ducatum daret, tunc ille contra honestatem fovendo malas cogitationes turpiter daret pecuniam, ast illa non turpiter acciperet, si illa pecuniam castâ mente retineret, ad deludendum juvenem, modò illa illicitis & libidinosis ejus desideriis mente & corde non annuat, denegato juveni tam turpi concubitu: item si quis meretrici pecuniam daret pro inhonesto coitu, quô casu dans videretur turpiter agere, non accipiens: nam licet in se turpe sit esse meretricem, attamen turpiter non acciperet pro concubitu datum, quia non quà honesta persona, sed quà meretrix id accepisset, *l. 29. C. ad L. Jul. de adult.* Ast si turpis tantum causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, propter quam datum est, repeti potest: ut si actor judici multum pecuniæ det, ut pro se in justissima causa sententiam ferat, quia judex id gratis ratione demandati officii, æquitate suadente & justitiâ impellente præstare obligatur, *l. fin. ff. d. t. de condictione ob turpem causam.* Quando verò utriusque & dantis

dantis & accipientis turpitudo in negotio versatur, tunc datum reperi nequit; quia in pari causa potior debet esse accipientis & possessoris conditio, *l. pen. ff. h. t.* Quidquid hic de turpi causa dictum est, id de omni etiam injusta causa dictum intelligitur, nam quidquid injustè datur, aut injustè fit, id turpiter dari aut fieri censetur, cum injustitiâ nihil sit pejus & deterius.

Conditio est casus collatus in futurum (vel est futurus eventus, in quem dispositio suspenditur) qui evenire, vel non evenire, vel aliter evenire potest. Conditio in genere est triplex, (1) potestativa, (2) casualis, & (3) mixta; quarum eventus ex fortuna vel hominum voluntate, vel ex utraque mixtim dependet. Conditio possibilis sivè potestativa testamento adjecta est, quæ confertur in hæredis potestatem, ut ab eo impleatur, e. gr. si testator Titium sub hac conditione instituerit hæredem, si Titius in Academiis studium juris diligenter excoluerit, hæres esto, &c. Casualis conditio est, quæ confertur in casum, si Titius Consul factus fuerit, hæres esto. Conditio mixta est, quæ partim ab instituto hærede, partim à casu dependet, ut si testator dixerit, si Titius peregrè profectus, in patriam redierit, & Catharinam puellam duxerit uxorem: num autem puella huic hæredi sub hac conditione instituto nubere velit, non est in potestate hæredis, sed puellæ, sic est casualis, *l. un. §. 7. C. de caduc. toll.*

Conditio est vel possibilis vel impossibilis. Illa per rerum naturam adimpleri potest; hæc non item. Hinc dicimus, quod conditio sit vel Physicè (sivè naturâ) vel moraliter (sivè lege) impossibilis; illa est, qua per rerum naturam fieri nequit, e. gr. si mare ebiberis, vel cœlum digito tetigeris, tibi mille dabo. Hæc est, quæ secundum leges honestè fieri nequit, sed bonis moribus repugnat, *l. 15. ff. de condit. instit.* e. gr. si inimicum meum necaveris, vel Deum abnegaveris, dabo tibi mille. Ex ejusmodi contractu inhonesto promittens non obligatur, etiamsi alter, puta stipulator horrendum hoc delictum in effectum deduxerit, quia rerum turpium nulla est obligatio. Ex hoc fundamento statuunt jura civilia, quod si juvenis ancillam spe & promissione certi præmii, ad illicitam venerem dolosè & libidinosè permoverit, is ad implendum promissum ancillæ civiliter non obligetur, quia ex turpi causa promissum est. Et vice versâ, quod ancilla non obligetur illicitam venerem cum juvene exercere, etiamsi illa inhonestum coitum acceptâ pecuniâ juveni

promiserit; imo ne quidem pecuniam sordido nomine acceptam, juveni reddere cogitur; ratio est, quia ex turpi causa datum repeti nequit, *l. 1. & seqq. de condict. ob turp. caus.* ejusmodi ridiculi casus interdum accidere solent.

Conditio impossibilis contractibus adjecta reddit contractum inutilem, *l. 31. ff. de oblig. & act.* quia tunc ludere videntur contrahentes, nec obligari velle. Contrarium obtinet in ultima voluntate; ut si testamento impossibilis conditio ascribatur, tunc favore ultimæ voluntatis habetur pro non adjecta, acsi testamento non esset adscripta, *§. 10. Inst. de hæred. instit.*

Conditio nihil iniqui in se continere debet. Hinc nemini regulariter per alterum iniqua conditio inferenda est, *l. 41. ff. de R. J.* Excipe, si pater crimen læsæ Majestatis commiserit, filius per patrem redditur infamis, & privatur totâ paternâ hereditate; ut ut filius sit innocens, quod fit ob atrocitatem criminis, & præsumtionem hereditarii criminis: in filio enim metuitur exemplum hereditarii criminis, *l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* juxta Germanorum proverbium: Der Apfel fällt nicht weit von dem Stamm.

Conditio habetur jam impleta, si is non sit in mora vel culpa, à quo implenda est, sed impeditur ab illo, cui promisit conditionis implementum, vid. *t. ff. de condict. causa data, causa non secuta.* ratio hujus asserti est in *l. 39. ff. de R. J.* in omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium morasit, quo minus fiat: quoniam paria videntur, aliquem quid facere, vel per eum non stare, quo minus fiat, *l. 23. ff. de condit. instit.* sufficit habere voluntatem negotium perficiendi. e. gr. si quis mihi promisisset mille imperiales, si ejus filiam in uxorem duxero, accipio conditionem; sed is eam mihi posteà denegat; quo casu conditio à parte mei censetur impleta. Ast si morte filiæ interveniente eam ducere non potuerim, tunc conditio non intelligitur impleta, *l. 4. C. de condit. insert.* ubi dicimus secundum jura, conditio nisi impleta nihil ponit in esse. Sic conditionales venditiones tunc demum perficiuntur, cum impleta fuerit adjecta conditio.

Conditiones intrinsecè testamento accedentes (h. e. quæ tacitè insunt) non faciunt legata conditionalia, *l. 99. ff. de condit. & demonstrat.* nisi per extensionem sic loqui velimus.

Conductio ad quid obligat? Resp. qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine justa ac probabili causa deseruerit, ad solvendas

das totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, *l. 59 §. 2. ff. de locat. & conduct.*

Confessionem fidei Catholicæ in scriptis publicè facere voluit Imperator Justinianus ad fervorem sinceræ religionis Catholicæ contestandum, vide *l. 5. C. de Summa Trinitate.* Hic religiosissimus Imperator maximum suum studium & curam in legibus ferendis, & in republica feliciter gubernanda publicè declaravit *in Novell. 7. pr. & Novell. 86. pr.* quomodo omnia ad utilitatem Reipublicæ, à DEO sibi concreditæ, & ad tranquillitatem ac felicitatem subditorum retulerit, ac direxerit; inque hanc curam dies noctesque anxiè incubuerit, *Novell. 85. princ. & Novell. 109.* quo etiam fine *in Novell. 5.* dicit, decet Imperatoriam Majestatem eâ provisione cuncta complecti, ut in nullo publica lædatur utilitas. Salus populi suprema lex esto.

Confrontatio est commissio testium cum inquisito sivè reo. Testes enim solent cum inquisito confrontari, & in ejus præsentia repetuntur & confirmantur prius à se dicta. Sic melius convincitur delinquens ex visu, trepidatione, gestibus, voce. Et ut major testimonio sit fides, testi iterum post factum testimonium prælegitur depositio testimonii, & interrogatur, num assertum suum pro veris habeat. Quo affirmante, interrogandus est reus, quid contra testem excipiat. Tum testis ad rei exceptionem replicare debet, & inquisitus duplicare, &c. Postea alius testis cum inquisito iterum est confrontandus, &c.

Conjugalis affectus in unam, & non in plures fœminas dividi debet. Ab initio enim una costa in unam fœminam, & non in plures conversa est, *c. 8. X. de divort.* Hinc patet, jure naturæ non esse licitum, plures simul uxores ducere, ne amor maritalis distrahatur, & status conjugalis in liberorum educatione ac regenda familia confundatur.

Conjuges facta promissa servare debent. Ergò quicquid sub initio matrimonii per pacta dotalia inter se firmiter constituerunt conjuges, id servandum est, *t. t. ff. de pact.* ratio est, quia conventio & pacta dant legem contractui, *l. 1. §. 6. ff. depositi.* a quo temerè recedendum non est.

Conjuges non sunt affines, sed affinitatis origo. Affinitas enim inter unum conjugem, & alterius conjugis cognatos est; ut inter uxoris

mnandæ ſunt. Sæpè enim honeſta matrona vel virgo ad Comœdiam procedit, & inhoneſta revertitur. Inſuper hiſtriones quæſtuariâ ſuâ arte civitatum pecunias exhauriunt. Eo fine olim repudium permiſit Imperator, ſi uxor inſcio vel invito marito ad theatrales ludos, vel arenarum ſpectacula iret *l. 8. §. 3. C. de repud.* quod fiebat ob præſumtionem libidinis & adulterii, hiſce enim illecebris mulierum pudicitia præſumitur attentata.

Commodum ſub quo temperamento morali percipiendum eſt? Reſp. juxta juris regulam: qui vult ſentire cōmoda, is debet & incommoda ſentire, *l. 10. ff. d. R. J.* Ergò qui vult hæreditatem locupletem adire, is debet quoque hæreditatis debita ſolvere, ne fiat locupletior cum aliorum damno. Ex oppoſito, qui ſuffert rei incommoda, illi nec ejuſdem commoda invidere debemus, *l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv. arcend.* & *l. 18. ff. de uſufr.* ne is iniquè prægravetur; exemplum habemus in *§. 20. Inſt. de rer. diviſ.* quod proprietas riparum ſit illorum, quorum prædiis adhæret; nam ſi morſu fluminis ripæ fiant latiores, hoc damnum ad eoſdem prædiorum dominos pertinet. Hinc prudentiſſimè aſſerit Imperator Juſtinianus in *l. un. §. 4. C. de caduc. toll.* quod is non ſit ferendus, qui lucrum amplectitur, ſed onus ei annexum contemnit; cùm naturâ æquum ſit, commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda, *l. 10. ff. de Reg. Jur.*

Communio rerum diſcordias excitare ſolet, *l. 77. §. 20. ff. de legat. 2.* quod enim multis commune eſt, nemini curæ eſſe ſolet, ſed ſegnius plerumque ab omnibus tractatur; cum naturale ſit hominum vitium: id regulariter negligi, quod à multis communiter poſſidetur. Ideò quilibet rem communem, pro parte ſua indiviſa, licitè vendere poteſt. *l. 3.* & *4. C. de commun. rer. alienatione.* Primis quidem mundi temporibus, cùm pauci adhuc exiſterent homines, res omnes, quotquot in mundo erant, habebantur communes, ut non magis ad hunc, quàm ad alterum propriè ſpectarent: quoties verò tunc temporis unus vel alter certam rem, vel terram, in ſui utilitatem poſſidere inciperet, eam tamdiu retinebat quietam & quaſi propriam, quamdiù illam poſſidebat, & ad ſuos uſus applicabat. Ipſo autem momento, quo apprehenſas res relinquere deſinebat, eas quilibet alius pro arbitrio occupare, ſibique retinere poterat. Aſt ſucceſſu temporis, aucto undique genere humano, & occupatis ubique terrarum poſſeſſionibus, ad evitandas lites, pacem & tranquil-

quillitatem inter homines conservandam, terræ & agri inter homines sunt divisi, & singulis assignati; sic dominia tandem rerum ab hominibus sunt introducta, ne communio amplius mortalibus discordias excitare posset. De his apertè loquitur Imperator in *l. 5. ff. de justit. & jure* Jure gentium, inquit, introducta sunt bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collata, commercium, contractus, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, & reliquæ contractuum species; unde obligationes institutæ, &c. Sciendum tamen, quòd non omnes res, factâ primâ illâ rerum divisione, simul & semel in proprietatem certorum hominum pervenerint, sed successivè & prout usus generis humani id postulare visus est. Multæ res sunt divisæ, & à certis hominibus separatim occupatæ; quædam intra primævam communionem permanserunt, ut lumen, aër, aqua profluens, calor solis, immensus Oceanus, &c. *§. 1. Inst. de rer. divis.* Verùm, quæ primis temporibus non fuerunt divisa, sed communia juxta primævum statum manserunt, sic semper fuerunt qualificata, ut cederent primo occupanti; quo jure naturali Hollandi hoc seculo multas incognitas & desertas regiones occuparunt, sibique proprias effecerunt. Ex introducto hoc rerum dominio certa officia hominibus jure naturali & gentium injuncta fuerunt, quæ adhuc sunt observanda, (1) ut quilibet obligetur pati, alterum rebus suis quietè frui, neque illas vi aut fraude, sive dolo, in veri domini præjudicium vel detrimentum corrumpere, aut quovis modo ad se contra domini voluntatem trahere. Quo referuntur duo sequentes tituli. *ff. ad L. Juliam. de vi public. & t. ff. ad L. Jul. de vi privata.* eo fine furta & rapinæ jure gentium prohibentur *l. 42. de verb. signif.* (2.) Quoties res aliena fortè ad me sine Domini consensu & sine justo titulo pervenit, obligor eandem vero domino, (si eum cognovero) restituere, ne injustè fiam locupletior cum alterius damno, *l. 14. ff. de condict. indebiti.* Ex hoc fundamento fluit: si fur rem furtivam apud me, furti ignarum, deposuerit, & posteà verus rei dominus accesserit, domino, & non furi rem depositam restituere cogor, *l. 31. §. 2. ff. deposit.* De his vide plura apud Grotium de jure belli & pacis; & apud JCtum à Felden, universalia juris tractantem.


Comparatio quatenus in jure attenditur? Resp. quicquid alicui comparatur, non est id ipsum, cui comparatur; sic lata culpa dolo

comparatur, *l. 32. ff. depositi.* Ergò non est ipse dolus; quæ duo in delictis distinguuntur, *l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* hinc si quis culpâ latâ committit homicidium, ultimo supplicio non afficitur, sed leviori pœna.

Compensatio est debiti & crediti inter se contributio; quod fit, quando creditor debitori iterum liquidò & purè debet ex alia justa causa; & si tantundem, in quantum creditori est obligatus, solvere debet, compensatur tota debiti summa; si verò fuerit minus, quoad concurrentem saltem summam, ut invicem tollantur. Ob id compensatio dicitur imaginaria & interpretativa solutio, quâ debitum liquidum & certum cum debito liquido & certo, reciprocum actoris & rei justè compensatur. Compensatio enim est species solutionis, *l. 4. in fin. ff. qui potior in pign.* Compensatio tamen non fit immediatè ipso jure, sed opponi debet à reo, *l. 2. l. 8. & l. fin. C. de compensat.* Undè Germanorum proverbium: Abschlag ist gute Bezahlung; quod ratione haud caret, quia debitoris interest, in mutuâ, certâ & liquidâ obligatione potius non solvere, quàm solutum postea repetere, e. gr. si Titius à Mævio peteret ex emptione & venditione 100. & Mævius vice versâ à Titio 60. ex locatione & conductione: quod si in hisce casibus debitum ab utraque parte sit liquidum, tunc Mævius, factâ compensatione, 40. saltem reverà solvit, reliqua 60. per imaginariam solutionem solvere videtur. Ast si debitum prætensum Mævii sit illiquidum, secus se res habet; quia liquidum cum illiquido compensari nequit, *l. ult. §. 1. C. de compensat.* Causa efficiens compensationis sunt personæ compensantes, creditor & debitor reciprocus: compensatio enim oritur partim ex naturali æquitate, partim ex civili. Ex naturali, quia interest nostra potiùs non solvere, quàm solutum repetere, *l. 3. ff. h. t.* Dolo etiam malo postulat, qui petit id, quod restituere debet, *c. 59. de R. J. in 6to.* Ex civili autem æquitate sivè ratione; quia compensatio pertinet ad dirimendas lites, ne fiat per plura, quod per pauciora præstari potest, *l. 10. C. de judic.* sic actiones compensatione minuuntur. Materia sive objectum cõpensationis sunt debita liquida & res fungibiles. Finis compensationis est, ut præscindantur litium occasiones, ac uno judicio negotium, contributione ultro citroque facta, transigatur; quod alioquin pluribus judiciis & actionibus esset expediendum, & sic justè minuuntur actiones. Hîc tria notanda sunt requisita, (1) ut debitum utriusque sit certum & liquidum,

dum, ex causa judicati, *l. 2. C. h. t.* vel ex alia legitima ac clara probatione tali, ut instrumentis, vel testibus statim demonstrari possit: ratio est, quia liquidum cum illiquido compensari nequit, *l. ult. §. 1. C. de compensat.* (2) ut debitum sit purum & statim exigibile: nam quod in diem, vel sub conditione debetur, compensari nequit, *l. 7. ff. b. t.* & (3) ut utrimque debeatur, hoc est, ut is, qui convenitur, illi ipsi, qui ipsum convenit, vicissim ex justa causa debeat, hoc est, ut sibi invicem sint creditores & debitores, *l. 18. §. 1. & l. pen. ff. b. t.*

Comprivigni nec sunt cognati, nec affines; quia sunt ex diversis planè conjugiis procreati, sine nexu sanguinis liberi, e. gr. Paulus & Mævia sunt conjuges. Hic Paulus ex priori matrimonio habet filium Petrum, & Mævia uxor ejus ex alio matrimonio habet filiam Annam. Jam quæritur, an Petrus jure possit ducere Annam in uxorem? dicimus quod sic; ratio assertionis est, quia hi liberi ex diversis planè matrimoniis progeniti, inter se nec affines, nec consanguinei sunt. Non sunt affines, quoniam affinitas constituitur inter unum conjugem, & alterius conjugis cognatum, non autem inter utriusque conjugis cognatos se extendit affinitas. Nec sunt consanguinei, dum nullo sanguinis nexu inter se reverà sunt conjuncti, &c. Quod si verò Paulus & Mævia ut conjuges ex secundo suo conjugio postea procrearent filium Johannem, & filiam Catharinam; hæc filia Catharina non posset nubere Petro; ratio est, quia hæ duæ personæ sunt fratres & sorores consanguinei, ex eodem patre Paulo procreati. Idem statuendum esset, si filius Johannes ducere vellet Annam in uxorem, non posset; ratio est, quia sunt fratres & sorores uterini, & sic ex uno latere inter se arctissimo sanguine juncti: ideo jura in prohibendis matrimoniis non considerant, num fratres & sorores sint germani, h. e. ex utroque parente nati, num verò consanguinei aut uterini; quoniam hi omnes sunt in primo gradu collaterali. Res subsequenti exemplo erit clarior.



Compromissum quid operatur ? Resp. à persona (hoc est, arbitro) in qua est compromissum, regulariter recedere non possunt litigantes, si arbiter compromissarius sententiam solenniter, observato juris ordine, tulerit, *l. 27. §. 2. ff. de recept. arbitr.* Ast si dolosè egerit arbiter in unius partis præjudicium, à compromisso licitè recedi potest, *l. 3. C. d. t.* exceptione doli opposità; ne arbitri malitia litiganti (reo vel actori) iniquè noceat.

Conatus hodiè regulariter in delictis non punitur, *attestantibus practicis Carpzovio in crim. part. 1. q. 2. Perezio & Meiero*; ast in atrocissimis delictis, ut in crimine læsæ Majestatis, assassinii, &c. conatus perindè punitur, quàm ipsi delicti atrocioris effectus; intellige, si conatus ad aliquem externum actum & effectum pervenerit. Eapropter is etiam pacem publicam fregisse dicitur, qui non reverà ipso actu eam fregit, vel in eam dolosè deliquit; sed qui eandem frangere, sive in eam delinquere conatur, *Recess. Imper.* Land-Fried. *de anno 1548. art. 3.*

Concilia generalia sunt conventus Episcoporum, quæ Episcopi, ex toto terrarum orbe in unum convenientes, authoritate sedis Apostolicæ condunt, *distinct. 17. can. 1. & 2.* Concilia universalia quatuor priora sunt sequentia: Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, *Novell. 115. c. 3. §. 14. & distinct. 16. can. 8.* In Conciliis semper agitur de verâ Catholica religione conservanda, & propaganda; de dissensionibus circa fidem tollendis, deque hæresibus & erroribus exstirpandis, *distinct. 15. can. 1.* Concilia generalia demùm incœperunt sub initio seculi quarti, tempore Constantini Magni; quia ante illa tempora, ob Imperatorum Ethnicorum gravissimas persecutiones, congregari non potuerunt Episcopi, *distinct. 15. can. 1. pr.* In primo Concilio, puta Niceno, congregati fuerunt 318. Episcopi, qui Arrium hæreseos damnarunt, anno Christi 328. In secundo Concilio generali Macedonius: In tertio Nestorius: Et in quarto Eutyches hæreseos publicè condemnati sunt. Hîc notandum, Concilia à loco, ubi habita sunt, nomen acceperunt.

Conclusio causæ controversæ in foro est omnium probationum & allegationum ulteriorum renunciatio, & ad sententiam submissio, quâ partibus os clausum est. Tunc in causa controversa dicitur conclusum, quando prævià litis contestatione & deductis probationibus, (per testes & instrumenta) exceptionibus, replicationibus, dupli-

duplicationibus, &c. litigantes utrinque renunciarunt omnibus ulterioribus exceptionibus, disceptationibus, & allegationibus juris & facti, causamque controversam cognitioni judicis committunt, *c. 5. X. de causa possess. & proprietat.* quæ partium renunciationes actis inserendæ sunt ad publicum testimonium, *c. 11. X. de probation.* Conclusio causæ alia est pura, quæ simpliciter & absolutè causam concludit; alia est eventualis, quæ fit cum conditione, protestatione, & reservatione, dicendo: hisce concludo, causamque controversam ad definiendum judici submitto; si adversa pars nihil novi amplius attulerit, vel alioquin nihil de novo emerserit: quod si pars adversa absque justa causa concludere nolit, tunc potest judex ob contumaciam illius causam pro conclusa acceptare, & sententiam pronunciare, *Auth. jubemus C. de judiciis.*

Concubinatus Jure Civili Romano olim permissus fuit, ut extra omnem legis pœnam esset, *l. 3. §. 1. ff. de concub.* ob eam rationem vocatur in jure licita consuetudo, *l. 5. C. ad SC. Orphit.* Concubinatus tamen olim non omnibus promiscuè fuit permissus, sed iis saltem, qui uxores non habebant, ne dilectio concubinæ minueret, vel planè tolleret amorem uxori debitum, *l. un. C. de concubinis.* Nec olim infamare potuit concubinatus, *l. 3. §. 1. & t. t. ff. de concubin.* quia est imitatio quædam matrimonii, vel est quasi semi-matrimonium. Vocatur etiam inæquale conjugium, *l. 3. C. de natur. liber.* sed minus propriè. Ideò olim juxta Jus Romanum antiquum concubina fuit loco uxoris in domo alicujus, quæ cum patrefamilias corpus licitè miscuit, *l. 144. ff. de V. S.* quales concubinas olim Romani honesto nomine vocarunt amicas; hodiè verò eas satis honestè vocant, es ist meine Base; quasi verò grata ejusmodi animalcula subjicibilia non essent nota, præprimis si adhæreant viro cœlibi, valido & satis robusto. Sapienti sat &c. Olim etiam lupanaria & sordida meretricum consuetudo fuit permissa, *l. 22. & l. 29. in fin. C. ad L. Jul. de adult.* Jura hunc vagum concubitum & scortationem non ideò permiserunt, ac si hanc inordinatam Veneris libidinem ab omni crimine immunem esse assererent; sed ad majora mala in republicâ præcavenda (scilicet adulterium & Sodomiam) per conniventiam permittere cogebantur, &c. Contrarium statuit jus Divinum, quod omnem concubitum extra matrimonium damnat, *1. Cor. 5. 6. & 10. vers. 8.* cùm sit directò contra sextum decalogi præceptum: eundem & jus canonicum damnat; ubi inter alia *c. 6. distinct. 34.*

dicit, fornicari vobis non licet, sufficiant vobis uxores, si vos surdi estis, audiant angeli; si vos contemnitis, concubinas vobis habere non licet; etsi non habeatis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas &c.

Condemnari quis rectè potest? Resp. nemo justè condemnari potest, nisi vel convictus sit criminis, vel illud spontè confessus sit, *caus. 2. q. 1. can. 13.* Ergò confessio vi aut metu tormentorum expressa neminem condemnat, nisi factam confessionē posteà iterùm confirmet, *l. 1. §. 23. ff. de quæstion.* quæstio enim sivè tortura est res fragilis & periculosa, veritatem sæpè fallens; quia plerique torturæ subjecti tanta sunt cordis duritia, ut ipsis veritas vi tormentorum nullo planè modo exprimi possit: alii econtra, tantâ sunt impatientiâ, ut metu tormentorum quidvis in propriam perniciem mentiri, quàm tormentis ampliùs cruciari velint.

Condictio absolutè considerata est generale nomen, omnes actiones personales in se complectens. Dicitur à condicendo, h. e. denunciando diem & locum coram testibus, ac convenire cùm reo, quâ die judicio se sistere velit, *§. 15. Inst. de action.* nam olim in Rep. R. moris fuit, ut, judicio à Prætore urbano, seu magistratu, constituto, diem ex suo commodo litigatores determinarent, quo causa controversa in judicio examinaretur, *l. 8. ff. qui satisd. cog.* cum autem ejusmodi condictiones sive denunciationes præsertim in actionibus personalibus fierent, hinc factum est, ut actiones personales generaliter vocarentur condictiones. Hodiè condictionibus vel denunciationibus talibus non amplius utimur, sed judex reum, mediante actoris petitione & libelli oblatione, in jus vocari sivè citari jubet.

Condictio causa data causa non sequuta est, quâ quis alteri quid ob causam futuram honestam dedit, causâ verò ab altero promittente non impletâ, datum justè repetit dans; nam si accipiens causam (sivè promissum) non adimpleat, obstringitur ad reddendum, quod datum est. De hac condictione in ff. & Codice agitur de condictione ob causam datorum. Ergò si quid alicui detur aut donetur ob causam, e. gr. ut Romam proficiscatur ad defendendam causam controversam, per appellationem ibi devolutam, si causa non sequatur, hoc est, si is id non faciat, tunc alter, qui aliquid ob certam causam dedit, datum justè condicit ex capite causæ non secutæ, *l. 2. C. de condict. ob caus. dator.* hæc condictio videtur ex quasi contractu & tacita

tacita conventione oriri, ut, si promissum non fiat, repetere liceat, quod datum est, ob promissum non adimpletum, *l. 52. ff. de condict. indeb.*

Condictio sine causa est actio personalis, quâ quis illud, quod sine causa datum est, repetit, e. gr. quando pater futuro suo generi pro dote filiæ certam pecuniæ summam promittit, & matrimonium non sequitur, *l. ult. pr. & §. 1. ff. de condict. sine caus.* vel si quis alteri dedit chirographum spe mutuò accipiendi pecuniam, quam postea non accepit, *l. ult. C. de condict. ex lege.* vel si chirographum post solutam pecuniam apud creditorem adhuc existat, id sine causa apud creditorem existere dicitur. *l. 2. C. ibidem.*

Condictio indebiti est, dum quis aliquid quasi ex mutuo accipit, ad quod reddendum justè obligatur. Ergò qui indebitam pecuniam ignorans solvit, hoc ipso videtur contrahere cum illo, cui solvit, quod sibi ex mutuo tacitè sit obligatus, ad solutum reddendum, *l. 2. & 33. ff. de condict. indebiti.* Hæc condictio ex bono & æquo oritur; æquum namque est, ut omne illud, quod alterius est, & apud alterum sine justa causa deprehenditur, justè repeti possit; ne quis cum alterius damno locupletetur, *l. 14. ff. d. t.* ast si quis sciens indebitum solvat, cessat condictio sivè repetitio indebiti; ratio est, quia in tali casu solvens donare videtur: ubi non sufficit condictionem indebiti allegari, quia illa est facti, quod æquè probandum, quàm ignorantia sive error; ob id actori in condictione indebiti duo extrema sunt probanda, (1) solutio & (2) ignorantia sivè error, h. e. quod indebitum solverit, & quidem ex ignorantia: quoniam sibi persuasit, se accipienti ad solvendum esse obstrictum, *l. 25. pr. ff. de probat.* quo casu ignorantia facti proprii toleratur ob damnum vitandum, *l. 22. §. 1. ff. de condict. indebit.*

Condictio furtiva est actio personalis & civilis, quâ Dominus rem sibi furto dolosè ablatam à fure, vel ejus hæredibus repetit, *l. 1. ff. de condict. furt. & §. 14. Inst. de action.* Condictione hâc furtivâ rem nostram, nobis dolosè surreptam, licitè persequimur & petimus, *§. fin. Inst. de obligat. quæ ex delicto nasc.* Condictio hæc furtiva soli Domino ejusque hæredibus contra furem competit, *l 2. ff. de condict. furt.* estq; actio rei persecutoria & non pœnalis, *l. 7. §. 2. ff. d. t.* quæ ex obligatione descendente ex causa furtiva oritur; ab hac condictione furtiva differt actio furti, quoniam illâ furtivam saltem rem

persequimur, hâc verò pœnam dupli vel quadrupli persequimur, *dict. §. fin.*

Condictio ob turpem vel injustam causam est, quâ id, quod ob factum respectu solius accipientis turpe, datum aut promissum repetitur, licet factum præstitum, sive causa secuta fuerit; fundamentum hujus condictionis est quasi delictum, nimirum acceptio ex turpi causa. Hæc condictio competit illi, qui nihil turpe intendens, aliquid dedit, & ideò danti competit contra eum, qui aliquid turpiter accepit, ad restituendum datum: quoniam nemo ex sua turpitudine aut injustitia lucrum sperare vel percipere debet, *L. 11. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.* ut si quis alicui pecuniam metu mortis extorqueat, ne accipiens dantem occidat, aut si quis pecuniam sub illo metu accipiat, ne virginem stupret, aut ne sacrilegium committat, aut ne rempublicam hosti prodat, vel ne domum vicini dolosè comburat, &c. quæ omnia turpitudinem moralem in se continent. Hic probè notandum: omne quod datur, aut ob rem consequendam, aut ob causam datur, *l. 1. ff. de condict. ob turpem causam.* Datur quid ob rem honestam vel turpem: quod ob rem honestam datur, tunc repeti potest, si res, propter quam datum est, secuta non fuerit: ob rem turpem ita datur, ut aut dantis sit turpitudo, & non accipientis; aut saltem accipientis, aut utriusque: quando solius dantis turpitudo intercedit, datum repeti nequit, quia repetens propriam allegaret turpitudinem, *l. 5. C. d. t.* ut si juvenis puellæ pro inhonesto coitu ducatum daret, tunc ille contra honestatem fovendo malas cogitationes turpiter daret pecuniam, ast illa non turpiter acciperet, si illa pecuniam castâ mente retineret, ad deludendum juvenem, modò illa illicitis & libidinosis ejus desideriis mente & corde non annuat, denegato juveni tam turpi concubitu: item si quis meretrici pecuniam daret pro inhonesto coitu, quo casu dans videretur turpiter agere, non accipiens: nam licet in se turpe sit esse meretricem, attamen turpiter non acciperet pro concubitu datum, quia non quà honesta persona, sed quà meretrix id accepisset, *l. 29. C. ad L. Jul. de adult.* Ast si turpis tantum causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, propter quam datum est, repeti potest: ut si actor judici multum pecuniæ det, ut pro se in justissima causa sententiam ferat, quia judex id gratis ratione demandati officii, æquitate suadente & justitiâ impellente præstare obligatur, *l. fin. ff. d. t. de condictione ob turpem causam.* Quando verò utriusque & dantis

dantis & accipientis turpitudo in negotio versatur, tunc datum repeti nequit; quia in pari causa potior debet esse accipientis & possessoris conditio, *l. pen. ff. h. t.* Quidquid hic de turpi causa dictum est, id de omni etiam injusta causa dictum intelligitur, nam quidquid injustè datur, aut injustè fit, id turpiter dari aut fieri censetur, cum injustitiâ nihil sit pejus & deterius.

Conditio est casus collatus in futurum (vel est futurus eventus, in quem dispositio suspenditur) qui evenire, vel non evenire, vel aliter evenire potest. Conditio in genere est triplex, (1) potestativa, (2) casualis, & (3) mixta; quarum eventus ex fortuna vel hominum voluntate, vel ex utraque mixtim dependet. Conditio possibilis sivè potestativa testamento adjecta est, quæ confertur in hæredis potestatem, ut ab eo impleatur, e. gr. si testator Titium sub hac conditione instituerit hæredem, si Titius in Academiis studium juris diligenter excoluerit, hæres esto, &c. Casualis conditio est, quæ confertur in casum, si Titius Consul factus fuerit, hæres esto. Conditio mixta est, quæ partim ab instituto hærede, partim à casu dependet, ut si testator dixerit, si Titius peregrè profectus, in patriam redierit, & Catharinam puellam duxerit uxorem: num autem puella huic hæredi sub hac conditione instituto nubere velit, non est in potestate hæredis, sed puellæ, sic est casualis, *l. un. §. 7. C. de caduc. toll.*

Conditio est vel possibilis vel impossibilis. Illa per rerum naturam adimpleri potest; hæc non item. Hinc dicimus, quod conditio sit vel Physicè (sivè naturâ) vel moraliter (sivè lege) impossibilis; illa est, qua per rerum naturam fieri nequit, e. gr. si mare ebiberis, vel cœlum digito tetigeris, tibi mille dabo. Hæc est, quæ secundum leges honestè fieri nequit, sed bonis moribus repugnat, *l. 15. ff. de condit. instit.* e. gr. si inimicum meum necaveris, vel Deum abnegaveris, dabo tibi mille. Ex ejusmodi contractu inhonesto promittens non obligatur, etiamsi alter, puta stipulator horrendum hoc delictum in effectum deduxerit, quia rerum turpium nulla est obligatio. Ex hoc fundamento statuunt jura civilia, quod si juvenis ancillam spe & promissione certi præmii, ad illicitam venerem dolosè & libidinosè permoverit, is ad implendum promissum ancillæ civiliter non obligetur, quia ex turpi causa promissum est. Et vice versâ, quod ancilla non obligetur illicitam venerem cum juvene exercere, etiamsi illa inhonestum coitum acceptâ pecuniâ juveni

das totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, l. 59. §. 2. ff. de locat. & conduct.

Confessionem fidei Catholicæ in scriptis publicè facere voluit Imperator Justinianus ad fervorem sinceræ religionis Catholicæ contestandum, vide *l. 5. C. de Summa Trinitate.* Hic religiosissimus Imperator maximum suum studium & curam in legibus ferendis, & in republica feliciter gubernanda publicè declaravit *in Novell. 7. pr. & Novell. 86. pr.* quomodo omnia ad utilitatem Reipublicæ, à DEO sibi concreditæ, & ad tranquillitatem ac felicitatem subditorum retulerit, ac direxerit; inque hanc curam dies noctesque anxiè incubuerit, *Novell. 85. princ. & Novell. 109.* quo etiam fine *in Novell. 5.* dicit, decet Imperatoriam Majestatem eâ provisione cuncta complecti, ut in nullo publica lædatur utilitas. Salus populi suprema lex esto.

Confrontatio est commissio testium cum inquisito sivè reo. Testes enim solent cum inquisito confrontari, & in ejus præsentia repetuntur & confirmantur prius à se dicta. Sic melius convincitur delinquens ex visu, trepidatione, gestibus, voce. Et ut major testimonio sit fides, testi iterum post factum testimonium prælegitur depositio testimonii, & interrogatur, num assertum suum pro veris habeat. Quo affirmante, interrogandus est reus, quid contra testem excipiat. Tum testis ad rei exceptionem replicare debet, & inquisitus duplicare, &c. Postea alius testis cum inquisito iterum est confrontandus, &c.

Conjugalis affectus in unam, & non in plures fœminas dividi debet. Ab initio enim una costa in unam fœminam, & non in plures conversa est, *c. 8. X. de divort.* Hinc patet, jure naturæ non esse licitum, plures simul uxores ducere, ne amor maritalis distrahatur, & status conjugalis in liberorum educatione ac regenda familia confundatur.

Conjuges facta promissa servare debent. Ergò quicquid sub initio matrimonii per pacta dotalia inter se firmiter constituerunt conjuges, id servandum est, *t. t. ff. de pact.* ratio est, quia conventio & pacta dant legem contractui, *l. 1. §. 6. ff. depositi.* a quo temerè recedendum non est.


Conjuges non sunt affines, sed affinitatis origo. Affinitas enim inter unum conjugem, & alterius conjugis cognatos est; ut inter uxoris

comparatur, *l. 32. ff. depositi.* Ergò non est ipse dolus; quæ duo in delictis distinguuntur, *l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* hinc si quis culpâ latâ committit homicidium, ultimo supplicio non afficitur, sed leviori pœna.

Compensatio est debiti & crediti inter se contributio; quod fit, quando creditor debitori iterum liquidò & purè debet ex alia justa causa; & si tantundem, in quantum creditori est obligatus, solvere debet, compensatur tota debiti summa; si verò fuerit minus, quoad concurrentem saltem summam, ut invicem tollantur. Ob id compensatio dicitur imaginaria & interpretativa solutio, quâ debitum liquidum & certum cum debito liquido & certo, reciprocum actoris & rei justè compensatur. Compensatio enim est species solutionis, *l. 4. in fin. ff. qui potior in pign.* Compensatio tamen non fit immediatè ipso jure, sed opponi debet à reo, *l. 2. l. 8. & l. fin. C. de compensat.* Undè Germanorum proverbium: Abschlag ist gute Bezahlung; quod ratione haud caret, quia debitoris interest, in mutuâ, certâ & liquidâ obligatione potius non solvere, quàm solutum postea repetere, e. gr. si Titius à Mævio peteret ex emptione & venditione 100. & Mævius vice versâ à Titio 60. ex locatione & conductione: quod si in hisce casibus debitum ab utraque parte sit liquidum, tunc Mævius, factâ compensatione, 40. saltem reverà solvit, reliqua 60. per imaginariam solutionem solvere videtur. Ast si debitum prætensum Mævii sit illiquidum, secus se res habet; quia liquidum cum illiquido compensari nequit, *l. ult. §. 1. C. de compensat.* Causa efficiens compensationis sunt personæ compensantes, creditor & debitor reciprocus: compensatio enim oritur partim ex naturali æquitate, partim ex civili. Ex naturali, quia interest nostra potiùs non solvere, quàm solutum repetere, *l. 3. ff. h. t.* Dolo etiam malo postulat, qui petit id, quod restituere debet, *c. 59. de R. I. in 6to.* Ex civili autem æquitate sivè ratione; quia compensatio pertinet ad dirimendas lites, ne fiat per plura, quod per pauciora præstari potest, *l. 10. C. de judic.* sic actiones compensatione minuuntur. Materia sive objectum cõpensationis sunt debita liquida & res fungibiles. Finis compensationis est, ut præscindantur litium occasiones, ac uno judicio negotium, contributione ultro citroque factâ, transigatur; quod alioquin pluribus judiciis & actionibus esset expediendum, & sic justè minuuntur actiones. Hîc tria notanda sunt requisita, (1) ut debitum utriusque sit certum & liquidum,

dum, ex causa judicati, *l. 2. C. h. t.* vel ex alia legitima ac clara probatione tali, ut instrumentis, vel testibus statim demonstrari possit: ratio est, quia liquidum cum illiquido compensari nequit, *l. ult. §. 1. C. de compensat.* (2) ut debitum sit purum & statim exigibile: nam quod in diem, vel sub conditione debetur, compensari nequit, *l. 7. ff. h. t.* & (3) ut utrimque debeatur, hoc est, ut is, qui convenitur, illi ipsi, qui ipsum convenit, vicissim ex justa causa debeat, hoc est, ut sibi invicem sint creditores & debitores, *l. 18. §. 1. & l. pen. ff. h. t.*

Comprivigni nec sunt cognati, nec affines; quia sunt ex diversis planè conjugiis procreati, sine nexu sanguinis liberi, e. gr. Paulus & Mævia sunt conjuges. Hic Paulus ex priori matrimonio habet filium Petrum, & Mævia uxor ejus ex alio matrimonio habet filiam Annam. Jam quæritur, an Petrus jure possit ducere Annam in uxorem? dicimus quod sic; ratio assertionis est, quia hi liberi ex diversis planè matrimoniis progeniti, inter se nec affines, nec consanguinei sunt. Non sunt affines, quoniam affinitas constituitur inter unum conjugem, & alterius conjugis cognatum, non autem inter utriusque conjugis cognatos se extendit affinitas. Nec sunt consanguinei, dum nullo sanguinis nexu inter se reverà sunt conjuncti, &c. Quod si verò Paulus & Mævia ut conjuges ex secundo suo conjugio postea procrearent filium Johannem, & filiam Catharinam; hæc filia Catharina non posset nubere Petro; ratio est, quia hæ duæ personæ sunt fratres & sorores consanguinei, ex eodem patre Paulo procreati. Idem statuendum esset, si filius Johannes ducere vellet Annam in uxorem, non posset; ratio est, quia sunt fratres & sorores uterini, & sic ex uno latere inter se arctissimo sanguine juncti: ideo jura in prohibendis matrimoniis non considerant, num fratres & sorores sint germani, h. e. ex utroque parente nati, num verò consanguinei aut uterini; quoniam hi omnes sunt in primo gradu collaterali. Res subsequenti exemplo erit clarior.



Compromissum quid operatur? Resp. à persona (hoc est, arbitro) in qua est compromissum, regulariter recedere non possunt litigantes, si arbiter compromissarius sententiam solenniter, observato juris ordine, tulerit, *l. 27. §. 2. ff. de recept. arbitr.* Ast si dolosè egerit arbiter in unius partis præjudicium, à compromisso licitè recedi potest, *l. 3. C. d. t.* exceptione doli oppositâ; ne arbitri malitia litiganti (reo vel actori) iniquè noceat.

Conatus hodiè regulariter in delictis non punitur, *attestantibus practicis Carpzovio in crim. part. 1. q. 2. Perezio & Meiero*; ast in atrocissimis delictis, ut in crimine læsæ Majestatis, assassinii, &c. conatus perindè punitur, quàm ipsi delicti atrocioris effectus; intellige, si conatus ad aliquem externum actum & effectum pervenerit. Eapropter is etiam pacem publicam fregisse dicitur, qui non reverà ipso actu eam fregit, vel in eam dolosè deliquit; sed qui eandem frangere, sive in eam delinquere conatur, *Recess. Imper.* Land-Fried. *de anno 1548. art. 3.*

Concilia generalia sunt conventus Episcoporum, quæ Episcopi, ex toto terrarum orbe in unum convenientes, authoritate sedis Apostolicæ condunt, *distinct. 17. can. 1. & 2.* Concilia universalia quatuor priora sunt sequentia: Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, *Novell. 115. c. 3. §. 14. & distinct. 16. can. 8.* In Conciliis semper agitur de verâ Catholica religione conservanda, & propaganda; de dissensionibus circa fidem tollendis, deque hæresibus & erroribus exstirpandis, *distinct. 15. can. 1.* Concilia generalia demùm incœperunt sub initio seculi quarti, tempore Constantini Magni; quia ante illa tempora, ob Imperatorum Ethnicorum gravissimas persecutiones, congregari non potuerunt Episcopi, *distinct. 15. can. 1. pr.* In primo Concilio, puta Niceno, congregati fuerunt 318. Episcopi, qui Arrium hæreseos damnarunt, anno Christi 328. In secundo Concilio generali Macedonius: In tertio Nestorius: Et in quarto Eutyches hæreseos publicè condemnati sunt. Hîc notandum, Concilia à loco, ubi habita sunt, nomen acceperunt.

Conclusio causæ controversæ in foro est omnium probationum & allegationum ulteriorum renunciatio, & ad sententiam submissio, quâ partibus os clausum est. Tunc in causa controversa dicitur conclusum, quando prævia litis contestatione & deductis probationibus, (per testes & instrumenta) exceptionibus, replicationibus, dupli-

duplicationibus, &c. litigantes utrinque renunciarunt omnibus ulterioribus exceptionibus, disceptationibus,& allegationibus juris & facti, causamque controversam cognitioni judicis committunt, *c. 5. X. de causa possess. & proprietat.* quæ partium renunciationes actis inserendæ sunt ad publicum testimonium, *c. 11. X. de probation.* Conclusio causæ alia est pura, quæ simpliciter & absolutè causam concludit; alia est eventualis, quæ fit cum conditione, protestatione, & reservatione, dicendo: hisce concludo, causamque controversam ad definiendum judici submitto; si adversa pars nihil novi amplius attulerit, vel alioquin nihil de novo emerserit: quod si pars adversa absque justa causa concludere nolit, tunc potest judex ob contumaciam illius causam pro conclusa acceptare, & sententiam pronunciare, *Auth. jubemus C. de judiciis.*

Concubinatus Jure Civili Romano olim permissus fuit, ut extra omnem legis pœnam esset, *l. 3. §. 1. ff. de concub.* ob eam rationem vocatur in jure licita consuetudo, *l. 5. C. ad SC. Orphit.* Concubinatus tamen olim non omnibus promiscuè fuit permissus, sed iis saltem, qui uxores non habebant, ne dilectio concubinæ minueret, vel planè tolleret amorem uxori debitum, *l. un. C. de concubinis.* Nec olim infamare potuit concubinatus, *l. 3. §. 1. & t. t. ff. de concubin.* quia est imitatio quædam matrimonii, vel est quasi semi-matrimonium. Vocatur etiam inæquale conjugium, *l. 3. C. de natur. liber.* sed minus propriè. Ideò olim juxta Jus Romanum antiquum concubina fuit loco uxoris in domo alicujus, quæ cum patrefamilias corpus licitè miscuit, *l. 144. ff. de V. S.* quales concubinas olim Romani honesto nomine vocarunt amicas; hodiè verò eas satis honestè vocant, es ist meine Base; quasi verò grata ejusmodi animalcula subjicibilia non essent nota, præprimis si adhæreant viro cœlibi, valido & satis robusto. Sapienti sat &c. Olim etiam lupanaria & sordida meretricum consuetudo fuit permissa, *l. 22. & l. 29. in fin. C. ad L. Jul. de adult.* Jura hunc vagum concubitum & scortationem non ideò permiserunt, ac si hanc inordinatam Veneris libidinem ab omni crimine immunem esse assererent; sed ad majora mala in republicâ præcavenda (scilicet adulterium & Sodomiam) per conniventiam permittere cogebantur, &c. Contrarium statuit jus Divinum, quod omnem concubitum extra matrimonium damnat, *1. Cor. 5. 6. & 10. vers. 8.* cùm sit directò contra sextum decalogi præceptum: eundem & jus canonicum damnat; ubi inter alia *c. 6. distinct. 34.* dicit

dicit, fornicari vobis non licet, sufficiant vobis uxores, si vos surdi estis, audiant angeli; si vos contemnitis, concubinas vobis habere non licet; etsi non habeatis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas &c.

Condemnari quis rectè potest? Resp. nemo justè condemnari potest, nisi vel convictus sit criminis, vel illud sponte confessus sit, *caus. 2. q. 1. can. 13.* Ergò confessio vi aut metu tormentorum expressa neminem condemnat, nisi factam confessionē posteà iterùm confirmet, *l. 1. §. 23 ff. de quæstion.* quæstio enim sivè tortura est res fragilis & periculosa, veritatem sæpè fallens; quia plerique torturæ subjecti tanta sunt cordis duritia, ut ipsis veritas vi tormentorum nullo planè modo exprimi possit: alii econtra, tantâ sunt impatientiâ, ut metu tormentorum quidvis in propriam perniciem mentiri, quàm tormentis ampliùs cruciari velint.

Condictio absolutè considerata est generale nomen, omnes actiones personales in se complectens. Dicitur à condicendo, h. e. denunciando diem & locum coram testibus, ac convenire cùm reo, quâ die judicio se sistere velit, *§. 15. Inst. de action.* nam olim in Rep. R. moris fuit, ut, judicio à Prætore urbano, seu magistratu, constituto, diem ex suo commodo litigatores determinarent, quo causa controversa in judicio examinaretur, *l. 8. ff. qui satisd. cog.* cum autem ejusmodi condictiones sive denunciationes præsertim in actionibus personalibus fierent, hinc factum est, ut actiones personales generaliter vocarentur condictiones. Hodiè condictionibus vel denunciationibus talibus non amplius utimur, sed judex reum, mediante actoris petitione & libelli oblatione, in jus vocari sivè citari jubet.

Condictio causa data causa non sequuta est, quâ quis alteri quid ob causam futuram honestam dedit, causâ verò ab altero promittente non impletâ, datum justè repetit dans; nam si accipiens causam (sivè promissum) non adimpleat, obstringitur ad reddendum, quod datum est. De hac condictione in ff. & Codice agitur de condictione ob causam datorum. Ergò si quid alicui detur aut donetur ob causam, e.gr. ut Romam proficiscatur ad defendendam causam controversam, per appellationem ibi devolutam, si causa non sequatur, hoc est, si is id non faciat, tunc alter, qui aliquid ob certam causam dedit, datum justè condicit ex capite causæ non secutæ, *l. 2. C. de condict. ob caus. dator.* hæc condictio videtur ex quasi contractu & tacita

tacita conventione oriri, ut, si promissum non fiat, repetere liceat, quod datum est, ob promissum non adimpletum, *l. 52. ff. de condict. indeb.*

Condictio sine causa est actio personalis, quâ quis illud, quod sine causa datum est, repetit, e. gr. quando pater futuro suo generi pro dote filiæ certam pecuniæ summam promittit, & matrimonium non sequitur, *l. ult. pr. & §. 1. ff. de condict. sine caus.* vel si quis alteri dedit chirographum spe mutuò accipiendi pecuniam, quam postea non accepit, *l. ult. C. de condict. ex lege.* vel si chirographum post solutam pecuniam apud creditorem adhuc existat, id sine causa apud creditorem existere dicitur. *l. 2. C. ibidem.*

Condictio indebiti est, dum quis aliquid quasi ex mutuo accipit, ad quod reddendum justè obligatur. Ergò qui indebitam pecuniam ignorans solvit, hoc ipso videtur contrahere cum illo, cui solvit, quod sibi ex mutuo tacitè sit obligatus, ad solutum reddendum, *l. 2. & 33. ff. de condict. indebiti.* Hæc condictio ex bono & æquo oritur; æquum namque est, ut omne illud, quod alterius est, & apud alterum sine justa causa deprehenditur, justè repeti possit; ne quis cum alterius damno locupletetur, *l. 14. ff. d. t.* ast si quis sciens indebitum solvat, cessat condictio sivè repetitio indebiti; ratio est, quia in tali casu solvens donare videtur: ubi non sufficit condictionem indebiti allegari, quia illa est facti, quod æquè probandum, quàm ignorantia sive error; ob id actori in condictione indebiti duo extrema sunt probanda, (1) solutio & (2) ignorantia sivè error, h. e. quod indebitum solverit, & quidem ex ignorantia: quoniam sibi persuasit, se accipienti ad solvendum esse obstrictum, *l. 25. pr. ff. de probat.* quo casu ignorantia facti proprii toleratur ob damnum vitandum, *l. 22. §. 1. ff. de condict. indebit.*

Condictio furtiva est actio personalis & civilis, quâ Dominus rem sibi furto dolosè ablatam à fure, vel ejus hæredibus repetit, *l. 1. ff. de condict. furt. & §. 14. Inst. de action.* Condictione hâc furtivâ rem nostram, nobis dolosè surreptam, licitè persequimur & petimus, *§. fin. Inst. de obligat. quæ ex delicto nasc.* Condictio hæc furtiva soli Domino ejusque hæredibus contra furem competit, *l. 2. ff. de condict. furt.* estq; actio rei persecutoria & non pœnalis, *l. 7. §. 2. ff. d. t.* quæ ex obligatione descendente ex causa furtiva oritur; ab hac condictione furtiva differt actio furti, quoniam illâ furtivam saltem rem

persequimur, hâc verò pœnam dupli vel quadrupli persequimur, *dict. §. fin.*

Condictio ob turpem vel injustam causam est, quâ id, quod ob factum respectu solius accipientis turpe, datum aut promissum repetitur, licet factum præstitum, sive causa secuta fuerit; fundamentum hujus condictionis est quasi delictum, nimirum acceptio ex turpi causa. Hæc condictio competit illi, qui nihil turpe intendens, aliquid dedit, & ideò danti competit contra eum, qui aliquid turpiter accepit, ad restituendum datum: quoniam nemo ex sua turpitudine aut injustitia lucrum sperare vel percipere debet, *L. 11. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.* ut si quis alicui pecuniam metu mortis extorqueat, ne accipiens dantem occidat, aut si quis pecuniam sub illo metu accipiat, ne virginem stupret, aut ne sacrilegium committat, aut ne rempublicam hosti prodat, vel ne domum vicini dolosè comburat, &c. quæ omnia turpitudinem moralem in se continent. Hîc probè notandum: omne quod datur, aut ob rem consequendam, aut ob causam datur, *l. 1. ff. de condict. ob turpem causam.* Datur quid ob rem honestam vel turpem: quod ob rem honestam datur, tunc repeti potest, si res, propter quam datum est, secuta non fuerit: ob rem turpem ita datur, ut aut dantis sit turpitudo, & non accipientis; aut saltem accipientis, aut utriusque: quando solius dantis turpitudo intercedit, datum repeti nequit, quia repetens propriam allegaret turpitudinem, *l. 5. C. d. t.* ut si juvenis puellæ pro inhonesto coitu ducatum daret, tunc ille contra honestatem fovendo malas cogitationes turpiter daret pecuniam, ast illa non turpiter acciperet, si illa pecuniam castâ mente retineret, ad deludendum juvenem, modò illa illicitis & libidinosis ejus desideriis mente & corde non annuat, denegato juveni tam turpi concubitu: item si quis meretrici pecuniam daret pro inhonesto coitu, quo casu dans videretur turpiter agere, non accipiens: nam licet in se turpe sit esse meretricem, attamen turpiter non acciperet pro concubitu datum, quia non quà honesta persona, sed quà meretrix id accepisset, *l. 29. C. ad L. Jul. de adult.* Ast si turpis tantum causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, propter quam datum est, repeti potest: ut si actor judici multum pecuniæ det, ut pro se in justissima causa sententiam ferat, quia judex id gratis ratione demandati officii, æquitate suadente & justitiâ impellente præstare obligatur, *l. fin. ff. d. t. de condictione ob turpem causam.* Quando verò utriusque & dantis

dantis & accipientis turpitudo in negotio versatur, tunc datum repeti nequit; quia in pari causa potior debet esse accipientis & possessoris conditio, *l. pen. ff. h. t.* Quidquid hic de turpi causa dictum est, id de omni etiam injusta causa dictum intelligitur, nam quidquid injustè datur, aut injustè fit, id turpiter dari aut fieri censetur, cum injustitiâ nihil sit pejus & deterius.

Conditio est casus collatus in futurum (vel est futurus eventus, in quem dispositio suspenditur) qui evenire, vel non evenire, vel aliter evenire potest. Conditio in genere est triplex, (1) potestativa, (2) casualis, & (3) mixta; quarum eventus ex fortuna vel hominum voluntate, vel ex utraque mixtim dependet. Conditio possibilis sivè potestativa testamento adjecta est, quæ confertur in hæredis potestatem, ut ab eo impleatur, e. gr. si testator Titium sub hac conditione instituerit hæredem, si Titius in Academiis studium juris diligenter excoluerit, hæres esto, &c. Casualis conditio est, quæ confertur in casum, si Titius Consul factus fuerit, hæres esto. Conditio mixta est, quæ partim ab instituto hærede, partim à casu dependet, ut si testator dixerit, si Titius peregrè profectus, in patriam redierit, & Catharinam puellam duxerit uxorem: num autem puella huic hæredi sub hac conditione instituto nubere velit, non est in potestate hæredis, sed puellæ, sic est casualis, *l. un. §. 7. C. de caduc. toll.*

Conditio est vel possibilis vel impossibilis. Illa per rerum naturam adimpleri potest; hæc non item. Hinc dicimus, quod conditio sit vel Physicè (sivè naturâ) vel moraliter (sivè lege) impossibilis; illa est, quæ per rerum naturam fieri nequit, e. gr. si mare ebiberis, vel cœlum digito tetigeris, tibi mille dabo. Hæc est, quæ secundum leges honestè fieri nequit, sed bonis moribus repugnat, *l. 15. ff. de condit. instit.* e. gr. si inimicum meum necaveris, vel Deum abnegaveris, dabo tibi mille. Ex ejusmodi contractu inhonesto promittens non obligatur, etiamsi alter, puta stipulator horrendum hoc delictum in effectum deduxerit, quia rerum turpium nulla est obligatio. Ex hoc fundamento statuunt jura civilia, quod si juvenis ancillam spe & promissione certi præmii, ad illicitam venerem dolosè & libidinosè permoverit, is ad implendum promissum ancillæ civiliter non obligetur, quia ex turpi causa promissum est. Et vice versâ, quod ancilla non obligetur illicitam venerem cum juvene exercere, etiamsi illa inhonestum coitum acceptâ pecuniâ juveni

promiserit; imo ne quidem pecuniam sordido nomine acceptam, juveni reddere cogitur; ratio est, quia ex turpi causa datum repeti nequit, *l. 1. & seqq. de condict. ob turp. caus.* ejusmodi ridiculi casus interdum accidere solent.

Conditio impossibilis contractibus adjecta reddit contractum inutilem, *l. 31. ff. de oblig. & act.* quia tunc ludere videntur contrahentes, nec obligari velle. Contrarium obtinet in ultima voluntate; ut si testamento impossibilis conditio ascribatur, tunc favore ultimæ voluntatis habetur pro non adjecta, acsi testamento non esset adscripta, *§. 10. Inst. de hæred. instit.*

Conditio nihil iniqui in se continere debet. Hinc nemini regulariter per alterum iniqua conditio inferenda est, *l. 41. ff. de R. J.* Excipe, si pater crimen læsæ Majestatis commiserit, filius per patrem redditur infamis, & privatur totâ paternâ hereditate; ut ut filius sit innocens, quod fit ob atrocitatem criminis, & præsumtionem hereditarii criminis: in filio enim metuitur exemplum hereditarii criminis, *l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* juxta Germanorum proverbium: Der Apfel fällt nicht weit von dem Stamm.

Conditio habetur jam impleta, si is non sit in mora vel culpa, à quo implenda est, sed impeditur ab illo, cui promisit conditionis implementum, vid. *t. ff. de condict. causa data, causa non secuta.* ratio hujus afferti est in *l. 39. ff. de R. J.* in omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium morasit, quo minus fiat: quoniam paria videntur, aliquem quid facere, vel per eum non stare, quo minus fiat, *l. 23. ff. de condit. instit.* sufficit habere voluntatem negotium perficiendi, e. gr. si quis mihi promisisset mille imperiales, si ejus filiam in uxorem duxero, accipio conditionem; sed is eam mihi posteà denegat; quo casu conditio à parte mei censetur impleta. Ast si morte filiæ interveniente eam ducere non potuerim, tunc conditio non intelligitur impleta, *l. 4. C. de condit. insert.* ubi dicimus secundum jura, conditio nisi impleta nihil ponit in esse. Sic conditionales venditiones tunc demum perficiuntur, cum impleta fuerit adjecta conditio.

Conditiones intrinsecè testamento accedentes (h. e. quæ tacitè insunt) non faciunt legata conditionalia, *l. 99. ff. de condit. & demonstrat.* nisi per extensionem sic loqui velimus.

Conductio ad quid obliget? Resp. qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine justa ac probabili causa deseruerit, ad solvendas

das totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, *l. 55. §. 2. ff. de locat. & conduct.*

Confessionem fidei Catholicæ in scriptis publicè facere voluit Imperator Justinianus ad fervorem sinceræ religionis Catholicæ contestandum, vide *l. 5. C. de Summa Trinitate.* Hic religiosissimus Imperator maximum suum studium & curam in legibus ferendis, & in republica feliciter gubernanda publicè declaravit *in Novell. 7. pr. & Novell. 86. pr.* quomodo omnia ad utilitatem Reipublicæ, à DEO sibi concreditæ, & ad tranquillitatem ac felicitatem subditorum retulerit, ac direxerit; inque hanc curam dies noctesque anxiè incubuerit, *Novell. 85. princ. & Novell. 109.* quo etiam fine *in Novell. 3.* dicit, decet Imperatoriam Majestatem eâ provisione cuncta complecti, ut in nullo publica lædatur utilitas. Salus populi suprema lex esto.

Confrontatio est commissio testium cum inquisito sivè reo. Testes enim solent cum inquisito confrontari, & in ejus præsentia repetuntur & confirmantur prius à se dicta. Sic melius convincitur delinquens ex visu, trepidatione, gestibus, voce. Et ut major testimonio sit fides, testi iterum post factum testimonium prælegitur depositio testimonii, & interrogatur, num assertum suum pro veris habeat. Quo affirmante, interrogandus est reus, quid contra testem excipiat. Tum testis ad rei exceptionem replicare debet, & inquisitus duplicare, &c. Postea alius testis cum inquisito iterum est confrontandus, &c.

Conjugalis affectus in unam, & non in plures fœminas dividi debet. Ab initio enim una costa in unam fœminam, & non in plures conversa est, *c. 8. X. de divort.* Hinc patet, jure naturæ non esse licitum, plures simul uxores ducere, ne amor maritalis distrahatur, & status conjugalis in liberorum educatione ac regenda familia confundatur.

Conjuges facta promissa servare debent. Ergò quicquid sub initio matrimonii per pacta dotalia inter se firmiter constituerunt conjuges, id servandum est, *t. t. ff. de pact.* ratio est, quia conventio & pacta dant legem contractui, *l. 1. §. 6. ff. depositi.* a quo temerè recedendum non est.

Conjuges non sunt affines, sed affinitatis origo. Affinitas enim inter unum conjugem, & alterius conjugis cognatos est; ut inter uxoris

meæ sororem, & me; & contra inter sororem & fratrem meum & uxorem meam est affinitas in pari gradu.

Consanguinitas est conjunctio personarum ex eodem sanguine, & stipite procreatarum, *l. 1. §. 1. ff. unde cognat.* Hæc procreatio consideranda est, vel ratione lineæ paternæ, sivè virilis; vel ratione maternæ, sivè fœmineæ; ergò qui ex priori, nimirum paternâ descendunt, & sunt masculi, dicuntur agnati à linea paterna, sexu masculino conjuncti, *§. 1. Inst. de legit. agnat. tutel.* quales sunt fratres consanguinei ex eodem patre nati, horumque filii & nepotes: item patrui, horumque filii & nepotes, &c. Qui verò ex posteriori, puta, maternâ sunt procreati, dicuntur cognati à linea materna, sexu fœmineo conjuncti, *l. 7. ff. de grad. cognat.* Inter hos etiam est amitæ filius, quia is patris sui, & non matris familiam sequitur. Ex hac agnatorum & cognatorum differentia sequens juris dispositio profluit; quod jure consanguinitatis regulariter succedant mares & fœminæ, h. e. fratres & sorores: ast jure agnationis succedunt saltem mares, non etiam fœminæ, quod præsertim in jure feudali regulariter observatur.

Conscientia est judicium hominis de se ipso, vel est interior animi nostri scientia & recordatio eorum, quæ à nobis benè, vel malè facta sunt erga Deum, alios & nosmetipsos Hinc Cicero pro Milone, magnam, inquit, vim habet conscientia, in utramque, fiduciæ & metûs partem, ut semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverint; & nihil timeant, qui nihil mali admiserint: nemo enim tam extremè impius existit, cui non aliquando conscientia est malefactorum testis, judex, tortor, & carnifex. Exemplum habemus in Caino, Adami filio, qui post fratricidium ad foliorum strepitum expavescens dicebat, qui me inveniet, me occidet, &c. Hoc malum omnibus sceleratis evenire solet, qui regulariter conscientiâ obstrepente dormire non possunt; sed furiæ eos exagitant. Ex opposito, conscientia rectè factorum in rebus adversis est una omnium maxima consolatio; quò respexit Horatius, dum dicit: *Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nullâ pallescere culpa.* Item Plautus: Qui non deliquit, decet audacem esse, & confidentem pro se, & torvè loqui. Ideò convenientissimè dicitur, quod nullus monitor sit fidelior conscientiâ, nec accusator diligentior, nec testis gravior, nec judex incorruptior, nec solator jucundior, nec hostis importunior; sceleratis enim rea conscientia tacitè exprobrat

brae virtutis neglectum, & noxarum sivè delictorum cumulum; hæc omnia accuratè recitare scit conscientia: sic omnes scelerati semetipsos delictorum gravissimè accusant. Ideo meritò exclamandum est, ô perditissimi mortales! qui inter turpes jocos, lusus & sordidas voluptates regnum cœlorum perdunt. O stultissimi mortales! qui pro spurca & momentanea voluptate immensas & æternas voluptates temerè vendunt. Vah! in quantum mundanis mundana caro carior, quàm cœlum & vita æterna; cum tamen illi, qui religiosè, piè ac castè vivunt, majus & sincerius gaudium ex pia sua vita percipiant, quàm qui quotidianis delitiis & voluptatibus abundant, & sordidè diffluunt. Ad bonam conscientiam conservandam Philippus Macedoniæ Rex quovis semper manè sibi per famulum publicè dici jussit, Philippe homo es, ut suæ mortalitatis nunquam oblivisceretur. Utinam omnes Reges & Principes, imo quilibet privatus sibi hoc quotidiè diceret: ô homo fragilis, memento mori, mors tibi omnibus horis imminet, ut hisce salutaribus cogitationibus nos omnes tantò melius ad mortem præparemus, ne in utramque quasi aurem dormiendo immemores simus æternæ nostræ salutis. Fundamentum conscientiæ est jus divinum & jus naturale, quibus DEUS conscientiam in quavis hominum actione urget & cogit, ut illa judicet, quid faciendum, omittendumve sit; vel factum accuset, vel excuset. Ergo est in homine lex quædam naturalis, quam etsi nusquam ex scripto legit homo, eam tamen sibi habet à DEO omnium creatore & legislatore insculptam, ad formandos sibi mores, & justi ac injusti distinctionem faciendam. Hîc probè observandum, quando communiter distingui solet inter bonam & malam conscientiam, quòd hoc fiat minus propriè; ratio est, quia bonitas & malitia non est in ipsa conscientia, sed in actionibus nostris, de quibus conscientia nostra judicat, num actiones bonæ vel malæ sint. Ergò conscientia duntaxat metonymicè dicitur bona, vel mala: quod si mala conscientia hominē accusat, quis eum absolvet? si verò bona conscientia hominem justificat, quis eum condemnabit? Cæterum forum conscientiæ est intellectus hominis, in quo instituitur discursus rationis, judicans de actionibus suis, quatenus cum jure Divino & lege naturæ conveniant, vel discrepent. In foro externo sunt diversæ personæ, judex, actor, reus, testes, &c. Ast in foro internò sivè conscientiæ (poli) intellectus humanus omnes has personas simul repræsentat. Hæc duo

 fora

fora probi JCti penitùs separare non debent, nec solent, sed maximè combinare: quia leges civiles non dedignantur imitari sacros canones, *Novel. 83. & c.8. X. de judic.* ut peccatis obvietur, & animis hominum rectè consulatur. *Decianus l. 2. crim. cap. 15.* inter alia asserit, quod in foro conscientiæ animus præcipuè attendatur; hinc si quis aliquid deliberato animo fecit, quod putavit esse peccatū mortale, mortaliter peccavit, licet actus ille in rei veritate non fuerit vitiosus: ratio est, quia peccatum illud mortale juxta agentis intentionem plenè fuit conceptum. Ex opposito, si quis aliquid fecit eo animo, quia putavit & credidit esse licitum, non peccavit mortaliter, licet reverà peccatum fuerit mortale: ratio est, quia omnis actio juxta intentionem agentis judicatur, e. g. si maritus cum alia pro uxore ignorans congrediatur, eamque carnaliter cognoscat, non peccat mortaliter, *vide caus. 34. q. 2. can. 6.* ratio est, quia is non habuit intentionem adulterium committendi, sed præter intentionem ab alia muliere dolosè fallitur, dum se pro ejus uxore falsò substituat, &c. Si videre amas hominem sine conscientia, legas Hobbesium, Magistri Samuelis Puffendorffii Præceptorem, & præsertim in suo Leviathan, quo scripto nihil est pejus, & magis detestandum; nihilominus Puffendorffius id præ omnibus aliis tanquàm sacrum Codicem summoperè veneratur; unde pestifera sua entia moralia, omnium actionum humanarum indifferentiam, & religionem statui reipubl. esse accommodandam, impiè hausit, &c. Non est mirum, quod tot millium animarum conscientiæ tam infinitis modis miserè crucientur, si pravum consuetum vivendi modum in mortalibus consideraverimus. Producat homo ex tot annorum decursu vel unicum diem integræ virtutis testem, qui non fuerit aliquâ conscientiæ labe pollutus, vix ullum inveniet: In summa ignorantia mortalibus deflorere solet rudior & puerilis ætas inter talos & nuces; inter ineptias & libidinem adolescentia oscitanter abit; præceps juventus inter scelera, libidines, & infinita alia flagitia ut plurimum consumitur. Tandem post tot annos, qui à cunis ad canos, h. e. ab infantia ad senectutem defluxerunt, nihil aliud mortalibus relinquunt nisi dolorem & varia mala, miseros malitiæ humanæ fructus. Heu quales tunc temporis te, qui non melius vixisti, circumdabunt angustiæ, cui præterita negotia pudori, & futura erunt formidini: quid tunc proderunt divitiæ tot infinitis partæ sudoribus, tot curis, vigiliis & peregrinationibus ac-

quisi

quisitæ? quid carnis deliciæ & voluptates? quid inania dignitatum nomina & tituli? quid purpura, quid Sceptra, quid Coronæ? Si tunc daretur reverti ad crepundia, & ad vitam demùm innocenter inchoandam, quàm meliori & perfectiori modo omnia & singula religiosè perficere nitereris. Hinc videmus, quàm minima, laudabilis tamen res sit, momentaneis renunciare, ut æterna consequamur. Per Deum rogo, perlustra sedulò conscientiam tuam, & caligantes tuos oculos circumspectè aperi, tunc facilius animadvertes, qualis esse debeas. Si sub prudenti hac cautela curam animæ tuæ sedulò habueris, ejusque salutem ceu maximum & saluberrrimum bonum, hoc est beatitudinem cælestem gloriosè quæsiveris; quid majus & gloriosius consequi posses: dic sodes, quid prodest homini, si universum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur: nullum enim ibi est lucrum, ubi salutis æternæ damnum certissimè est futurum. Ab omnibus ergò vitiis expianda & liberanda est hominum æternam vitam ambientium conscientia, genuinâ & sufficienti pecatorum confessione, verâ cordis contritione, & constanti emendandi proposito. Quæ omnia in nobis Christianis confirmet Deus misericors. Ad hæc commodè refer illud Thomæ de Kempis, *libro* 1. *c.* 19. Noi dobbiamo essaminare le nostre operationi interiori & esteriori, se tu non puoi raccoglierti di continuo, raccoglierti qualche volta il dì, la mattina, o la sera. Proponti la mattina, la sera essamina i tuoi costumi: come ti sei portato quel giorno nelle parole, nell' opere, e nel pensieri; perche in queste cose perauventura hai offeso spesse volte dio, & il prossimo. Armati, come huomo fortè, contra le malvagita diaboliche Raffrena la gola, e facilmente mortificherai tutte le inclinationi della carne. Non star mai in tutto otioso, ma leggi, o scrivi, o ora, o medita, o fa qualche cosa per l'utilita commune. Però li essercitii corporali sono da farsi con discretione, *& idem Autor c. 23 ibid. sic pergit.* dovresti conservarti in ogni tuo fatto, e pensiero, come se tu havessi hoggi a morire. Se tu havessi buona conscienza, non temeresti molto la morte. Meglio sarebbe guardarsi da i peccati, che fuggir la morte. Se tu non sei apparecchiato hoggi a morire, in che modo sarai apparecchiato domani? il dimano e incerto, e che sai di havere il giorno di domani &c. ingegnati hora di vivere di tal sorte, che nell' hora della morte tu possi più presto rallegrarti, che haver paura. Impara alla pressente à morire al mondo, acciò che

cioche all' hora incominci a vivere con Christo, beato è colui, che sempre ha dinanzi a gli occhi l' hora della morte e ogni giorno si dispone a morire. O quanto felice, e prudente e colui, chi si sforza di essere tale adesso, mentre vive, quale desidera esser trovato alla morte: al ben morire danno gran confidenza il perfetto disprezzo del mondo, il fervente desiderio di far profito nelle virtu, l'amor della disciplina, la fatica della penitenza, la prontezza dell' obedienza, l' annegatione di se medesimo e la sofferenza d'ogni auversita per amor di Christo &c. Hæc latinè translata sic sonant. Exteriora & interiora nostra pariter nobis scrutanda sunt; si non statim te colligere vales, saltem interdum, & ad minimum semel in die te rectè disponas, manè videlicet, aut vesperè. Manè propone, & vesperè examina mores tuos, qualem te hodiè exhibueris in verbis, opere & cogitatione; quoniam in hisce sæpius forsitan offendisti Deum & proximum tuum. Arma te, sicut vir fortis contra diabolicas nequitias, fræna gulam, & omnem carnis inclinationem facilius frænabis. Nunquam sis ex toto otiosus, sed legas, aut scribas, aut ores, aut mediteris, vel aliquid boni pro communi utilitate agas. Corporalia tamen exercitia discretè sunt agenda: sic te in omni tuo facto & cogitatione gerere debes, quasi hodiè esses moriturus. Si bonam conscientiam haberes, non multum timeres mortem. Melius esset, peccata cavere, quàm mortem fugere. Si hodiè ad mortem non es paratus, quomodo cras eris? cras est dies incerta, & quis scit, an crastinum vivendo consecuturus sis. Jam discas vivere tali modo, ut hora mortis possis potius inde gaudio perfundi, quàm timore angi. Discas jam jam mundo mori, ut possis postea cum Christo vivere. Beatus est ille, qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. O quàm felix & prudens est ille, qui summis viribus studet, talem se in vita exhibere, qualem se in hora mortis exoptat. Ut quis benè moriatur, multum confidentiæ suppeditant sequentia, puta contemtus mundi, fervens desiderium proficiendi in virtute, amor disciplinæ, crebra pœnitentia, promptitudo obedientiæ, abnegatio sui ipsius, & tolerantia omnis mali propter amorem Christi, &c. Inde colligere licet, quod nullum sit efficacius extirpandorum vitiorum remedium, quàm frequens mortis & æternitatis consideratio, quàm fragilis sit homo & caduca ejus vita, quàm maximum

&in-

& infinitum gaudium sit æternitas, & quàm inexplicabile malum sit æternus damnatorum cruciatus.

Conscientia cuique libera relinquenda est. Nullum est gravius peccatum, quàm dominari conscientiis; quoniam non gladio, igne, vel exilio efficitur, ut quis ad credendum cogatur; voluntas enim non potest cogi: sic religio magis vult suaderi, ac validis argumentis demonstrari, quàm cogi. Scholastici accuratè distinguunt inter actum voluntatis elicitum, ipsumque velle, cui vis inferri non potest; & inter actum imperatum, qui mediante alia potentia exercetur, quales sunt ambulare, loqui, edere, &c. qui actus, quo minus exerceantur, per violentiam homini impediri possunt; & certè, ubi nihil confert id, quod vim patitur, & per consequens est principium purè externum, is actus sanè est involuntarius: exempli gratiâ, si quis manu meâ, per vim alterius, præter meam voluntatem & intentionem, motâ pulsetur, vel verberetur; is actus utique mihi planè est involuntarius, nec ullam à parte mei meretur pœnam. Ast, ut ego de aliquo Tyranno, vel malo Principe benè sentiam, nemo me cogere potest; quia voluntas internè cogi nequit, sed externi actus à voluntate humana provenientes impediri possunt.

Consensus verus est omnium contractuum fundamentum & principium. Ideò is circa quodlibet negotium civile, tria requirit principia, (1) intellectum, (2) voluntatem, (3) facultatem, scil. potentiam consentiendi; nam si contrahens vel agens negotium, quod tractat, non intelligat, tunc illud nec velle creditur; aut si id quidem intelligat, ast non vult illud contrahere & approbare, nihil actum intelligitur; vel si contrahens ob certas rationes facultatem consentiendi non habet; quia naturâ vel lege consentire prohibetur ob mentis defectum, vel ob corruptos mores, (quales sunt mente capti, furiosi, prodigi, &c.) tunc contrahens nec intelligere, nec velle, nec posse censetur. Intellectui contraria sunt, vel obsunt dolus, error & ignorantia: nam si quis dolo circumventus, aut errore lapsus, aut ignorantia rei vel qualitatis quid in sui præjudicium fecerit, non habetur ratum, quia omnia hæc agentis intellectui & intentioni sunt contraria. Voluntati contraria sunt vis & metus. Hinc per vim & metum facta validè non obligant. vid. *t. ff. quod met. caus.*

Consensus verus errorem excludit. Ergò non consentiunt, qui errant, (scil. in re ipsa, & non in nomine rei) quid enim tàm contrarium est consensui, quàm error, qui imperitiam detegit, *l. 15. ff. de jurisdict.* quoniam errans compertum errorem corrigere desiderat; ne actus agentium ultra eorum intentionem injustè operentur, *l. 19. §. 1. ff. de reb. cred.*

Consensus verus omnem fraudem & dolum excludit: sic nemo præsumitur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt, *l. 145. ff. de R. J.* ratio est, quia scienti & liberè consentienti non fit injuria; intellige, si consentiens sit legitimæ ætatis (25. annorum) & perfecti judicii. Furiosus enim, mente captus, prodigus, impubes, imò & minor in bonis suis alienandis per se nihil facere possunt; quia partim ob judicii defectum, partim ob corruptos mores, & imperfectam ætatem, jure consentire non intelliguntur; ne bona sua iniquè distrahant. Quod si verò quis coactè consentiat, vi, metuvè ad id impulsus, aliud dicendum. Nam tale negotium Prætor non vult habere ratum, *l. 1. ff. quod metus causa.* Quoniam nihil magis voluntatis libertati censetur contrarium; quàm vis & compulsio, quæ omnem consensum excludit. Interdum etiam consentienti videtur fieri injuria, & quidem atrox; ut si quis virginem etiam volentem rapit, eamque clam, invitis parentibus, vel tutoribus abducit; cujus pœna juxta juris rigorem est capitalis, *l. un. §. 2. C. de rapt. virgin.* quod fit ob dolosam abducentis persuasionem: quia consensus virginis præsumitur in hoc casu blanditiis & illecebris raptoris fraudulenter extortus: jam verò dolosè persuadere, gravius judicant jura, quàm violenter compellere, *l. 1. §. 3. ff. de servo corrupto.* Hunc juris civilis rigorem corrigit jus canonicum, æquitatem pro norma semper habens, quod violentiam raptûs, ob virginis consensum supervenientem, excludit, (si raptor eam ducat uxorem) ad famam virginis conservandam; quia virgo procum sequi voluit ad finem honestum, hoc est, ineundum matrimonium, invitis licet parentibus, *c. 6. & seq. X. de raptor.* Ideò tale matrimonium in favorem virginis permittitur, ne ob denegationem ejus virgini mediante raptu infamiæ macula inuratur.

Consequens omne præsupponit antecedens: hinc juris regula emergit. Qui vult consequens, vult & necessarium antecedens. Quæ regula in conjunctis, favorabilibus & in iis observatur, ubi eadem subest ratio, *l. 56. ff. de procurat.* Ergò si testator servum suum instituat

tuat

tuat hæredem, censetur eum liberum declarasse; ratio est, quia servus sine libertate hæreditatem adire nequit, *l. 32. ff. de R. J.* Sed in separatis, odiosis, & in iis, ubi diversa subest ratio, regula hæc nihil operatur, quia odia restringi, & favores ampliari convenit, *c. 15. de Reg. Jur. in 6to.*

Consiliarius Principis 5. inordinatos affectus, timorem, cupiditatem, amorem (corruptum) odium, & adulationem cane & angue pejus fugiat, ne Principi suo contra conscientiam, & juris scientiam, contra justitiam, veritatem, & fidem injusta & impia in perniciem Reipublicæ, vel proximi dolosè persuadeat; sit vir cordatus, ac multarum rerum peritus, qui remoto omni timore Principi ac Domino suo veritatem rotundè detegere non veretur; exulet in illo infamis auri fames; remotus sit omnis personarum respectus, ne quid spe præmii, vel intuitu amicitiæ, affinitatis, consanguinitatis, aut inimicitiæ contra conscientiam malitiosè suggerat, vel statuat. Abominandam sibi semper habeat adulationem, ne forsan Principi justa & injusta in negotiis publicis, vel privatis controversis promiscuè flagitanti, in omnibus indignè annuere & placere studeat; sed eundem ex humana imbecillitate errantem prudenti, valido & pio suo consilio, adhibitis ponderosis & evidentibus argumentis in viam veritatis & justitiæ, quantum ei possibile, reducat; ne sit cum Jonadab detestandus adulator, & impius Consiliarius, qui Ammoni de incestu cum sorore Thamar committendo, non solùm per adulationem pessimè assensit; verùm etiam consilium commodius perpetrandi nefarii criminis scelestè suppeditavit, quo suæ & Principis animæ miserrimè consuluit, *2. Samuel. 13. v. 5.* Tales Placentini, proh dolor! adhuc hodiè inveniuntur plurimi in Regum & Principum aulis, omnia Principum suorum facta & dicta sine discrimine approbantes; in quorum ore semper est, præcaveat DEUS, ut ego Principi meo clementissimo in minimo puncto contradicerem, ipsius placitum mihi sit mandatum; quidquid ipse vult, mihi pergratum & acceptum. Ast mi Placentine, qui magis hominem, quàm DEUM times, quid de te futurum? qui veritatem in aliorum perniciem contra officium tuum meticulosè occultando, vel reticendo, iram DEI super te justè provocas; corrige mores & mentem, ut cum Davide jure dicere possis, integritas, rectitudo, & veritas me custodiant, *Psalm. 25. vers. pen.* Tales Consiliarii & JCti non minus Deo, quam virtuosis Principibus sunt grati, ac Rei-

publicæ maximè salutares: quorum merces in cælo erit ingens: ubi justi perpetuò fulgebunt sicut sol. Cæterum, ut Consiliarius in officio suo sit fidelis, & probus, bonum Principem decet in acta consiliariorum interdum inquirere, eosq; pro negotiorum & personarum qualitate præmiis & pænis afficere, ut subditi indè apertè colligere possint, negotia publica majori fide & diligentia, quàm privata esse tractanda. Interim probo & prudenti Principi convenit, ut Consiliariis suis honesta salaria gratiosissimè constituat, unde vivere possunt; ne illis egestate urgente detur occasio, justitiam & jura saniora malitiosè evertendi; nam Principes neque sibi, neque reipublicæ & sustentationi ministrorum suorum benè consulunt, qui illis pro officio parca manu salaria exigua solvunt, cum paupertas sæpius malæ, quam bonæ mentis soror sit ingeniosa ad fraudes excogitandas, & modos, pecuniam illicitè acquirendi, inveniendos; sic Principes sponte fures Reipub. alunt, eosque cogente necessitate ad furta committenda imprudenter invitant.

Consilium bonum est honesta & prudens quædam suasio, non autem præceptum: ideo consilii non fraudulenti nulla est obligatio; ast si dolus & calliditas consilio subsit, de dolo actio est, *l. 47. ff. de R. J.* Ratio est, quia consilium patrono, amico, vel clienti suo sincerè & absque fraude subministratum, consultori non debet esse damnosum, cum liberum cuique sit, utrum illud sequi, an rejicere velit: quilibet etiam prudens id prius apud se explorare debet, an sibi salutare sit, necne. Contra, ex consilio doloso datur in consultorem actio doli, juxta commune proverbium, malum consilium consultori pessimum, e.g. si consultor certò sciat, mercatorem vel alium, à me mille imperiales mutuò petentem, facultatibus labi, aut esse prodigum, vel de fuga suspectum; & consultor hic mihi dolosè affirmaret, eum esse satis idoneum, cui pecunia tutò credi possit: utique in tali casu justissimè datur actio de dolo contra consultorem; quia ille decipiendi causa mihi alterum falsò laudavit, *l. 8. ff. de dolo malo.*

Consilium suum nemini in alterius præjudicium mutare licet. *l. 75. ff. de R. J.* ideo nullus est audiendus, qui quærit impugnare actum antea à se solenniter initum. *l. 13. in fin. C. de non numer. pecun.* Ergo judex non potest sententiam semel à se latam in præjudicium partis victricis revocare. *l. 55. ff. de re judic.* nec potest quis contrahentium alterâ parte invitâ à contractu semel perfecto recedere. *l. 5. C. de obligat. & action.* sic nec is repudiare potest hereditatem, qui eam semel

mel adiit. *l. 4. C. de repud. hered.* idem de legatario dicitur, cui optio vel electio quarundam rerum est legata, si semel elegit, quod voluit, consilium suum mutare, & aliud eligere non potest, ratio est, quia jus legati primâ optione consumitur *l. 5. & 48. ff. de legat. 2.*

Consilium an obliget consultorē? Resp. juxta juris regulam, nemo ex consilio suppeditato alteri regulariter obligatur *l. 47. ff. de R. J. & c. 62. de Reg. Jur. in 6to.* Quia consilium regulariter non est obligatorium, etiamsi non sit proficuum, vel eventus consilio minus feliciter respondeat: nihil enim consulenti imputandum; cum liberum cuique sit, apud se explorare, an consilium suppeditatum sibi expediat, vel non? *l. 2. §. ult. ff. mandat.* Excipe hic duplicem casum, (1) nisi consilium sit dolosum *d. c. 62.* e. gr. si Consulens suaserit suo amico vel clienti, quòd deberet Petro vel Paulo mutuò dare mille imperiales, quia is satis esset solvendo; cum tamen sciret, eundem nihil habere in bonis, esseque rerum prodigum. Ideò quia ille mei decipiendi causa fraudulenter laudavit alterum, & fraudulentum consilium dedit, datur mihi adversus illum de dolo actio, *l. 8. ff. de dolo.* (2) exceptio, nisi quis consilium pro delicto committendo suppeditaverit, quia & is ejus delicti justè accusatur. *l. 34. ff. de furt.* agentes enim & consentientes pari fermè pœnâ afficiuntur.

Constitutio Principis (sive Cæsaris) dicitur jus vel lex â Principe vel suprema Majestate condita *vid. t. ff. de constit. Princip.* Contra, lex in specie dicitur â populo Senatorio magistratu interrogante sancita & promulgata, *§. 4. Inst. de J. N. G. & C.* in eo tamen constitutio & lex conveniunt, quod utraque vim obligandi omnes cives habeat. Constitutio hæc in genere est duplex, (1) definita, & (2) indefinita. Illa est edictum: Hæc est vel rescriptum, vel decretum &c. quid autem edicta, rescripta, & decreta sint, & quatenus inter se differant, in sequentibus videre licet. (1) edicta sunt constitutiones indefinitæ, sivè leges generales, quibus Principes proprio motu aliquid constituunt, ac definiunt citra personæ determinationem: edicta hæc omnes populos sub imperio R. viventes obligant. Sic edictum de albo corrupto contemtam Magistratus autoritatem justè vindicat mulctâ 50. aureorum *l. 7. ff. de jurisdict.* Ergo qui edictum, vel mandatum Principis publicè affixum dolosè lacerat, is secundum jura justissimè puniendus est, ut magistratus autoritas per omnia conservetur illæsa. (2) rescripta Principum sunt constitutiones definitæ, quibus Principes vel ad libellos supplicantium, vel ad Magistratuum

absen-

absentium consultationes respondent, quid sibi de re proposita fieri placeat. Hic notandum, quod omnia rescripta hanc tacitam in se habeant insertam clausulam, si preces veritate nitantur *l. 7. C. de divers. rescript.* Ergo quoties aliquid per sub- vel obreptionem, (h. e. falsam relationem) à Principe injustè impetratum est, id nullius censetur momenti, *l. 7. C. de rescript.* ratio est, quoniam Princeps talia ob injustitiam non vult esse rata. (3) decreta sunt constitutiones Principum definitæ, sivè sententiæ quibus Principes inter duas partes controvertentes causâ cognitâ definitivè pronunciant, *§. 6. Inst. de J. N. G. & C.* de his materiis plura vide in tit. ff. de constit. Princip.

Consuetudo (eine wolhergebrachte Gewohnheit) est jus non scriptum sine publicâ sanctione, tacito populi, vel Principis consensu moribus diuturnis introductum *l. 32. §. 1. ff de legib.* quia autem consuetudo est jus, ideo semper debet esse in naturali ratione fundata; ergo quoties illa cum ratione pugnat, justæ consuetudinis nomen non meretur. Ergo dum consuetudo est juris species, quæ justâ ratione niti debet *l. 39. ff. de legib.* ideo sequentes consuetudines à vulgo receptæ tanquam irrationabiles & injustæ meritò rejiciuntur. Ut (1) quando magistratus bona furto vel vi alteri dolosè ablata, & apud furem deprehensa sibi in veri domini præjudicium retinet; quia in hoc tristi casu fit locupletior contra veri Domini salutem *vide constitut. crim. Carol. 5 art. 218.* (2) irrationabilis & pessima consuetudo est, quando riparum domini bona naufragorum, quæ eorum prædia alluunt, vel ad littus appellunt, in naufragorum præjudicium sibi retinent, vel eadem fisco tradunt; ratio est, quia nemo debet cum alterius damno, contra divinum & humanum jus, & contra charitatem proximi locupletari *l. 14. ff. de condict. indebit.* ne in tali tristi casu afflictis addatur afflictio. Jure canonico omnes illi ipso facto sunt excommunicati, qui ex aliorum naufragiis emolumenta quærunt, & naufragium passos reliquiis ad littus vel ripam ejectis spoliant *vid. cap. excommunicari X. de raptor.* (3) consuetudo censetur irrationabilis, quando mercatores inter se specialiter conveniunt, ne quis eorum majori pretio à rusticis vel aliis civibus merces emat, vel eas minori pretio divendat, quàm inter ipsos est definitum; quoniam tale inventum est cum civium oppressione conjunctum. (4) quando opifices inter se conveniunt, ne quis eorum rem minori pretio, quàm alter conficiat; quoniam hoc modo pretium

tium pro suo arbitrio imponunt, ac cives iniquè onerant. (5) quando opifices inter se peculiare statutum pœnale faciunt, ne opus ab uno opifice incœptum ab altero perficiatur, quo astuto remedio cives cogere volunt, ut se suis insanis desideriis, arbitriis & definitis pretiis injustè subjicere cogantur, *l. un. Codic. de monopoliis.* (6) ne filii opilionum, balneatorum, molitorum, textorum, tibicinum, & tonsorum ad aliquod collegium opificum admittantur, vel ad officia publica vocentur, sed ut ab iis planè rejiciantur, & excludantur ceu maculâ notati. Hanc irrationabilem & injustam opificum consuetudinem prudenter abrogavit Carolus quintus *in Ordinat. Polit.* & Rudolphus secundus *in Comitiis Francofurtensibus de anno 1577.* (7) irrationabilis consuetudo est, ut is à collegio opificum tanquam inhabilis sit rejiciendus, qui uxorem ante nuptias imprægnavit, (licet contra ordinationem Ecclesiasticam peccaverit) ratio est, quia subsecutis postea nuptiis culpa antecedens tollitur, & macula cessat in favorem matrimonii. (8) pessima est consuetudo, ut mulier pro juvene vel viro robusto cœlibe, criminis capitalis reo, & condemnato apud Magistratum intercedat, ac impetret à Magistratu, ut damnato pœnam remittat, eundemque sibi in matrimonium ex speciali gratia concedat: nam si Magistratus delicti veniam capitis reo in tali casu concesserit, tunc delictis iniquo hoc jure aggratiandi aperiuntur fenestræ. Causa efficiens consuetudinis est tacitus populi vel Imperatoris consensus, penes quem aliàs est potestas ferendæ legis; hic tacitus Principis vel populi consensus colligitur ex diuturnis moribus & actuum frequentia: si enim iis Princeps intra legitima tempora non contradixerit, consentire videtur: quia verò legibus expressè non est definitum, quantum temporis spatium ad consuetudinem introducendam requiratur, ideò judicis arbitrio relinquitur. In foro Saxonico requiritur spatium 30. annorum cum anno & die. Effectus consuetudinis idem, qui legis, ut (1) obliget ad obedientiam, (2) ut antiquum jus corrigat, introducendo novum; ratio est, quia consuetudo lege posterior legem tollere potest, &c. Consuetudini affinis est stylus curiæ, quoad processum in judicio formandum; frequens enim fori usus plurimum operatur, qui in similibus & judicem & litigantes legis instar obligat. Consuetudo in materia jurisdictionis per se est sufficiens titulus, daher eine alte gute Gewonheit heutiges

Tages fester ist / als Brief und Siegel. Quæ potentior est lege, legemque vincit.

Consuetudo jure fundata est optima legum interpres, *l. 37. ff. de legib.*

Consuetudo, quæ legem sibi contrariam tollere valet, debet habere 4. sequentia requisita. (1) ut sit rationabilis; consuetudo enim est lex, sivè jus moribus populi introductum, quod rationem pro fundamento habere debet, *l. 39. ff. de legib.* Ideò irrationabilis consuetudo, quæ contra jus divinum vel naturale est, non valet, cum non juris, sed potius corruptelæ nomen mereatur. (2) Ut sit præscripta, h. e. diuturnitate temporis comprobata, sive per multos annos observata. (3) Moribus populi frequentata, quæ ex actuum frequentia & usu colligitur, *l. 2. C. quæ sit longa consuet.* & *l. 3. C. de ædific.* nimirum si tales sint actus, qui verisimiliter in notitiam populi pervenire possunt, & (4) ut sit tacito Principis consensu approbata, *§. 9. Inst. de jur. natural. gent. & civil. d. l. 2.* Sed opponis, quia lex est rationabilis, ergò consuetudo legi contraria, ratione caret; nego consequentiam. Ratio est, quia etiam consuetudo diverso respectu potest esse rationabilis, e. gr. lex sive canon dicit, Episcopo tractanda esse negotia Ecclesiastica cum consensu totius Capituli, *c. 5. X. de his, quæ fiunt à Prælato.* Ratio est, quia in consiliis tractandis plus vident oculi, quàm oculus. Consuetudo contra asserit, negotia Ecclesiastica longè facilius expediri per unum, quàm per plures, modò prudenter & fideliter agat Episcopus, &c. Ergò talis consuetudo non est irrationabilis, cum non sit contra Ecclesiæ salutem, sed potius pro ejus salute.

Consultatio est diligens inquisitio mediorum, per quæ mediante ratione in rebus dubiis peragendis ad propositum finem commodè perveniri potest; ex hac definitione apertè constat, quomodo vir prudens à stulto differat; ille enim nullam actionem sine prævio consilio suscipit; hic verò omnia remoto consilio promiscuè agit. Ut autem quis omnem actionem prudenter suscipiat, & non temerè ad actiones peragendas prorumpat, certos quosdam gradus ad cujuslibet rei electionem, susceptionem & actionem sibi propositos habere debet, ut sic tantò commodius ordine graduum observato ad actionum propositarum finem perveniat. Primus gradus circa actiones peragendas est cognitio sive notitia rei, quam volumus suscipere aut agere: nam quam rem ignoramus, eam non rectè possumus expetere, multò minus agere, juxta illud vulgare, ignoti

nulla

nulla cupido. Secundo loco (sive secundo gradu) cognitionem sequitur voluntas, quæ ab ipsa cognitione excitatur; quam enim rem cognovimus esse bonam & utilem, eam quoque debemus velle. Tertio loco (sive gradu) sequi debet consultatio & deliberatio; ratio est, quia non statim debemus obsequi voluntati nostræ cœcæ, & ea eligere, aut agere, quæ ipsa vult; quoniam voluntas sæpè potest decipi falsa bonitatis specie earum rerum, quæ primò offeruntur. Unde etiam fit, ut homines sæpè velint ea, quæ non debent velle; ratio est in promptu, quia illa ipsis sunt exitiosa, & habent malum quoddam latens, quod non ita statim primâ fronte & primo aspectu potest cerni & animadverti. Itaque prius debemus ea, quæ voluntas nostra appetit, diligenter examinare, qualia sint, & consultare atque deliberare de mediis, quo pacto possint legitimâ ratione & facillimo negotio comparari. Quarto loco (sive gradu) sequitur animi sententia & decretum, quod ex deliberatione proficiscitur; postquam enim de re aliqua benè & rectè deliberavimus, & ex illa deliberatione deprehendimus, eam esse nobis futuram utilem & bonam, tunc statim debemus apud animum nostrum decernere, quod velimus eam rem suscipere & agere; & hoc decretum humanum est quasi conclusio consultationis. Quinto loco (sivè gradu) sequitur proæresis sivè electio rei deliberatæ & conclusæ. Tandem sexto loco (sivè gradu) proæresin sequitur ipsa actio, per quam ea, quæ cognovimus, voluimus, consultavimus, decrevimus & elegimus, etiam agimus, & in effectum producimus: sic per hos recensitos gradus ordine ad actionem prudenter suscipiendam homo rectè progreditur. Quod proæresin concernit, illa sic rectè describitur, quod sit deliberata appetitio eorum, quæ sunt in nostra potestate. Proæresis hæc tria essentialiter requirit, (1) liberam voluntatem eligentis. Eo fine dicitur spontanea appetitio, quæ non est coacta, aut violenta. (2) requiritur notitia ejus rei, quam eligimus sivè expetimus; ideò non dicitur simplex, sed consultata & deliberata appetitio; ob id necessariò conjuncta esse debet cum notitia rei expetitæ. (3) requiritur, ut ea res talis sit, quæ per nos studio nostro comparari potest; nam quæ planè sunt impossibilia, ea etiam nec sunt eligenda. Sic sequentia quatuor in consultationem & deliberationem non veniunt, nisi quis frustra de iis consultare & deliberare velit, (1) sempiterna & perpetua, quoniam omnia divina nunquam aliter se habere possunt; sic DEI omnipotentia, bonitas

nitas, misericordia, sapientia & justitia sunt immutabilia, (2) quædam naturalia in eodem motu semper consistentia, ut ortus & occasus solis & reliquorum siderum, item ea, quæ ab illis dependent, ut solstitia & æquinoctia, quæ semper fiunt in iisdem punctis. Sic etiam fiunt ecclipses solis & lunæ, oppositiones & conjunctiones planetarum, vicissitudines temporum, puta veris, æstatis, autumni, & hyemis; item vicissitudo dierum & noctium. Quia hæc omnia semper eodem modo & motu fiunt, nec humano consilio mutari possunt; ideò de illis jure consultari nequit. (3) quæ à fortuna dependent, hæc ob tres causas quoque in deliberationem non cadunt. Primùm, quia non habent certas causas & rationes, propter quas possunt investigari & sciri, nec etiam præcaveri vel evitari aut mutari. Deindè quia fortuna adversatur rationi, cum tamen omnis consultatio certâ quâdam ratione niti debet, alioquin est inanis & supervacanea. Tertiò quia fortuita non habent certum sibi finem propositum, propter quem fiunt, aut ad quem tendunt; omnis autem consultatio ad certum aliquem finem, tanquam ad scopum est dirigenda. (4) illa humana, quæ ad nos planè non spectant (e. gr. nobis in deliberationem venire non debet, quomodo Rex Persarum, vel Turcarum Imperator regna sua administrare debeant, quoniam hæc duo nihil ad nos) vel humana illa, licet ad nos spectent, adeò sint certa, ut nullam quasi requirant deliberationem; quia ipsis sensibus percipiuntur, e. gr. an nix sit alba, an ignis sit calidus, an mel dulce, &c. Cæterùm probè notandum, quod nulla deliberatio aut consultatio rectè suscipiatur de fine, alioquin finis vocaretur in dubium, & ipsa consultatio in se nihil haberet certi, ad quod respiceret, aut in quo quiesceret: idcircò omnis consultatio & deliberatio suscipienda est de mediis, quo pacto per illa ad finem propositum possimus pervenire; sicuti Aristoteles id tribus argumentis similibus declarat, (1) Medici finis est sanitas: de hoc fine non deliberat Medicus, an velit ægrotum sanare, sed tantùm de mediis; quomodo possit sanitatem ægroto restituere. (2) Oratoris finis est persuadere Auditoribus, sed de hoc non deliberat Orator, an velit persuadere; ratio est, quia hoc omninò vult, sed tantùm inquirit argumenta, quibus persuasionem propositam commodè efficere possit. (3) Politicus & Legislator finem sibi habent propositum, ut quis bonam legum formam & constitutionem in suam Rempublicam introducere possit; sed de hoc fine planè non dubi-

dubitat Politicus vel Legislator, neque de eo deliberat; sed saltem deliberat & consultat, quibus legibus, quibusvè modis rempublicam optimè constituere ac conservare possit. Ergò in omni consultatione finem simpliciter debemus velle & expetere; de mediis autem, per quæ ad finem est perveniendum, prudenter nobiscum deliberare convenit.

Contractus est conventio duorum vel plurium contrahentium, quæ ex se & sua natura producit obligationem, ad agendum efficacem. Contractus omnis tria substantialia ad sui perfectionem requirit, (1) intellectum, (1) voluntatem, & (3) facultatem sivè potentiam contrahendi: si horum unum defecerit, totus deficit contractus: nam (1) qui negotium contrahendum non intelligit, id contrahere nequit, cum dolus, error, vel ignorantia intellectui obstent: ideò infans, pupillus, furiosus, mente captus ob rationis defectum contrahere prohibentur; sic etiam (2) ratione voluntatis contractus dicitur imperfectus, si quis vi vel metu ad contractum ineundum adigatur, quia in tali casu voluntas non est libera, sed coacta; ubi quis ob majus malum effugiendum eligit minus, e. gr. si quis à latronibus cogatur 100. imperiales expromere ad redimendam vitam, hîc minor est jactura 100. imperialium, quàm vitæ, (3) ratione facultatis sive potentiæ contractus censetur imperfectus, quando contrahens non habet liberam rerum suarum administrationem ob ætatis vel judicii defectum: sic pupillus & furiosus quà tales non habent potentiam de rebus suis in illo statu disponendi, vel distrahendi: ideò contrahere non valent.

Contractus in genere sunt duplices; (1) nominati, & (2) innominati. Contractus nominati certum & proprium nomen à lege tributum habent, *l. 7. §. 1. ff. de pact.* Quales sunt omnes contractus, qui (1) nudo consensu, (2) literis (sivè chirographo,) (3) solennibus verbis (sivè stipulatione,) aut (4) re contrahuntur, ut emtio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum, depositum, mutuum, pignus, commodatum &c. Ex dictis colligi non debet, quasi Imperator quasdam obligationes consensu iniri vellet, quasdam verò absque consensu; sed quod quædam obligationes (sivè contractus) nominatæ solo & nudo contrahentium consensu perficiantur, quædam non solo consensu; sed præter consensum contrahentium vel mediante stipulatione, vel chirographo, vel rei traditione accedente suam demum habeant perfectionem; quoniam

 con-

consensus contrahentium est omnium contractuum fundamentum & principium; adeòque contractus realis mediante consensu inchoatur, sed per rei traditionem demum perficitur, *l. 30. ff. de reb. credit.* ubi præprimis observandum, quod omnes contractus consensuales sint bonæ fidei, in quibus non modò præstari oportet, quod contrahentes nominatim expresserunt, verum etiam quod naturalis ratio & æquitas ipsis tacentibus dictitat *l. 7. ff. de negot. gest.* quod fit ob eam rationem, quia contractus consensuales ob facilitanda commercia, & humanam societatem conservandam quàm maximè sunt necessarii. His contractbus consensualibus literæ & verba solennia regulariter non requiruntur ad sui essentiam, interdum tamen in contractus securitatem accedere solent, ideo sunt saltem concomitantia &c. Contractus innominati sunt, qui non habent proprium & speciale nomen, causa tamen, hoc est, datio aut factum subest, *l. 7. §. 2. ff. de pact. l. 8. ff. de præscript. verb. l. 6. C. de rer. permutat.* quales sunt, do tibi, ut des (ut permutatio) do, ut facias, facio, ut des, aut facio, ut facias, *l. 5. pr. ff. de præscript. verb.* unde actio præscriptis verbis semper nascitur. Ut dicta magis innotescant, sequentia adhuc addo. Contractus innominatus est conventio, causam sine speciali nomine habens, *l. 21. ff. de rer. permutat.* per causam hîc intelligo actualem rei dationem, vel factum, *l. 5. §. 1. & seqq. ff. h. t.* nam quicunque contractus dicuntur non stare in suo nomine, sed causam habere, illi non nisi actuali rei traditione vel facto perficiuntur: Ideò permutatio ex re traditâ initium obligationi præbet, *l. 1. §. 2. ff. de rer. permutat.* Hîc porrò circa contractûs in genere tria sunt notanda. (1) Substantialia contractuum, (2) naturalia eorundem, & (3) accidentalia. Substantialia contractus sunt, sine quibus contractus subsistere nequit; sic in genere omnium contractuum substantiale est consensus, sine quo nullus contractus iniri, nec subsistere potest, *l. 1. §. 3. ff. de pact.* Sic substantiale contractuum realium præter consensum est res vel rei traditio; nam antequàm in mutuo, commodato, deposito & pignore res traditur, contractus non censetur perfectus, etiamsi perfectus contrahentium consensus præcesserit; ideò contractus reales demùm rei traditione perficiuntur, &c. In verborum obligatione sivè stipulatione substantiale contractûs est congrua interrogatio & prompta responsio; In literarum obligatione substantiale sunt literæ, quibus deficientibus deficit ipse contractus, ut ut consensus

sus contrahentium præcesserit, &c. Naturalia contractûs sunt, quæ contractibus naturâ insunt juxta legis dispositionem, licet ea in contractibus nominatim non exprimantur. Sic omnium contractuum naturalia sunt præstatio doli & culpæ. *l. 23. ff. de R. J.* h.e. damnum ex dolo vel culpa emergens resarciendum est ab eo, qui dolum vel culpam in contractibus committit. Accidentalia contractûs sunt, quæ præter contractûs essentiam ex contrahentium conventione, sivè consensu dependent, ut si contrahens promittat casum præstare, ad quem aliàs regulariter non est obligatus, *d. l. 23. ff. de R. J.* vel si depositarius culpam levem promittat, ad quam nec is regulariter esset obligatus.

Contractus est verus, vel quasi contractus, §. 2. *Inst. de obligat.* Contractus verus ex vero consensu constat; quales sunt 4. sequentes, vel (1) re contrahuntur contractus, vel (2) verbis, vel (3) literis, vel (4) nudo consensu §. 2. *Inst. de obligat.* Contra, quasi contractus ex præsumto consensu constant. Hinc quasi contractus dicitur præsumta quædam conventio, mediante facto aliquo honesto, obligationem producens. Ex hac definitione duo sunt colligenda, (1) quòd quasi contractus fiat absque expressâ conventione, sine expresso contrahentium consensu; idem tamen tacita voluntas per juris fictionem in quasi contractu operatur, quod expressus consensus & voluntas contrahentium in vero contractu, (2) quòd factum sivè negotium non debeat esse turpe; nam si turpitudinem in se contineat, tunc non est quasi contractus, sed est delictum; vel quasi delictum. Hujus quasi contractûs sunt 5. species. (1) Est negotiorum gestio, quâ quis sine mandato Domini absentis vel ignorantis negotia utiliter gerit, *t. ff. de negot. gest.* (2) Est tutelæ administratio, quia testator vel Magistratus solet tutores dare pupillis non modò ignorantibus, verùm etiam interdum invitis, ad jura pupillorum tempestivè defendenda; ne autem pupilli omni actione destituantur; & ex opposito, quoque tutores, si se inde læsos putant, non iniquè graventur: Ideò per juris fictionem quasi contractum inter pupillum & tutorem celebrare voluit Imperator; undè mutua inter eos est obligatio, & actio, *l. 5. §. 1. ff. de oblig. & act.* (3) Est rerum communio, quando duobus vel tribus res simul legata, vel donata est, *l. 31. ff. pro soc.* Ideô sic definitur, communio est societas (latè dicta) sine vero contractu orta, quia tales socii inter se propriè non contraxerunt; inde in communione hac viventibus

datur

datur actio ex quasi contractu, ut res singulares communes inter illos dividantur, *t. ff. communi dividundo.* (4) Est familiæ erciscundæ, h.e. hæreditatis dividendæ, (quia erciscere denotat dividere) quo duo vel plures heredes sibi invicem ad divisionem hereditatis tacitè obligantur. Obligantur etiam creditoribus & legatariis defuncti ex quasi contractu; nam licet cum illis nullum negotium gesserint, adeundo tamen hereditatem tacitè cum illis contrahunt, dum succedentes in omne ejus defuncti, personam ejus repræsentant; ideò ejus factum præstare coguntur, *l.62. ff. de R.J.* Et (5) est indebiti solutio, quâ quis per errorem alteri non debitum solvendo, eundem sibi tacitè obligat ad restitutionem, perinde ac si mutuum accepisset: nam accipiens non per expressam quandam conventionem indebitum solventi obligatur ad restitutionem, quia se ad hoc non expresśè obligavit; sed saltem ex tacitâ & præsumtâ conventione: iniquum enim foret, ut indebitum accipiens contra moralia præcepta locupletaretur cum alterius jactura, *l. 32. ff. de reb. credit.* Ergò indebitum solventi datur condictio indebiti ex quasi contractu, ad repetendum illud, quod errore injustè solvit, *t. t. ff. & C. de condict. indebit.*

Contractus in genere consideratus latitudine suâ, præter antecedentes duas contractuum divisiones, varias in se continet divisiones, ut (1) contractus sunt vel bonæ fidei, vel stricti juris. Contractus b.f. sunt emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, pignus &c, *§.28. Inst. de actionib.* Contractus stricti juris sunt mutuum, stipulatio, aditio hereditatis, solutio indebiti. Hic notandum, quod bona fides hîc denotet æquam, benignam & utilem contractuum interpretationem, quæ specialiter in contractibus non est expressa, sed tacitè subintelligitur: ob id in talibus contractibus bona fides tantum operatur, quantum in contractibus stricti juris expressa interrogatio & clara definitio, quid à contrahentibus observandum sit, *l. 7. ff. deposit.* (2) contractus sunt vel (1) gratuiti sivè lucrativi, qui uni contrahentium saltem commoda gratis afferunt, vel (2) sunt onerosi; vel quod idem, contractus sunt vel unilaterales, vel bilaterales. Contractus unilaterales (sivè gratuiti) ex uno saltem latere obligatorii sunt, h. e. unum saltem contrahentem obligant, quales sunt mutuum, depositum, commodatum, mandatum, stipulatio &c. Contractus bilaterales (sive onerosi) ultro citroque obligatorii sunt, qui utrumque contrahentem ad aliquid

quid præstandum æqualiter obligant; ut emtio, venditio, locatio, conductio, societas. In onerosis sive bilateralibus contractibus regulariter æqualitas est observanda, ut uterque contrahentium tantundem accipiat, nimirum emtor ratione rerum, & venditor ratione pretii: nam quoties inæqualitas magna contractibus accesserit, tunc minus accipienti datur potestas ab altero contrahente petendi vel supplementum ejus, quod sibi deest, vel planè rescindendi contractum, ut læsus conservetur indemnis, *l.2.C. de rescind. vendit.* Est enim contra naturalem æquitatem, ut quis fiat locupletior cum alterius damno, *l. 14. ff. de condictione indebit.* Antiquissimus contractuum onerosorum est permutatio, quæ ante nummi usum fuit, *l.1. ff. de contrah. empt.* Hic observandum, quod primis mundi temporibus jure naturæ non fuerint contractus, nec ullus eorum usus. Ratio est, quia tunc temporis Adam & ejus filii rebus omnibus communiter utebantur, nec ullas terras vel rerum dominia tunc habebant distincta, quasi quilibet haberet privatum & separatum dominium. Verùm successu temporis genere humano in tantum multiplicato, ut absque summa rerum confusione, rixis & cædibus in communione diutius persistere non possent, rerum divisio jure gentium ob necessitatem & tranquillitatem in communi societate conservandam, est introducta; ne autem societas humana maximis vexaretur incommodis, sed ut in ea commodius viverent mortales, jure gentium ob humanam indigentiam contractus plerique sunt introducti, *l.5.ff.de just.& jur.* præsertim permutatio, ut quilibet pro necessitate temporum ac rerum utilia inutilibus permutaret; nam plerumque evenire solet, ut quod alteri præter necessitatem superest, alteri desit, &c.

Contractus porrò dividuntur à causa efficiente in contractus reales, verbales, literales, & consensuales *§. ult. Inst. de obligat.* Contractus consensuales sunt, qui solo consensu perficiuntur, nec scripturam, nec verba solennia, nec rei interventum ad suam perfectionem postulant, ut emtio, locatio, societas, mandatum &c. *pr. Inst. de oblig. ex consens.* Contractus literales sunt, qui præter consensum ad sui perfectionem insuper literas sive scripturam requirunt, ut literarum obligatio *t. Inst. de lit. obligat.* Contractus verbales sunt, qui præter nudum consensum verba solennia ad sui perfectionem exigunt, ut stipulatio sive verborum obligatio. Contractus reales sunt, qui non nudo consensu contrahuntur, sed præter consen-

S sum

sum requirunt rei traditionem, ut mutuum, commodatum, depositum, pignus, & contractus innominati, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias *l. 1. §. 2. ff. de rer. permut.*

Contractus ex conventione legem accipiunt, *l. 1. §. 6. ff. deposit.* Ergo si quis in contractu promittat, se culpam omnem vel casum præstiturum, obligatur ratione promissi & contractus initi ad casum præstandum, ad quem aliàs nemo regulariter obligatur *l. 23. ff. de R. J.* Hic nota, quod casus fortuitus & dolus dicantur omnium contractuum extrema, quorum dolus est præstandus in omnibus contractibus, ad evitandam perfidiam, & peccatum mortale. Casus verò (excepto mutuo *l. 11. C. si cert. pet.*) regulariter nunquam præstatur, nisi specialiter promittatur, vel ob moram commissam interveniat. Inter hæc duo extrema est culpa quasi media, quæ triplex lata, levis, & levissima &c.

Contractus ab initio sunt voluntatis liberæ, sed ex postfacto, nimirum contractibus jam perfectis regulariter sunt necessitatis; *l. 5. C. de obligat. & act.* Ratio est, quia res non amplius est integra, ut uni ex pœnitentia, invito altero contrahente, à contractu impunè resilire liceat, *l. 3. C. de rescind. vendit.* Excipe (1) nisi contrahens uterque postea ab inito contractu per expressum contrarium consensum liberè recedat; nihil enim tam naturale est, quàm unumquodque eo genere dissolvi, quo colligatum est, *l. 35. ff. de R. J.* (2) nisi contrahens, quem pœnitet contractûs, perspicuè demonstrare possit, se ultra dimidium justi pretii esse læsum; quo casu contractus ob iniquitatem planè rescinditur; vel illud etiam, quod contra æquitatem naturalem deest, supplendum est, ad æqualitatem inter contrahentes observandam, *l. 2. C. de rescindenda vendit.* Secus est in matrimonio, licet id quidē utriusque partis consensu perficiatur, utriusque tamen partis contrario consensu à matrimonio recedi non licet, ob expressum DEI mandatum, quos DEUS conjunxit, homo non separet; ideò Sanctum illud vinculum nullo planè modo, nisi morte dissolvitur. Excipe (3) nisi dolus vel fraus intervenerit. Ratio est, quia in omnibus contractibus intelligitur dolus exceptus, *l. 60. §. fin. ff. mandat.*

Contrarium nihil (id est antinomiam) in toto corpore juris non invenies, si subtili animo diversitatis rationes excuties, *§. 15. de confirmat. digest.* Contra hoc Imperatorium assertum Wissenbach, Cujacius, & alii acriter pugnant, sed eos JCtus Illustris Struvius & alii mecum

con-

condignè refutant; nam ficuti Imperatoris mens non fuit, contraria fimul ftatuere, & per hæc fibi ipfi in fuis affertis expreſsè contradicere; fic eadem contra ejus intentionem non debemus admittere, *de his plura vide in tituto antinomia.*

Contraria fe invicem tollunt: Ergo duo contraria non poffunt fimul & eodem tempore in eodem fubjecto fubfiftere; hinc rectiffimè afferit Imperator in regula juris 188. quæ rerum naturâ prohibentur, nulla lege confirmata funt, quia contraria ob pugnantiam fimul ftare nequeunt, uno pofito, neceffe eft tolli alterum, *l. 124. ff. de V. S.* nam nullus, qui fana ratione utitur, poteft aliquid fimul affirmare & negare; cum impoffibile fit, idem fimul effe, & non effe. Ergò fi teftator ante aliquot dies condiderit teftamentum, Titio mille legando, poftea condidit aliud, in quo Titio nihil relinquere voluit, fed eundem ut immorigerum juftè exclufit, tunc prius teftamentum per pofterius priori contrarium juftè tollitur. Quòd fi alioquin contrarietas vel in teftamentis, vel in teftium dictis, vel inftrumentis fivè documentis reperiatur, fi illa fub aliquâ honefta diftinctione, vel juftâ explicatione tolli poffit, faciendum eft, ut negotium maneat illæfum, *l. 80. ff. de verb. obligat.* ne ultima teftatoris voluntas, poftquàm amplius velle non poteft, temerè deftruatur.

Contumacia militis adverfus Ducem capite punitur, *l. 6. §. 2. ff. de re militar.* ut effrænis militum petulantia vi legum validè coërceatur, ad difciplinam militarem in totius reipubl. falutem & tranquillitatem confervandam.

Creditor pignus fine culpâ cafu amittens, debitum non perdit, *l. 6, C. de pignorat. action.* quia nemo regulariter tenetur cafum præftare, aft fi eum promiferit, tunc demùm ad eum obligatur, *l. 23, ff. de R. J.*

Crimina fivè peccata regulariter in foro civili puniuntur, fi externè in actum prorumpant, & in effectum deducantur, ne delicta contra reipubl. tranquillitatem maneant impunita, *l. 13. ff. de offic. Præfid.* Quòd fi verò actus criminofi fint interni, quales funt cogitationes delectabiles de peccatis committendis, ut cupiditas adulteri, ftupri, homicidii, furti, &c. tunc malum propofitum delinquendi abfque effectu jure civili regulariter extra pœnam eft. Ratio eft, quia per vitiofos hos internos motus nemini damnum eft illatum: idcirco jura R. dicunt, cogitationis pœnam nemo in foro civili pati-

tur, *l. 18. ff. de pœn.* Cum solus DEUS sit cordium scrutator. Dantur tamen nonnulla hominum vitia valdè frequentia in actum producta, quæ nihilominus ob depravatam humanam conditionem in foro civili haud facilè puniuntur: qualia sunt inhumanitas, iracundia, odium, ingratitudo, avaritia, invidia, ambitio, superbia, hypocrisis, juramenta, ebrietas, &c. unde maxima virtuosis exsurgunt scandala.

Culpa in genere est omnis desidia, & negligentia circa custodiam vel usum rei alienæ, quæ jure culpari vel reprehendi potest; vel quando quis negligit vel ignorat ea, quæ scire vel observare debuisset & potuisset, §. 3. *Inst. quib. mod. re contrah.* sivè culpa est factum inconsultum, in committendo vel omittendo consistens; quo quid fit, quod fieri non debuit, & rursus, quo quid non fit, quod fieri debuit; ideò dicitur læsio per imprudentiam alteri illata.

Culpa est triplex, lata, levis, & levissima: tot ex opposito sunt gradus diligentiæ, ut (1) summa sivè exactissima diligentia, (2) mediocris, & (3) minima diligentia. Culpam latam quis per supinam negligentiam committit, quando quis non intelligit, quod omnes intelligunt, saltem in sua professione; vel non facit per supinam negligentiam, quod omnes alii faciunt, *l. 213. §. ult. ff. de verb. signif.* E. gr. si quis id, quod publicè propositum, templorum & curiæ valvis affixum, aut præconis voce proclamatum est, non observaverit, *l. 11. §. 3. ff. de instit. act.* aut si quis, quod omnes in civitate faciunt, solus ignoret, *l. 9. §. 2. ff. de jur. & fact. ignor.* Hæc lata culpa in pœnis pecuniariis doli speciem habet, doloque proxima dicitur, *l. 1. ff. si mens. fals. mod. dix.* ast in pœnis corporalibus lata culpa dolo non æquiparatur, *l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* sed longè minor censetur. Levem culpam committit, qui ob incuriam id non facit in alienis, quod quilibet bonus paterfamilias diligens facit in rebus propriis, *l. 72. ff. pro socio.* h. e. non providet, quod à diligente provideri potuit, *l. 31. ff. ad L. Aquil.* ut si creditor pignus sibi à debitore concreditum domi permittat à muribus & tineis corrodi. Levissimam culpam committit, qui id non facit in alienis, quod diligentissimus paterfamilias faceret in rebus propriis, *l. 25. §. pen. ff. de locat. & conduct.* e. gr. si quis passus est rem à furibus auferri, si quoquo modo furtum præcavere potuit, §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah. obligat.* Hîc probè notandum, quoties in Jure Rom. vox *culpa* absolutè ponitur, nec additur epitheton, *minima*, *vel lata*, tùm regula-

gulariter intelligitur per culpam, culpa levis, *l. 5. §. 2. ff. commodat. l. 72. pr. ff. pro soc. l. 3. §. 1. ff. de naut. caup. &c. l. 23. ff. de R. J. l. 25. §. 1. ff. solut. matrimon. l. 108. §. 12. ff. de legat. 1.* Culpa levissima in nullis contractibus, in quibus utriusque contrahentis versatur utilitas, regulariter est præstanda. Ergò multò minùs casus fortuitus, *d. l. 5. §. 2. ff. commodat.* ideò in locatione & conductione dolus, lata, & levis culpa tantùm præstantur: excipe nisi quis se specialiter ad levissimam culpam & fortuitum casum præstandum obligaverit.

Culpâ caret, qui scit, sed prohibere non potest, *l. 50. ff. de R. J.* Ex opposito, culpâ non caret, qui scit, & commodè prohibere potest malum, nec tamen prohibet: nam qui patitur peccare peccantem, dum eundem commodè corrigere, vel prohibere potest, is vires subministrat audaciæ, ejusque audaciam quasi approbat; hinc jura statuunt, quod quilibet in conscientia obligetur, hominem in vitæ periculo constitutum quovis honesto modo adjuvare, si id absque vitæ periculo facere possit, *l. 109. ff. de R. J.* vel si quis viderit virginem honestam vi stuprari, eamque à stupratoris violentia & intentata atroci injuria non liberat, si id tutò præstare possit, is utique videtur approbare delictum hoc atrox, & contra proximi charitatem frivolè peccat. Sic etiam is non est sine culpa, qui se scienter immiscet rei ad se non pertinenti, *l. 36. ff. de R. J. &c. 19. de R. J. in 6to.* e. gr. si quis nullâ artis scientiâ instructus velit Judicem, Assessorem tribunalis, Medicum, vel Advocatum agere, & si per imperitiam malè judicaverit, vel mala medicamenta ægroto suppeditaverit, vel malè consuluerit, actione legis Aquiliæ tenetur, *§. 6. Inst. ad L. Aquil. & l. 6. §. 7. ff. de offic. Præsid.* ratio est, quia quilibet artem, quam profitetur, scire debet, aut latam culpam committit, dum ignorat, quod omnes ejus professionis sciunt, & scire debent; hinc regula innuit, unumquemque debere intra professionis suæ metas se continere, nec aliorum negotiis ad se non pertinentibus temerè se involvere; ne promiscuis rerum actibus iniquè turbentur in republica officia. Sic Ecclesiasticus secularibus causis se immiscere non debet, *c. 7. X. de appellat.* Contra, nec Judex laicus ecclesiastica sivè spiritualia negotia tractanda in se suscipiat, *c. 5. in fin. X. qui filii sint legitim.*

Cura est potestas administrandi bona ejus, qui ob ætatem, vel mentis, aut corporis vitium, vel ob aliam causam ipse rebus suis præesse nequit;

quit; hæc cura autoritate Magiſtratus conſtituitur. Curatores regulariter dantur puberibus, ad bona conſervanda & adminiſtranda; & tutores dantur impuberibus, vid. *tit. Inſt. de curat.* Hodiè tutorum & curatorum officia non ſunt diſtincta; nam qui pupillorum usque ad pubertatem fuerunt tutores, iidem coguntur puberum res ad 25. ætatis annum completum adminiſtrare, *teſte Gailio 2. obſerv. 196.*

D*Amnatus* propter crimen in fronte non eſt ſignandus; ne facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſt figurata, ignominiosè maculetur, *l. 17. C. de pœn.* quod tamen non ubique locorum obſervatur, dum quidam ſcelerati, & atrociter delinquentes in terrorem aliorum interdum hodiè ſtigmate in fronte ignominiosè notantur.

Damnum tribus modis committi ſolet, (1) vel à nobis ipſis, (2) vel ab animalibus, ſervisque noſtris, vel (3) à rebus inanimatis, unde diverſæ oriuntur actiones. Damnum à nobis illatum pertinet ad Legem Aquiliam, quod autem à ſervis vel animalibus noſtris commiſſum eſt, ad noxale judicium, & actionem de pauperie ſpectat; quod verò à rebus inanimatis naturaliter illatum eſt absque hominum culpa, non venit in aliquod judicium; nam ubi nec dolus, nec culpa hominis præceſſit, nec caſus ſpecialiter promiſſus eſt, ibi nulla valida in judicio de damno illato reſarciendo, actio formari aut inſtitui poteſt.

Damnum omne quovis honeſto modo evitari debet, ne quis contra univerſalia juris principia iniquè lædatur; ſed quia damna ſæpiſſimè dejectione vel effuſione ex cœnaculo præterambulantibus, ſivè tranſeuntibus inferri ſolent, Prætori ceu Magiſtratui æquiſſimum eſt viſum, in id imprimis incumbere, ut per vias & itinera publica tutò ſine metu & periculo omnibus commeare liceat. Ideò de his, qui dejecerunt, vel effuderunt, edictum publicè propoſuit Prætor, ut, ſi in eum locum, quo vulgò iter fit, vel in quo homines conſiſtere ſolent, quid dejectum vel effuſum fuerit, quantum ex ea re damnum datum, factumvè erit, in eum, qui ibi habitaverit, regulariter in duplum judicium dabo: unde datur actio prætoria contra inhabitatorem, ſivè eum, qui in cœnaculo habitat, *l. 1. ff. de his qui effud.* quod ſi verò homo inde occiſus, datur actio ad pœnam 50. aureorum, *l. 1. pr. & §. 5. ff. de his, qui dejec. vel effud.* Actio hæc de effuſo (liquido) & dejecto (ſolido nimirum lapide) eſt actio in per-

in personam, quia est ex quasi delicto; nam præsumtio delicti contra inhabitatorem est, quod non satis circumspectam curam familiarium habuerit de damno præcavendo, *l. 1. §. 4. ff. h. t.* Culpa hæc domini, in omittendo consistens, non attenderetur, nisi id fieret ob publicam utilitatem & securitatem, quâ expedit, per itinera & vias publicas sine periculo & metu omnibus commeari licere, *d. l. 1. §. 1. & 2.* actio hæc est in factum. Ratio est, quia inhabitator ob alterius factum condemnatur, *d. l. 1. §. 4.* Actio hæc datur ei, qui damnum in corpore vel vestimentis suis per effusionem vel dejectionem passus est, *d. l. 1. §. 6.* & datur contra eum, qui inhabitavit eo tempore, quo dejectum vel effusum est. Actio hæc datur ad damnum illatum resarciendum; ideò si damnum in rebus æstimabilibus fuit datum, datur in duplum, *d. l. 1. pr.* Si verò in rebus inæstimabilibus, ut in homine libero, si is indè occisus, datur actio 50. aureorum; sin verò homo indè saltem læsus, datur actio ad æstimationem curationis & operarum amissarum, quibus caruit, aut cariturus est, cum inutilis sit factus, ad operas peragendas, *l. fin. ff. de his, qui dejec. & l. 7. ff. ad L. Aquil.*

Damnum infectum est damnum nondum factum, sed quod futurum metuimus, & averti petimus, *l. 2. ff. de damn. infect.* Talia damna ex ædibus vicinis ruinosis, vel opere aut arboribus, &c. timemus. Hinc quoties vicinus talia damna ex ruinosis vicini ædibus, opere, arboribus, &c. justè veretur, tunc vicinus tenetur cautionem præstare de damno resarciendo, si quod ipsi imposterum indè inferatur; sed qui hanc cautionem petit, tenetur juramentum calumniæ præstare, se hoc non petere calumniæ (sivè vexandi vicini) causâ. Ex hac cautione præstitâ oritur actio ex stipulatu ad resarciendum damnum. Cautionem hanc petit damnum metuens coram Magistratu, ut ratione imminentis damni sit indemnis. Ergò objectum hujus est damnum ex vitio ædium ruinosarum, vel alterius operis, quod ex vicini arboribus &c. metuitur.

Damnum nullum proximo nostro temerè inferendum est, etiamsi indè multum lucri sentire possimus, ratio est; quia Jus Naturæ, Divinum & Canonicum docent, neminem debere cum alterius damno locupletari, *l. 14. ff. de condict. indeb. c. 48. de R. J. in 6to.* cum sit contra charitatem proximi & conscientiam, quam in omnibus & per omnia illæsam conservare debemus.

Damni

Damni occasionem dans, ipsum damnum intulisse videtur, *l. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 6. & seq. ff. si quadrup. paup. fecis. dicatur.* quoniam ille est causa impulsiva istius mali.

Debitor incarceratus sumptibus & expensis creditoris alendus est, *l. 34. ff. de re judic.*

Debitor solutione debiti regulariter liberatur à nexu obligationis, *l. 38. §. 1. ff. de solut.* Liberatur etiam in sequenti casu, quando debitor creditori pecuniam tempestivè offert, & creditor eam non vult sine justa causa accipere; si debitor eam postea sine culpa perdiderit, non amplius obligatur creditori, sed ob creditoris moram pecunia debita habetur jam soluta, *l. 72. pr. ff. de solut.* Ratio est, quia damnum, quod quis propriâ culpâ sentit, sentire non videtur, quòd sibi, & non alii imputare debet, *c. 86. de Reg. Jur. in 6to.*

Debitor regulariter non potest cogere creditorem, ut aliud pro alio accipiat, *l. 2. §. 1. ff. de reb. credit.* Ergò si Mævius mihi deberet 1000 Imperiales, me cogere non potest, ut à se domum, agrum, vineam, vel nomen, (h. e. obligationem) debitoris in solutum recipiam, licet ejusdem sit pretii, *l. 16. C. de solut.* excipe, nisi creditorem cogit necessitas, ut aliud pro alio à debitore accipiat, ne debitor ob angustas res bonis cedere cogatur.

Deceptis & non decipientibus jura subveniunt, *l. 110. §. 4. ff. de R. Jur.* ideò si mulier, minor, vel alius in contractibus graviter læsus est, restituitur in integrum; quod si verò deceptio sit levis, aut parvi momenti, non item: ratio est, quia minimum vel modicum (damnum) non curat Prætor (sivè magistratus) ad amputandas in foro lites, *l. 4. ff. de in integr. restitut.* Si enim ob minimum vel leve damnum mortalibus litigare liceret, lites in infinitum crescerent. Hinc si quis in emptione modicè saltem est læsus, emptio, venditio non retractatur, *l. 54. ff. de contrab. empt.* Sic juxta regulam, fœminarum simplicitas & infirmitas, non verò calliditas earum meretur auxilium, *l. 2. §. 1. C. ad SCtum Vellej.* ne alioquin fœminarum malitia indignè crescat.

Decipere alium, an jure liceat? Resp. jure civili licitum est cõtrahentibus ex usu humano se invicem decipere ad dimidium justi pretii, *l. 16. §. 4. ff. de minorib.* ut quis, quod pluris est, minoris licitè emat, & quod minoris est, pluris vendat, *l. 22. §. 3. ff. de locat. conduct.* sic uterque contrahentium lucrum indè percipere intendit, *l. 8. C. de rescind. vendit.* Attamen hoc non debet fieri malitiosè, & ex proæresi, fraudisque

disque studio; sed per solertiam quandam negotiativam, seu œconomicam ad patrimonium suum honestè augendum. Unde dicimus deceptionem, sivè circumventionem hanc non debere esse dolum sivè fraudem, sed industriam & vigilantiam quandam œconomicam, studiumque rei familiaris augendæ; quia unicuique licet conditionem suam facere meliorem absque alterius injuria. Sic venditor hoc animo & voto ad contrahendum accedit, ut rem carissimè vendat; contrà, emptor hoc animo & voto contrahere nititur, ut res venales quàm minimo pretio sibi comparet, quod mercatoribus vitio non est vertendum, si dolus absit, quia lucri causa emere & vendere solent, ut victum & amictum inde sibi honestè acquirant; cum pretium rerum vendendarum non sit positum in principio mathematico, ut semper sit certum & immutabile; sed est varium & instabile, pro regionum diversitate & pro copiâ, vel paucitate rerum. Ut ut adhuc hodie multa, ad commercia eo liberius exercenda, & ad amputandas litium occasiones, in republ. permittantur, ita tamen negotia sunt tractanda, ut charitas & æquitas inter Christianos absque ulla deceptione piè conserventur; nam sicuti nemo juxta æquitatis & juris naturæ regulam (quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris) in contractibus, ne quidem quoad obulum, decipi vult, ita nec alium in pretio fallere jure debet; ne videatur in propria causa iniquam ferre sententiam.

Defendi uxores à viris, non viros ab uxoribus æquum est, intellige in judicio, §. 2. *Inst. de injur.* quia defensio & patrocinium sunt officia virilia.

Delicta sunt duplicia, (1) facti permanentis, & (2) facti transeuntis. Illa sunt, quæ post se relinquunt vestigia, ut homicidium, stuprum virgini illatum, furtum, incendium, falsificatio monetæ &c. Hæc sunt, quæ nullum post se relinquunt vestigium, e.gr. adulterium, injuria, blasphemia, perjurium, magia &c. Delicta etiam distinguuntur in levia, atrociora, & atrocissima. Delicta levia levem saltem pœnam pro modo delicti merentur. Delicta atrocia, sivè atrociora simpliciter merentur pœnam capitalem; Ast delicta atrocissima non simplicem pœnam capitalem, sed longè graviorem merentur, ut (1) in crimine Sodomiæ, & veneficii, ubi reus igne comburitur, (2) in crimine læsæ Majestatis, quo perduellis quadrigis violenter discinditur; (3) in crimine latrocinii, reus rotâ contun-

ditur (4) Corruptores monetæ in oleo coquuntur &c. (5) Infanticidæ culeo insutæ suffocantur in aqua &c.

Delicta ut puniantur, reipubl. interest, *l. 51. ff. ad L. Aquil.* alioquin respub. quieta & tuta esse nequit, *vide l. 13. ff. de offic. præsid.* nec privati bona sua conservare possent illæsa, nisi delinquentes pro delictorum qualitate condignè punirentur. Ideò expedit reipubl. ut delicta puniantur; imprimis si sint gravia & atrocia, ut alii metu pœnæ à similibus facinoribus abstinere discant: Attamen in puniendo perquam cautè procedendum est Magistratui; ne sontes & insontes promiscuè puniantur; Ideò debent probationes luce meridianâ esse clariores, *l. fin. C. de probat.*

Delictum à pluribus commissum singulos in solidum obligat ad pœnam *l. 7. in fin. & l. 8. ff. de jurisdict. & l. 11. §. 2. ff. ad L. Aquil.* quia singuli cogitatione & opere reverà contra legem temerè egerunt.

Delictum in genere est factum illicitum contra jus commissum ad pœnam obligans. Delicta dividuntur in publica & privata, delicta publica ad reipubl. læsionem directò & principaliter spectant (dum tranquillitatem reipublicæ & civium tollunt) licet per consequentiam ad privatorum læsionem referantur, qualia sunt crimen læsæ Majestatis, adulterium, homicidium, &c. *de quibus in libro 48. ff. tractatur.* Delicta privata principaliter in privatorum læsionem vergunt, cùm privatus indè lædatur, per consequentiam tamen ad reipubl. læsionem spectant: Ratio est, quia delictis sive maleficiis reipubl. tranquillitas perturbatur; Privata hæc delicta sunt quatuor sequentia, ut (1) furtum, (2) rapina, (3) damnum & (4) injuria. Privata hæc delicta vel sunt propriè talia, ut furtum, rapina, damnum, & injuria (de quibus sub competentibus titulis *in lib. 47.* agitur) vel sunt impropriè talia, & vocantur quasi delicta. Hoc quasi delictum est damnum absque dolo malo, sive intentione nocendi alii datum, culpa tamen aliqua commissa est: vel brevius, est damnum, quod non ex dolo, sed ex culpa proficiscitur *l. 5. §. 4. ff. de O. & A.* hujus quasi delicti species regulariter in jure sunt quatuor, quia quasi delictum variè committitur. (1) est imperitia male judicantis, dum judex eum, quem in judicio secundum jura absolvere debuisset, iniquè condemnat. Quo casu judex tanquam reus illatum damnum mediante superioris judicis sententia læso refundere cogitur; ratio est, quia judicis imprudentia est species culpæ (dum ignorat artem, quam profitetur) & culpa est

pars

pars delicti: (2) dejectio sive effusio è cœnaculo facta (3) positio vel suspensio ejus, quod si ceciderit, prætereuntibus in publica via nocere potest, & (4) est damnum in navi, cauponâ, vel stabulo datum &c. Causa efficiens delicti est homo delinquens, ex proæresi peccans. Objectum sunt personæ & res, in quantum per delicta violantur. Forma est factum illicitum, h.e. delictum malitiosè perpetratum. Finis est iracundia, vel lucrum, vel cupiditas: quoniam delicta regulariter eo fine perpetrari solent, ut quis vel vindictæ studeat, vel indè quid lucri capiat, aut pravis affectibus suis illicitè satisfaciat. Hic notanda est differentia inter contractus & delicta. In contractibus obligatio ex conventione & consensu contrahentium oritur: ast in delictis ex ipso facto illicito sive maleficio originem trahit *pr. Inst. de oblig. quæ ex delict.* Ob id jura statuunt, quod homo non minus ex delictis commissis, quàm ex contractibus initis obligetur, hinc sicuti quis ex contractu quid debet, ita etiam ex perpetrato delicto; nam qui spontè delinquit, & directò peccare vult, per necessariam consequentiam pœnam tacitè mereri vult, seque propria voluntate pœnæ subdere quasi studet *l. 34. ff. de jur. fisc. l. 8. C. ad L. Jul. Majest.* ut ut delinquentes immediatè puniri nolint, per necessariam tamen consequentiam maluisse intelliguntur, alioquin ab illicitis factis abstinuissent. Ex dictis apertè colligere licet, quod si quis in sphæristerio cum aliis animi recreandi gratia ludendo aliquem pilâ præter intentionem in facie graviter vulneret, aut alicui oculum eruat, inde ludens & vulnerans vulnerato non obligatur: ratio est, quia hoc factum est in loco exercitationi destinato, ubi malitiosus animus abesse præsumitur *l. 11. pr. & l. 52. §. fin. ff. ad L. Aquil.* dum pilam non eo fine per violentum motum reticulo mittit, ut hominem pilâ vulneret; sed ut lusu pilæ corporis exercitium, & animi recreationem habeat; contrarium tamen interdum observatur, si sufficienter probari possit, vulnerantem id dolo fecisse, tunc meritò pro delicti qualitate puniendus est.

Delictum interdum ob diversum delinquentium respectum est diversum: nam in pari delicto vel causa potior est pars possidentis, *c. 65. de R. J. in 6to.* hinc quoties dantis & accipientis turpitudo in negotio versatur, conditio accipientis regulariter melior est. Ergo si juvenis meretrici ducatum pro illicito concubitu dederit, & illa postea desiderio ejus belluino satisfacere recusaverit, ad reddendam pecuniam turpiter acceptam jure non tenetur, *vide t. ff. de condiction.*

ob turpem causam. dignum patella operculum. Optandum foret, omnes puellas sic deludere prurientes adolescentes, utique tot peccata carnis non committerentur, nec tot virgines vitiarentur.

Delictum quales actiones producit? Resp. Ex quolibet delicto duplex actio nascitur; (1) criminalis, & (2) civilis; criminalis ad pœnam publicam reo infligendam, & civilis ad damni præstationem læso solvendam datur *l.23.§.9.ff.ad L. Aquil.*

Delictum sive crimen, quod lege Dei morali est capitale, à Magistratu vel Principe condonari vel mitigari nequit: ratio est, quia Princeps & Magistratus est saltem minister voluntatis Divinæ, non autem dispensator, *Roman. 13.* qui immutabilem Dei voluntatem lege morali declaratam tollere, vel corrigere, aut circa eam dispensare nequit, *Matth. 10. v. 14. Luc. 6. v. 40.* ideò non potest Princeps ex plenitudine potestatis homicidæ (si is dolosè occiderit hominem) pœnam jure remittere: ratio est, quia lex Divina moralis transcendit omnem Principis potestatem, *Lactant. l. 5. de vero cultu.* Absurdum etiam foret, Principem ut inferiorem respectu Dei, velle contra legem Dei ceu supremi Principis aliquid statuere, & delinquenti veniam dare; hinc cum Deus ut supremus legislator statuat, qui sanguinem humanum dolosè profundit, (h. e. hominem malitiosè occidit) ejus sanguis iterùm profundatur *Gen. 9. v. 5. & seq.* Ergo tali homicidæ Princeps contra expressam Dei legem gratiam facere nequit; quod ex *Proverb. 17. v. 15.* magis patet, dum Salamon censet, judicem coram DEO æque esse abominabilem, qui absolvit impium, quàm qui condemnat justum, & *1. Reg. c. 26.* terribili pœnâ punit DEUS Achabum, quia non Benhadabum Syriæ Regem condignâ mortis pœnâ affecit, verba sunt seqq. Quia virum morte dignum dimisisti, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus: ob hanc rationem David jam moriturus filio suo Salamoni mandavit, ut è medio tolleret Joabum ob cædem duorum Ducum, Abneri & Amusæ: Salamon autem, mandatum patris executurus, ita Benajæ præcepit, occide hominem, ne sanguis ejus profusus mihi, domuiquè patris mei imputetur, *1. Reg. 2. v. 31. & seq.* Sic reatus omnem dignitatem excludit, quia nemo punitur secundum gradum dignitatis & nobilitatis; sed quatenus est facinorosus, & pœnæ capitalis reus; nec capitis rei justè vocandi sunt generosi & nobiles, quia eminentem dignitatem capitali delicto pessimè macularunt; idcircò perquam piè dixit Hilarius

rius Pontifex, reatu majori delinquere eum, qui potiori honore perfruitur, & graviora fieri peccatorum vitia sublimitate peccantium. Hic quæritur, an expositio infantum sit delictum capitale? Resp. distinguendo, vel expositio illa infantis mortem infantis conciliat, vel non. Si infans indè moriatur, autor expositionis censetur homicidii reus, & per consequens capitale delictum commisit: ratio est, quia ille, qui occasionem vel causam mortis dedit, ipsam mortem intulisse videtur, *l. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quod si verò infans expositus indè non moriatur, pœna capitalis non habet locum, sed levior exercetur.

Delicta in diversis foris diversimodè æstimantur; nam aliter in foro humano sivè seculari, aliter in foro divino censentur. In illo judicantur omnia juxta effectum & operationem. In hoc scilicet coram DEI tribunali censentur juxta mentem & intentionem hominis, licet effectus non sit subsecutus, *Matth. 5. v. 28.* ut, quicunque aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo, *Rom. 7. v. 7.* ideò in hoc sensu rectè dicitur: concupiscentiam non nossem esse peccatum, nisi lex divina dixisset, non concupisces: vah, quam ponderosum verbum!

Delicti compensatio sub certis limitibus in jure permittitur. Hinc paria delicta mutuâ compensatione tolluntur. Ergò delictum cum delicto, dolus cum dolo compensantur, *l. 13. §. 5. ff. ad L. Aquil.* intellige, si civiliter agatur; non verò, si criminaliter agatur, *l. 39. ff. solut. matrim.* (e. gr. si maritus accusat uxorem adulterii, & illa eum vice versâ lenocinii.) Ratio est, quia in publicis judiciis non privatorum jus, sed publica vindicta ad coërcenda maleficia spectatur: idcircò Magistratus nullâ habitâ ratione compensationis, virum & uxorem adulterii reos ad supplicium rapere, pœnâq; capitis afficere justè potest, (si duplex sit adulterium) ut utrumq; sontem sua maneat pœna, ne delicta dimittantur impunita.

Denominatio in disciplinis locum habet; nam res à digniori sivè potiori regulariter denominatur, *l. 10. ff. de stat. hom.* excipe matrimonium, quod non à patre, ceu digniori, sed à matre denominatur, *§. 1. Inst. de patr. potest.* Quare autem potius ab uxore denominetur, ratio est, quia uxor in matrimonio majora marito sustinet onera; est namq; mater ante partum onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa, *c. 2. X. de convers. fidel.* quæ circa infantum alimenta & educationem maximè occupata est.

Depositum est contractus realis, quo res gratis custodienda datur, ut eadem deponenti juxta libitum ejus in specie restituatur. Depositum est duplex, (1) rei non litigiosæ, quod propriè dicitur depositum, & (2) depositum est rei litigiosæ, quod specialiter, & propriè dicitur sequestrum, *l. 5. §. 1. ff. deposit.* Sequestrum iterum dividitur in voluntarium & necessarium. Illud consensu partium sivè litigantium sequestratur; hoc partibus etiam invitis autoritate Judicis sequestratur, *l. 6 ff. de offic. præsid.* Causa efficiens depositi est contrahentium consensus, *§. 3. Inst. quib. mod. re contrah.* Objectum propriè sunt res mobiles, quæ regulariter deponi solent penes alios fide dignos; attamen & res immobiles deponi possunt, quia & illæ custodiâ opus habent, ne corrumpantur vel negligantur. Hinc dicunt JCti, quod depositio rei sit fidei vel custodiæ alicujus eam commendare. Forma ex definitione patet, & finis est, ut res deposita tamdiù custodiatur, donec eandem deponens repetierit.

Depositi actio hoc privilegium præ reliquis habet, quod depositarius non possit rem depositam regulariter tamdiu retinere, donec ei ob impensas necessarias satis fiat, vel propter debitum compensatio instituatur; sed depositarius tenetur rem depositam deponenti statim juxta ejus libitum reddere, & postea actionem depositi contrariam, vel aliam instituere, *l. 11. C. deposit.* Dantur tamen exceptiones tres vel plures; licet enim sit juris naturalis, deponenti depositum reddere, (ut redde amico, quod ab eo custodiendum accepisti) ratione tamen circumstantiarum interdum non valet, quia datur jus justo melius, e. gr. (1) depositarius non tenetur deponenti postea furioso reddere gladium, ne sibi, vel aliis iniquè noceat; hinc *Cicero lib. 3. offic.* inquit: Si quis gladium apud te sanâ mente deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum sit, non reddere officium. (2) depositarius non obligatur deponenti depositum reddere propter ejus atrox delictum, si deponentis bona confiscantur, quia in tali casu cedunt fisco, cui depositarius plus obligatur, quàm delinquenti, *l. 31. ff. deposit.* (3) si dominus cum fure concurrat in repetendo rem suam, quo casu præfertur dominus, cui res jure naturæ & civili debetur.

Descendentes, (hoc est,) liberi omnibus ascendentibus, (h. e. parentibus) & ex latere cognatis in successione hæreditaria semper præponuntur *Novell. 118. c. 1.* quia illi naturâ & communi parentum voto ad hæreditatem vocantur, exclusis aliis omnibus cognatis & agnatis.

Deus

Deus amplius respicit ad cogitationes & spontaneas voluntates, quàm ad actus, qui per simplicitatem fiunt, quia Deus magis est Inspector cordis, quàm operis, *caus. 15. q. 6. c. 1.*

Dicare rem DEO, quid operatur? Resp. quod semel dicatum est Deo, & divinis ministeriis, ad usus humanos regulariter non est transferendum, *c. 51. de R. J. in 6to.* Circa hanc regulam distinctio observanda est, quod quædam simpliciter & directò DEO dedicatæ sint, ad usum sivè cultum divinum; qualia sunt templa, calices, ornamenta, libri, &c. quædam verò non simpliciter & directò ad cultum divinum, sed ad servitium servientium DEO destinata sunt pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, quæ regulariter bona Ecclesiastica dicuntur: quorum illa planè alienare & oppignorare non licet, hæc verò in casu necessitatis & pietatis: puta ad depellendam famem, redimendos captivos, &c. *l. 21. C. de SS. Eccles.*

Dies in jure dupliciter accipitur. (1) Dies est naturalis, & (2) est civilis sive legalis. Dies naturalis incipit ab ortu solis, & in solis occasu desinit, comprehendens saltem lucem à mane ad vesperam, hoc est, quamdiu sol est super terram. *c. 3. X. de homicid.* Contrarium tempus est nox ab occasu solis ad ortum ejus. Dies civilis sive legalis est tempus, quod fit uno cœli circumactu, quo dies verus & nox continentur, complectens in se 24. horas: talis dies more Romano à media nocte incipit, & subsequente media nocte finitur; *l. 8. ff. de fer.*

Dies in causis favorabilibus & odiosis diversimodè interpretamur: nam ultimus anni dies inchoatus habetur pro completo in re favorabili, & nemini noxia, *l. 5. ff. qui testam. fac. poss.* ast in re odiosa contrarium observatur, v. c. quando agitur de præscriptione actionum temporalium, aut de excludenda restitutione minorum, in iis casibus ultimus anni dies debet esse completus, *l. 3. §. 3. ff. de minorib.* alioquin nihil operatur.

Dies interpellat pro homine, quando nimirum dies contractui, vel obligationi est adjecta, *l. 2. C. de jure emphyt.* nam si promissor eodem die, quo solvere quid promisit, non solverit, moram committit; quòd si verò dies obligationi non sit apposita, sed quis nudè absque determinatione temporis promisit, tunc debitor ante creditoris petitionem non censetur in mora esse: ubi enim absque temporis determinatione nulla est petitio, ibi nulla creditur commissa mora.

Dies

Die solis nihil sibi vindicet scena theatralis, (ubi habentur comoediæ,) aut ferarum lacrumosa spectacula, in quibus dilaniantur feræ, *l. 11. C. de feriis.* quia tertio saltem præcepto, & non reliquis illud, *memento diem Sabbathi sanctifices*, emphaticè adscriptum est; ipse etiam Creator mundi septimo die quievit, & ab operibus cessavit.

Diffamatio est aliquid in detrimentum famæ & existimationis, ut & bonorum alterius malitiosè spargere, ad arrodendam alicujus famam. Indè patet, quod remedium legis diffamari omnibus regulariter competat, qui vel ob crimen, aut famosam causam, vel etiam propter bona controversa diffamantur.

Diffamatus quomodo se contra diffamantem validè defendere debet? Resp. quando injuriatus actionem injuriarum rigorosam contra injuriantem intentare non vult, sed mitiorem sibi viam per beneficium legis diffamari eligit, sic procedere debet: injuriatus sivè diffamatus, tanquam actor, Judici competenti summariam petitionem exhibeat, in qua diffamationem deducat, & à Judice petat, diffamanti, ceu reo, certum terminum ad probandam suam diffamationem præfigi, ut in illo præfixo termino actionem adversus diffamatum instituat, & injurias effusas probet, vel imposterum à diffamatione & injuria sub poena perpetui silentii desistat; si postea diffamans injurias probare nolit, quia forsan defectu probationis non potest, tunc diffamanti ob contumaciam perpetuum silentium imponatur, *l. diffamari 5. C. de ingen. & manumiss.* quamvis nemo regulariter invitus agere cogatur, *l. un. C. ut nemo invitus agat.* Diffamator tamen, si perpetui silentii poenam incurrere nolit, ad agendum cogitur, *d. l. 5. C.* ubi notandum, quod diffamatus propriè non vocetur actor, licet is prior ad judicium provocet; ratio est, quia is non per se, sed per accidens id facit: non eo fine, ut ipse agere velit, sed ut adversarium sive diffamatorem suum ad agendum sub perpetui silentii poenâ astringat. Ergò non provocans, h. e. diffamatus, sed provocatus, sive diffamans hic propriè est actor. Per processum legis diffamari nihil aliud quæritur, quàm ut diffamans in judicio diffamati compareat ad diffamationem demonstrandam. Dann weil diffamat nicht leiden will / daß die grosse diffamation zu verschmertzen/deßfalls imploriret et beneficium l. diffamari C. de ingen. manumiss. und fodert von diffamanten uf die gethane diffamations-Klage gnugsame Antwort / daß er intra certum terminum peremtorium ad agendum ordinario modo astringiret werde

werde/ und alsdenn beweise/ was er diffamato beygemessen: mit dem Anhang und Warnung/ da solches nicht geschehe/ das diffamanti ein ewiges Stillschweigen auferleget werde/ etc. Hic quæritur, an actio ex lege diffamari cum injuriarum actione in judicio cumulari possit? Resp. (1) quod non; ratio est, quia hæ duæ actiones diversos habent fines: nam actio legis diffamari eò tendit, ut diffamanti ad agendum certus constituatur terminus, intra quem actionem contra diffamatum in judicio diffamati instituat, aut si id non fecerit, ei perpetuum silentium imponatur; actio verò injuriarum eò tendit, ut injurians publicè revocet injuriam, aut certam mulctam pro injuria solvat. (2) dicimus, quod per rerum naturam fieri nequeat, ut quis actoris, vel rei personam simul sustineat, sed unâ positâ tollatur altera *l. 124. ff. de V. S.* quòd alioquin per harum actionum cumulum fieret: nam qui in causa injuriarum actor est, is in judicio diffamationis reus est, dum diffamatus diffamantem in judicio provocat, ut sub pœna perpetui silentii contra se agat. Processum tamen diffamatorium judex prius admittere non solet, quàm Judici de diffamatione vel per testes aut documenta probabiliter constat. Ex dictis colligere licet, actionem injuriarum tendere ad pœnam gravem, inurentem corpori vel famæ ignominiam; remedium verò legis diffamari non item; quod propriè non est actio, sed saltem officii Judicis imploratio, quæ diffamantem facit actorem, sivè velit, sivè nolit: per hoc remedium legis diffamari exspirat injuriarum actio, quæ postea contra injuriantem intentari nequit. Remedium legis diffamari requirit duo separata judicia. (1) judicium est diffamationis, & (2) est judicium actionis sivè causæ principalis. In illo diffamatus est actor, in hoc diffamans. Hæc duo judicia diversos habent fines; ratio est, quia judex diffamationis pronunciat tantum respectu termini, intra quem diffamans ceu reus in judicio diffamatorio conventus, postea in ordinario & principali judicio actor esse debeat. Sic jam finitum est judicium diffamationis, & tunc demum incipit judicium actionis, sivè causæ principalis, in quo diffamans debet esse actor, & diffamatus debet esse reus; causa hæc principalis tractatur coram judice diffamati &c.

Dignioribus dignior locus debetur, *l. 5. C. de offic. Rect. provinc.* quoniam rationi naturali conveniens est, ut singularibus animi dotibus, prudentia, eruditione & literatura instructi, præ aliis minùs scientibus honorentur ac iis præferantur, ne virtuosis ac præclaris

viris virtutis & laboris præmium, nimirum honor & dignitas, indignè auferantur.

Dignitas duplicata plùs honoris tribuit, quàm una sola; & multiplicatio titulorum designat præeminentiam meritorum. Ex hoc fundamento Duces, (Hertzoge) Marchiones, Palatini, & Landgravii justè præferuntur Principibus simpliciter talibus. Omnis enim Dux, Marchio, Palatinus, & Landgravius gaudet Principis titulo, ast non contra omnis Princeps gaudet titulo Ducis, Marchionis &c. Hic sciendum, quod hi tituli illustrium dignitatum (Ducum, Marchionum, Landgraviorum, Palatinorum, Comitum, &c.) olim Caroli Magni tempore fuerint nomina officiorum, quæ quovis tempore ab Imperatore liberè revocari poterant; Ideò non erant hereditaria; ast successu temporis dignitates istæ illustres factæ sunt perpetuæ & hæreditariæ, quæ unà cum territoriis ad successores transeunt. Omnes concessas dignitates, earumque titulos quis de se ipso absque nota ambitionis licitè scribere potest: ob eam rationem Comes se Comitem, Baro se Baronem, Doctor se Doctorem, & Magister se Magistrum justissimè vocat; ast si quis se Comitem Baronem, vel Doctorem appellat, nec talis revera est, is incidit in pœnam falsi, & meritò punitur propter dolum, *l. 27. §. 2. ff. ad L. Cornel. de fals.*

Dignitas personæ in delictis non attenditur, sed punitur talis juxta meritum, *l. 1. C. ubi Senat. conven.* Ratio est, quia reatus omnem dignitatem excludit. Ergo nobilis hominem dolosè occidens non ideò mitiùs punitur, quia est nobilis, sed quà homicida capite punitur, ne lex Divina temerè violetur.

Dilatio est protelatio diei, (sivè termini, quo causa controversa tractanda esset) à judice petita & concessa, instrumentorum aut personarum exhibendarum gratia, instruendi judicis & intentionis suæ defendendæ causa. Dilationes in judiciis à litigantibus sæpè petuntur, ac ipsis conceduntur, propter justa impedimenta; judex tamen secundam, vel tertiam dilationem concedere non solet petentibus absque causæ cognitione; utrum dilationem petens, id justè faciat, an dolosè protelet litem; quod si quis quartam dilationem petat, judex petenti eam regulariter concedere non solet, nisi petens juramento confirmaverit, quòd non malitiosè sivè dolosè talem productionem & dilationem petat; quia præsumtio in hoc casu est contra petentem, quod causam controversam protelare velit

ad

ad vexandum adversarium. Cæterùm in causis civilibus regulariter reo una dilatio, & in criminalibus reo tres, & accusatori duæ dilationes concedi solent. *l. fin. ff. de fer.* (intellige, si dilationes à partibus litigantibus petantur) quare plures dilationes reo in criminalibus concedantur; ratio est, quia causæ criminales sunt gravioris momenti; in his enim causis agitur de vitâ, hominisque sanguine, fama, & existimatione: eâ de causa reo plures dantur dilationes, quia ejus causa est favorabilior, *l. 125. ff. de R. J.* cum jura longè proniora debeant esse ad absolvendum, quàm condemnandum; satiusque sit, impunitum in dubio casu dimittere facinus nocentis, quàm innocentem condemnare; ne quis ex suspicionibus injustè condemnetur, *l. 5. pr. ff. de pœn.* Causa finalis dilationis est, ut litigatores idoneum habeant spatium, quo se ad judicium justè præparare & instruere possint. Effectus dilationis concessæ est, quod eò usque faciat conquiescere officium Judicis, donec effluxerit petiti temporis curriculum, *l. 3. C. de dilat.* ideò tàmdiu excusat à mora.

Disciplina in genere est observatio bona, honesta & pia, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, probitatis & pietatis, quâ omnia bono ordine ac methodo accuratè tractantur.

Disciplina sivè censura ecclesiastica est potestas spiritualis, cognoscendi & animadvertendi in transgressores contumaces, malitiosè in delictis perseverantes, propter gravem Ecclesiæ offensionem. Hanc exercent Episcopi, Prælati & Sacerdotes in Clerum & populum; sed pro diverso statu, diversis modis & pœnis; (1) monendo, (2) corripiendo, (3) castigando, (4) excommunicando, (5) deponendo, & (6) degradando. Si peccatum non fuerit grave in doctrina & moribus, tunc primò admonentur vel corripiuntur; tales enim admonitiones & corrrectiones speciem eleëmosinarum in se continent, *distinct. 45. c. 11.* Si verò peccatum fuerit grave, ut homicidium, adulterium &c. tunc Clerici dignitatibus, privilegiis & ordinibus sacris exuti & depositi traduntur Magistratui civili puniendi, *c. 27. X. de verb. signif.* ne delicta maneant impunita. Excommunicatio etiam Clericis & secularibus est communis, estque jure canonico duplex, major & minor: illa est, quâ quis ob atrox crimen commissum à toto corpore Ecclesiæ & communione fidelium planè removetur, *c. 59. X. de verb. signif.* quam ultimò supplicio comparant. Hæc, scil. minor, communionem Sacramen-

torum adimit, non autem totam fidelium communionem, *Matth.* 18. Pœna sivè disciplina illa Ecclesiastica non est simpliciter mortalis, sed medicinalis, *cauf.* 24. *q.* 3. *can.* 37. *in fin.* quâ peccatores ad pœnitentiam commoti, in viam salutis reducuntur. Ab hac disciplina & potestate spirituali nec ipsi Imperatores, Reges & Principes absolutè eximuntur, quia hi non sunt supra Ecclesiam, sed intra Ecclesiam, fatente Hieronymo. Reges tamen & Principes contra Ecclesiæ canones ex imbecillitate vel malitia peccantes, potius privatim sunt monendi, ut peccare desistant, quàm ut publico subditorum opprobrio scandalosè exponantur, & anathemate feriantur; excipe, nisi extrema urserit necessitas, 1. *Samuel.* 15. *v.* 30. ne indè bellum, seditio, hæresis, vel alia mala oriantur. Reges namque & Principes ob nimiam potentiam, quâ pollent, valdè cautè & modestè tractari volunt, ne in offendentes & censores suos cum ingenti impetu periculosè insurgant. S. Ambrosius Imperatorem Theodosium ob delictum exclusit ab Ecclesia, nec eum prius admisit ad sacrorum communionem, quàm ageret pœnitentiam.

Disciplina militaris in republica accuratè observanda est. Nam nullum bellum feliciter geri vel expediri potest absque accurata disciplina militari. Disciplinam castrorum Romani olim tanti æstimarunt, ut eam liberorum suorum caritati prætulerint, *l.* 19. §. 7. *ff. de captiv. & postlim. reverf.* ex ipsis rerum effectibus probè cognoscentes, omnium rerumpublicarum opes, jura & leges, sub bonæ disciplinæ militaris clypeo commodè conservari ac florere. Disciplina hæc militaris in quatuor principaliter consistit, (1) in exercitio militum, (2) in ordine, (3) in coërcitione, & (4) in salario sive stipendio militum. Quòd ad primum attinet, exercitium militum valdè necessarium est, ut milites quotidiè à suis Præfectis & Officialibus accuratè exerceantur: exercitus enim exercitando fit melior, inque armis tractandis promtior; cùm omne artificium per exercitium recipiat incrementum, *l.* 65. §. 3. *ff. de legat.* 3. ipsum etiam exercitûs nomen indicat, quod exercitus exercitando fiat melior, dum Duces & Præfecti militum milites ad arma rectè tractanda quotidiè instruunt. Contrà, exercitio armorum omisso, milites in luxum, commessationem, debachationes, scortationes, duella, &c. incautè prolabuntur. Nulla enim major & perniciosior exercitui est pestis, quàm luxus, otium & securitas, 1. *Reg.* 20. *v.* 11. & 12. quibus malis Hannibalis exercitus olim in Italia miserrimè periit. Alterum

terum disciplinæ militaris requisitum est ordo; sicuti is omnium actionum humanarum anima dicitur, ita belli & armorum est ornamentum, fundamentum & basis, *Receß. Imper. Spir. de anno 1542.* §. und damit in solchen / rc. & §. 37. und damit unter allen Kriegsvolck desto besser Regiment und Ordnung gehalten werden möge / rc. Ipse etiam DEUS populo suo ordinem in bello servandum præscripsit, *Num. c. 1. & seq.* Ordo militaris postulat, ut totus exercitus in legiones, cohortes, centurias, & decurias ritè distinguatur, & quando exercitus in campum, ad exercendum vel pugnandum, à suo Duce educitur, ut quilibet suo adhæreat signo ac agmini, & ut tunc miles à milite æquali spatio distet, nec ultra quàm expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Tertium requisitum disciplinæ militaris consistit in coërcitione militum, quæ ad compescendam militum petulantiam, & ad reprimendas eorum debachationes, direptiones, rapinas, aliamque violentiam tollendam est introducta. Nam in militia, ubi tot reperiuntur indomita animalia, severitate & gravitate opus est Duci, ne ipse se periculis temerè exponat; quoniam militantium nec indignatio, nec lætitia moderata est, ad omnes affectus impetu rapiuntur, vituperant, laudant, misferentur, utcunque præsens eos movet affectio. Eo etiam intuitu contumacia militis adversus Ducem capite punitur, *l. 6. §. 2. ff. de re milit.* ut tantò validiùs petulantia militum coërceatur. Gravissimè etiam punitur perniciosa militum fuga, ne reliqui profugorum exemplo arma quoque contra datam fidem & juramentum malitiosè deserant. Quartum requisitum militaris disciplinæ, puta, stipendium militum non modò ad conservationem exercitûs, verùm etiam ad rebellionem supprimendam, quàm maximè necessarium est: nam qui militibus denegat alimenta & salarium, is illis denegat & vitam, pro cujus conservatione mordicus pugnant. *vid. tit. C. de erogand. milit. annon.* Militia, *inquit Bodinus libr. 5. de republ.* olim apud Romanos fuit fortitudinis, temperantiæ, & prudentiæ schola; hodiè verò latrocinandi ars esse videtur, ubi militum luxus, rapinæ, direptiones, & flagitia in regionibus propriis vel confœderatis impunita sæpè relinquuntur; & ubi milites plùs damni amicis, & confœderatis plerumque inferunt, quàm ipse hostis, &c. Ob accuratam disciplinam militarem maximè laudatur Imperator Aurelianus, Duci suo severè annuncians; si vis tribunus esse, imò si vis vivere, manus militum contine; nemo alie-

ma rapiat, segetem atterat, annonâ suâ miles sit contentus, & de præda hostis, non de lachrymis provincialium vivat. Optandum foret, hanc maximam in præsenti hoc bello Germanico omnium Ducum & Chiliarcharum cordibus esse inscriptam, tunc tot millia rusticorum ad incitas non essent redacti. Cæterùm cum & in hoste laudanda sit virtus, Gallos meritò in calamitoso hoc bello Germanico ob exquisitam & raram disciplinam militarem laudare & admirari cogimur, omnia ad bellum ritè gerendum tempestivo consilio comparantes; quibus matura & tecta sunt consilia, eorundemque prompta executio; nec militibus necessaria vitæ subsidia desunt.

Discipulus diligens per gradus sensim ad majora ascendit; hinc Jus Canonicum dicit: ante debet esse discipulus, quisquis Doctor esse desiderat. *Distinct. 59. c. 4.* ideò à facilioribus & minimis est incipiendum, ut quis gradatim ad majora perveniat; nemo enim repentè fit summus, *c. 14. in fin. de pœnitent. caus. 33. q. 3.*

Dispensatio in causis matrimonii est quædam juris relaxatio & mitigatio, circumstantiis ita suadentibus, ut matrimonium licitè ineant consanguinei, si modo non sint ex linea recta ascendenti vel descendenti; aut si non sint proximi cognati ex linea collaterali, sed remotè saltem cognati. Sic in gradibus jure Divino expressè prohibitis dispensare non licet, ut in linea ascendentium & descendentium, h. e. parentum & liberorum, nec in linea collaterali æquali gradûs primi, ut inter fratres & sorores, & in linea inæquali gradûs secundi, h. e. inter fratrem & sororis filiam: in his enim nuptiarum dispensatio non valet ob arctum sanguinis nexum, *Levit. c. 18. v. 8.* Sed si sint fratrum sororumque liberi, vel eorum nepotes aut remotiores, tunc dispensatio valet. Sic etiam in affinitate gener & socrus, socer & nurus, vitricus & privigna, privignus & matertera mediante dispensatione matrimonio conjungi nequeunt, quod fit ob expressam juris Divini prohibitionem: nam in quo gradu cognationis jure Divino matrimonia specialiter prohibentur, in eodem etiam gradu affinitatis matrimonia sunt prohibita. Hinc sic in thesi licitè asserimus, quod dispensare liceat Magistratui Ecclesiastico contra nudam Juris Civilis & provincialis dispositionem & assertum; ast non contra Jus Divinum: Jus namquè Divinum, naturale & morale cordibus hominum impressum, est immutabile; ob eam rationem contra id ab homine dispensari nequit: indignum enim

foret,

foret, ut creatum Creatoris sui ordinem invertere vellet. Ergò si Mævius ducere vellet sororem, vel sororis filiam, vel amitam, id ei non licet; ratio est, quia hæ conjunctiones jure Divino expressè prohibentur. Quod si verò Mævius cum suâ consobrina nuptias contrahere vellet, dispensatio permittitur; dum id in jure Divino specialiter non sit prohibitum. Cæterùm notandum, quod dispensationes regulariter fiant cum causæ cognitione, & magno consilio, imò cum annexa certæ pecuniæ solutione, quæ Consistorio solvitur.

Distinctiones in jure accuratè sunt observandæ. Sed ubi lex non distinguit, nec nobis regulariter distinguere licet, *l. 8. ff. de public. in rem action.* excipe, nisi conveniens ratio nos honestè ad distinguendum invitet. Ergò licet jus canonicum aleæ lusum simpliciter sub gravissima pœna prohibeat, absque ulla distinctione; attamen me non peccare puto, nec canones sanctos impiè offendere, si hic distinguam inter aleæ lusum, pecuniæ sivè lucri causâ, & eum, qui animi duntaxat recreandi gratiâ, absque nummis, temperanter exercetur. Prior damnatur, & Clericis justè interdicitur, quia est peccatum: juxta expressum DEI præceptum, non concupisces. Alter verò non item, si aleâ temperanter absque ullo lucro & nummis, interdum horis subsicivis tempestivè utantur, quia prohibitionis ratio in sordida lucri cupidine consistens, hîc cessat.

Divortium à diversitate mentium sivè animorum dictum est viri & mulieris disjunctio, animo constituendi perpetuam dissensionem, *l. 3. ff. de divort.* Divortium jure Divino & Canonico permittitur ob adulterium, *Matth. 5. v. 32. causa. 32. q. 5. can. 21.* ratio est, quia adulterium conjugii formam, quæ in fide conjugali & unitate carnis præprimis consistit, impiè dissolvit. Ideò scribit Bellarminus, quod adulterium ipsum conjugii fundamentum tollat, ideò divortia non facilè aut temerè absque prægnanti separationis causa concedenda sunt. Hîc quæritur, an sterilitas uxoris sit causa divortii sufficiens? Resp. negando, alioquin matrimonium sæpè ob unius vel utriusquè conjugis senectutem esset dissolvendum, quod valdè injustum foret. Quod si verò novus maritus impotentiâ laboret, ita ut planè ineptus sit ad coitum, tunc justè dissolvi potest e jusmodi matrimonium, intellige, si iste corporis defectus nuptias præcesserit. Ratio est, quia talis defectum coëundi optimè in se deprehendens, nihilominus se talem dolosè fingere voluit, qui debitum

con-

conjugale præstare valeret, sicque sponsam suam pessimè fallit *l. 7. §. 1. ff. de dolo mal. can. decreta 27. quæst. 2.* ast si talis defectus post nuptias demum supervenerit, matrimonium non dissolvitur; quia conjuges omnem supervenientem calamitatem æquo animo ferre debent.

Doctoralis Dignitas censetur perquam insignis & gloriosa. Cùm Gregorius Fischellus J. U. D. ab Imperatore Sigismundo insignia ordinis equestris consecutus dubitaret; utrùm in antecamera Imperatoris se lateri JCtorum, vel ordinis equestris adjungeret, seque postea equitibus adjunxit; Imperator hoc videns, stultè inquit, quid literis, doctrinæ & doctorali dignitati equestrem præfers? Nobiles enim unâ die mille facere possum; ast mille annis ne quidem unum Doctorem verè facere valeo. Ideò etiam Carolus Quintus in ordinatione politicâ, *sub rubr.* von Doctoren *§.* desgleichen *& Rudolphus Imper. anno 1577.* consensu omnium Statuum imperii concessit Doctoribus Juris (non medicinæ) gestare pretiosiora vestimenta, ornamenta, aureas catenas, annulos, gemmas, aurum, apertam galeam, &c.

Doctores Juris privilegiis Nobilium fruuntur, (1) ab omnibus oneribus personalibus sunt exemti; (2) vestibus pretiosis & sericis, auro, catenis, & gemmis licitè se ornare possunt, sicuti Nobiles *Recess. Imperii de anno 1557. tit. 11. & seq.* quòd validiùs exprimitur *in Recess. Imper. de anno 1500. tit.* Von Uberflüssigkeit der Kleider/ verba sunt hæc: die vom Adel/ so keine Ritter/ noch Doctoren seyn/ sollen kein Gold/ noch Perlen öffentlich tragen, (3) insignia Nobilium (Wapen und Helm) Doctoribus Juris licitè permittuntur. (4) armorum portatio iis concessa est, *arg. l. ult. C. de proposit. sacr. cubic.* Ideò (5) plebeiâ conditione sunt exempti, *Recess. Imperii Coloniensis de anno 1512. §.* item sollen dieselben etc. Nota, inter Doctores juris maximè præeminent Assessores Cameræ Spirensis, Consiliarii Principis, & Professores Juris, qui in Academiis publicè profitentur, qui ob exquisitam eruditionem ac Juris Doctrinam vocari solent viri illustres, quorum scientiâ totus illuminatur mundus. Eo etiam respectu tales juris Doctores, ceu prudentiores & habiliores, præ aliis juris Doctoribus, quamvis Senioribus, promoventur ad Assessoratum in Camerâ Imperiali, prout *ex ordinat. Camer. part. 1. tit. 5 §.* aus denselben *videre licet.*

Doctorum autoritas in causis civilibus decidendis est saltem probabilis; ast autoritas legum est necessaria. Ratio est, quia illa fallere potest, hæc non item. Hinc dicimus: Amicus Plato, Amicus Aristoteles, Amici Bartolus, Baldus & alii JCti, magis tamen est amica veritas. Nam in controversiis civilibus decidendis non autoritas JCtorum, sed rationis momenta sunt attendenda. Ideò sicuti Philosophi sine ratione, ita JCti sine lege loqui erubescant, *Novell. 18. c. 5.*

Doctrina & literæ omnium virtutum fundamenta esse dicuntur; quoniam homines doctrinâ sivè eruditione fideliter imbuti, ut plurimùm redduntur meliores & prudentiores, juxta illud Poëtæ: didicisse fideliter artes, emollit mores: nam quò quis magis quid se deceat, mediante doctrinâ intelligit, eò vehementiùs ipsum neglecti pudet officii, seque in virtutis viam libenter reduci patitur. Hoc etiam innuit Seneca: non aliundè, inquit, animo venit robur, quàm à bonis artibus; undè virtuosis & literatis nominis immortalitas gloriosè acquiritur. Ad hunc scopum collimandum prudenter respexit Historicus R. Sallustius, dum statim in initio libri in sequentia verba erumpit: omnes homines, qui sese student præstare cœteris animalibus, summâ ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quæ natura prona, & ventri obedientia finxit. Sed omnis nostra vis in animo & corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur: alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune est. Quò mihi rectius videtur, ingenii, quàm virium opibus gloriam quærere (h. e. studia liberalia bellicis artibus præferenda sunt) & quoniam vita ipsa, quâ fruimur, brevis est, memoriam nostri quàm maximè longam efficere debemus. Nam divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est; virtus verò clara, æternaque habetur, &c. Ergò meritò virtutem in omnibus ceu scopum nostrum nobis proponere debemus, ut ad eam primariò collimemus. Hinc pulchrum, utile, imo necessarium est homini scire, quid in vita communi sequi, & quid fugere debeat: ast illa sciendi ratio à Doctrina juris & disciplina practica plurimum dependet; ideo illa sedulò excolenda est. Hoc prudentissimè consideraru nt Arabes, eruditione inter gentes olim quàm maximè illustres, dum asserunt: quod vera mundi gloria non in opibus aut prosapia, sed in Doctrina, morumque eleganti principaliter consistat &c. Virtutes etiam morales incrementum suum à Doctrina habent, dum usu & assue-

factione parantur: ideo vocantur *ἤθικοί* à more & consuetudine. Hic tamen probè notandum, quod viro literato magnum quidem sit ornamentum, diversa disciplinarum genera degustasse, ac in omni scibili esse versatum: attamen nihil melius & utilius est homini, quàm si unam artem vel scientiam fideliter intelligat, quæ est de pane lucrando, quàm si de omnibus aliquid confusè, & de nulla scientia quicquam fundamentaliter intelligat. Quò spectat illud vulgatum: Bey vielen Handwercken wird einer zum Bettler / und bey vielen Künsten zum Narren. Wer aber eine recht gelernet hat/ der hat reichlich sein Brod / dum quælibet ars artificem alat. Interim gloriosum est in doctrina & professione sua excellere, & præter eam in aliis scientiis & disciplinis esse versatum &c. Mi fili, inquit Eccle-siast. 6. à juventute tua excipe doctrinam, & usq; ad canos invenies sapientiam, accede ad doctrinam colendam, tunc bonos fructus inde percipies; sicuti is, qui arat & seminat ex suo labore & semine &c. Ad solidam rerum humanarum doctrinam consequendam mirificè juvat ars Typographica anno Christi 1440 à Johanne Guttenbergico Moguntino inventa, hujus beneficio immensus describentium labor in monasteriis & aliis publicis Scholis est sublatus; nam quando opus aliquod magnum benè elaboratum lucem publicam meretur, toties spatio unius anni commodè typis edi potest, quoties ne quidem à centum Scribis in centum annis laboriosè describi posset.

Dolus malus est, quô quis ex proæresi sivè proposito alterum sciens fallit, damnumque eidem dolosè infert, *l. 1. ff. de dolo malo.* vel est machinatio quædam alterius decipiendi causâ, cùm aliud simulatur, aliud agitur *d. l. 1. §. 2.* additur hîc dolo epitheton malus, quia datur etiam in jure civili dolus bonus *l. 1. §. 3. ff. de dolo.* qui dicitur in jure solertia animi, studiumque rei familiaris licitè augendæ, *l. 16. §. 4. ff. de minorib.* regulariter tamen dolus in malam partem accipitur. Ubi sciendum, quod Dolus malus regulariter circa negotium aliquod committatur duobus modis, (1) ante ipsum negotium, vel (2) in ipso negotio. Ante ipsum negotium dolus tunc committitur, siquis machinatione ejus, cum quo ipsi negotium est, ad faciendum vel omittendum aliquid, dolosè inducitur, quod aliàs non esset facturus, aut omissurus, nisi ad id ita fuisset inductus. In ipso negotio dolus committitur; cùm quis in ipso contractu decipitur, *l. pen. C. de judic.* exemplum est in *l. 2. C. de rescindend.*

vendit. Huc spectat distinctio, quod alius dolus sit, qui causam contractui dat, (de quo superius egimus) & alius in contractum incidit, quem contractum dolo circumventus nihilominus quidem erat celebraturus, sed is in negotio conficiendo decipitur, e.g. ut res, ædes, fundus, vel equus pluris vel minoris vendatur *l. 36. ff. de verb. oblig.* Sic dolo & stratagemate contra hostes uti licet ad defensionem patriæ & bonorum; si modò perfidia, ac temeraria violatio datæ fidei, & pactorum sanctè præcaveatur, cùm naturâ æquum sit pacta servari. Hic notandum, quod actio doli non detur dolosè circumvento, nisi duo adsint requisita (1) ut dolo læsus non aliam habeat actionem, quàm hanc, quâ suum consequi potest *l. 1. §. 4. ff. de dolo.* & (2) ut causæ cognitio præcedat, *l. 1 §. 1. ff. d. tit.* ubi Magistratus imploratus inquirere debet, num dolo circumventus graviter sit læsus, ne famosa hæc actio ob quamlibet levem causam temerè admittatur.

Dolus regulariter non præsumitur, ast si quis versetur in actibus vel negotiis illicitis, tunc dolus præsumitur; nam qui rei illicitæ vel prohibitæ operam dat, in manifesto dolo esse præsumitur *l. 2. §. 8. ff. de vi bonor. rapt.*

Dolus suus nemini patrocinari debet, ideò nemo quicquam ex dolo suo lucrari, aut causam suam indè meliorem facere debet, *l. 1. ff. de excep. dol. c. 15. X. de rescrip.* ne decipientibus malitia sua sit lucrosa, & deceptis simplicitas damnosa, *l. 1. pr. ff. de dolo.* sed tales malitiosi ob delictum potiùs pœnam, quàm lucrum merentur, *l. 1. §. 14 ff. de tutor. & rat. distrah.* ob id afferunt jura, quod dolus & perfidia sint infamiæ causa *l. 4. §. fin. ff. de his qui not. infam. & §. 2 Inst. de pœn. temer. litig.* quoniam malitiis non est indulgendum, ne delictis fenestræ aperiantur.

Dolus in omnibus contractibus est præstandus, idcircò non valet conventio, quæ dolum præstandum excludit; dolus enim pacta & contractus reddit irritos, eosque rescindit; *l. 7. §. 7. ff. de pact. & t. t. ff. de dolo.* ob id dicimus, quod dolus in omnibus negotiis semper tacitè exceptus intelligatur, quia consensum excludit in illo negotio, ad quod quis dolo fuit inductus, *l. 7. pr. ff. de dol. c. 2. de pact. in 6to.* Hinc toties actor dicitur dolosè agere, quoties in negotio civili calliditas, fallacia aut machinatio actoris subest, *l. 2. §. 3. ff de dol. mal. excep.* Hîc notandum, quod præstare dolum, culpam, vel casum non eam habeat significationem, acsi quis ea committere de-

 beret,

beret, vel vellet, prout vulgò sinistrè accipitur, sed sensu juridico sivè morali denotat, ut si quis damnum dolo, culpâ, vel casu commiserit, id resarcire teneatur. Cœterum circa dolum & culpam præstandam tres seqq. regulæ sunt observandæ, (1) in quibus contractibus dantis saltem observatur utilitas, in iis accipiens regulariter dolum & latam culpam duntaxat præstat, ut in deposito, *l. 32. ff. deposit.* ratio est, quia gratuitum est accipientis officium, qui depositionem in se gratis suscipit in dantis commodum. Ergò id non debet in ejus damnum vergere, si forsan quid levi culpa committatur; (2) in quibus contractibus accipientis saltem utilitas observatur; in iis regulariter accipiens dolum & omnem culpam etiam levissimam præstare cogitur: ut in commodato §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah*: (3) in quibus contractibus utriusque contrahentis utilitas observatur, in iis præstatur dolus, lata & levis culpa; ut in venditione, locatione, pignore, societate, & dote data, *l. 5. §. 2. ff. commod.*

Domicilium in genere est vel naturale, vel accidentale. Illud est originis, hoc est domicilium habitationis. Domicilium originis (quod dicitur domicilium naturale, quod ipsa natura & nativitas homini tribuit) habet filius ibi, ubi pater tunc temporis habitavit, quo filius ejus natus est; ibi enim censetur filius natus. Ergo rectissimè dicimus secundum jura, si mulier gravida Hamburgi habitans commerciorum exercendorum causa ad nundinas francofurtenses profecta, Francofurti ederet partum; quod is quidem partus nativitate esset Francofurtensis, ast ratione originis esset Hamburgensis, quoad jura civitatis consequenda *l. 3. C. de municip.* Quod domicilium habitationis attinet, definitur sic, quod sit domûs possessio in ea civitate, in qua quis est civis; hinc ibi quis domicilium habere intelligitur, ubi larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, animo ibi permanendi. Hîc probè notandum, quod ad domicilium habitationis duo specialiter requirantur, (1) habitatio, & (2) animus perpetuò permanendi, nisi quid eum avocet *l. 20. ff. ad mun.* Perpetua hæc mansio hic intelligitur in sensu civili ratione intentionis; sufficit enim inhabitantem habuisse saltem intentionem permanendi. Ergo studiosi studiorum causa in academia aliqua diu commorantes domicilium ibi non censentur constituisse, quoniam ibi per aliquot annos non commorantur animo semper permanendi, sed studia sua perficiendi & absolvendi, ut patriæ suæ tandem utiles esse possint. Ast si Studiosus decem annis continuò

in

in eadem academia permaneat, & ibi sibi sedem quæsiverit, domicilii jus ibidem consecutus videtur, *l. 2. C. de incolis, & ubi quis domicilium habere videtur.*

Dominium est jus in re corporali liberè disponendi, (hoc est, utendi, fruendi, alienandi &c. suo arbitratu) quando res alicujus propria est; is enim censetur dominus, cujus res propria est facta, *l. 9. §. 3. & seqq. ff. de acquir. rer. domin.* quoniam essentiales dominii qualitates consistunt in libera potestate de re illa disponendi, illâ utendi, vel alteri usum ejus concedendi. Hinc domino regulariter competit potestas vindicandi rem suam, quando alius rem ipsius detinet. Ex hac definitione constat, rerum incorporalium nullum esse dominium propriè dictum; nam dominium ex naturali possessione originem trahit, *l. 1. §. 1. ff. de acquir. possess.* possessio autem naturalem exigit apprehensionem, *l. 43. ff. de acquir. rer. domin.* hæc naturalis apprehensio in res incorporales cadere nequit, dum reverà non existunt. Dominium hoc generaliter consideratum est duplex, (1) verum sive plenum, & (2) minus plenum. Verum sive plenum dominium est, quando proprietas cum usufructu est conjuncta, & ad dominum pertinet tàm rei proprietas, quàm ususfructus. Minus plenum dominium est, quando proprietas ab usufructu est separata; hoc est, quando dominus tantum habet proprietatem rei absque usufructu, quod vocatur dominium directum, & qui hujus rei habet usumfructum, habet dominium utile, ut vasallus, & emphyteuta. Causa efficiens dominii est jus gentium (per occupationem) vel jus civile, *l. 5. ff. de just. & jur.* Ideò JCtus Nerva *in l. 1. ff. de acquir. possess.* dicit, quod dominium à naturali possessione cœperit; nam antiquissimus acquirendi modus est per occupationem. Materia in qua consistit dominium, sunt res omnes corporales humani Juris, quæ in commercium cadunt; sic excipiuntur res Sacræ, Sanctæ, Religiosæ. Finis dominii est, ut constitutâ rerum proprietate sit aliquis litium & controversiarum finis, quia incertitudo dominii, & rerum communio discordias parit, *l. 79. §. 20. ff. de legat. 2.* ut sic quilibet illud, quod suo jure possidet, tutò ac securè possidere, illoque pro arbitrio uti, frui, vel alienare & distrahere possit; cum quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter. Effectus dominii est duplex: (1) Jus reale ipsam rem afficiens, quo quis de re propria pro arbitrio disponere potest, & (2) rei vindicatio, quam dominus contra quemli-

bet instituere potest, ad amissam rei possessionem recuperandam, *l. 23. de R. V.* Datur quoque dominium jurisdictionis, protectionis, & defensionis, Imperatoribus, Regibus & Principibus competens; quod convenientius appellatur imperium, quàm dominium, cum sit à proprietate alienum.

Dominia rerum circa prima mundi tempora vivente adhuc Adamo fuerunt nulla, sed in primævo illo rerum statu omnia erant communia, ac indivisa, velut unum cunctis mortalibus esset patrimonium; quo factum est, ut quisque mortalium omnia, quæ vellet, ad suum privatum usum arripere & transferre posset. Ut autem homines jus suum in res creatas per se communes pro arbitrio exercere, iisque singulariter ad libitum uti possent, apprehensione & occupatione singulari erat opus; quæ occupatio tunc temporis ita erat comparata, ut quilibet rem quamlibet ad suum saltem temporaneum usum adhiberet, nullâ indè sibi acquisitâ proprietate: hinc eo ipso momento, quo quis olim re possessâ non amplius utebatur, res cessante usu in communionem revertebatur; cum inter prima justitiæ munera sit, inquit Cicero, rebus communibus pro communibus uti, & non pro privatis: Verum quia communio multiplicato humano genere, & accrescente hominum malitiâ, varias discordias, periculosas ac infinitas lites, vulnera, cædes, &c. mortalibus excitabat, dum potentiores prohiberent imbecilliores à plurimarum rerum communium usu & fructu, & dum ignavi alieno labore nutriri vellent, nec homines contenti sponte natis vesci, in antris habitare, corpore nudo agere, aut ferarum pellibus in vestitu acquiescere; ideò mortales sivè gentes per ratiocinationem ex evidentibus naturæ principiis, & mundanis negotiis prudenter collegerunt, accuratiori industriâ esse opus, quam singuli rebus singulis adhiberent, dividendos esse agros, rerumque possessiones; & per consequens dominia occupantibus esse concedenda, ædificia contra aëris injuriam esse procuranda, urbes & pagos exstruendos, & regna condenda, *l. 5. ff. de just. & jur.* quod fit tam ob pacem & tranquillitatem in republica vel communi societate conservandam, quàm ad meliorem rerum administrationem, & accuratiorem curam & culturam. Verùm quia non omnes omninò res à mortalibus tunc temporis commodè dividi poterant, nec divisio illa absoluta generi humano utilis erat; ideò quædam res manserunt in primævo suo statu communes, ut aër, aqua profluens, mare, & littora maris,

maris, quarum usus omnibus est communis, &c. Jure gentium varii sunt rerum acquirendarum modi, ut occupatio, accessio, traditio, inventio rerum; fœtura animalium, &c. *de quibus in Commentario meo ad prima juris fundamenta, tit. Inst. de rerum divis. specialiter egi.* Hîc occasionaliter quæritur, quia Imperator dicitur in jure mundi Dominus, num ergò sit omnium rerum in suo imperio existentium Dominus? Resp. distinguendo inter Dominium propriè & absolutè sic dictum, & inter dominium latè sivè impropriè tale, h. e. dominium jurisdictionis eminentioris; non illud, sed hoc Imperatori quà Capiti & Domino competit. Quod autem prius absolutum omnium rerum dominium Imperatori negetur, fit ob sequentes rationes: quia hoc dominium repugnat omnium rerum divisioni jure gentium factæ: si enim omnia à subditis possessa & laboriosè acquisita Imperatoris verè essent propria, utiq; subditis nihil esset proprii, sed Imperator ut absolutus omnium rerum in orbe Romano existentium Dominus posset in maximum privatorum præjudicium de eorum bonis tanquā suis pro arbitrio liberè disponere, ea alienando, donando, & quovis titulo in alios transferendo, quod contra naturalem æquitatem & boni Imperatoris officium foret: suprema quidem est Imperatoris autoritas, sed intra fines justitiæ conclusa, quod ipse Imperator *in l. 4. C. de legib.* comprobat, digna, inquit, vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, adeò de autoritate juris nostra dependet autoritas, & reverà majus est imperio submittere legibus Principatum, &c. Ob id dicit *Gail. 2. observat. 56.* quod Imperator privatorum nemini sine justa & prægnanti causa dominium rei suæ regulariter auferre queat, intellige, de jure, aliud de facto ob potentiam statuitur &c. Quod autem Imperatori dominium improprium, h. e. jurisdictionis supereminentis in suos subditos eorumque bona competat, negari nequit; quoniam Imperator subditis jus dicit, & eos unà cum illorum bonis contra omnem imminentem vim defendit, gubernat, ac conservat; pro hisce beneficiis & patrocinio obligantur subditi, Imperatori omnem fidelitatem, debitum obsequium, & obedientiam humillimè præstare, tributa solvere, tempore belli milites alere, &c.

Dominium rei suæ quis amittit, quandò possessori possessionem ejus vi absque Magistratus imploratione & auxilio aufert, *l. 7. C. unde vi.* quòd fit in pœnam, quia dominus contra reipublicæ tranquillitatem,

tem, & legum prohibitionem spreto Magistratu sibi ipsi armatus voluit jus dicere.

Dominus quilibet regulariter est rerum suarum moderator, & arbiter, ut de iis pro arbitrio disponere possit, *l. 21. C. mandat.* Hæc regula in sensu morali intelligenda est, quatenus id leges honestè permittunt. Sic pater testamentum condere nequit, ut liberis suis absque justâ & validâ causâ omnia sua bona adimat, *l. 55. ff. de legat. 1.* licet rerum suarum sit Dominus. Sic nec furioso, nec prodigo, nec impuberi ob mentis exilium, vel debile judicium permittitur facultas, res suas pro arbitrio tractandi, vendendi, & alienandi; quia illi negotia humana non intelligunt; Ideô absque curatorum vel tutorum autoritate nihil facere possunt; ne ex stolida quadam liberalitate, aut incautâ administratione ad incitas miserè redigantur.

Dominus ex delicto familiæ suæ regulariter non tenetur, nisi delinquat in officio vel ministerio, cui familiam vel officialem præfecit, & in quo ejus opera familiari utitur, *l. 1. §. 5. ff. de publican. & vectigal.* quoniam delicta familiæ regulariter non præsumuntur voluntate domini facta, nisi alia indicia simul concurrant; ut factum cuiq; suum, & non alteri promiscuè noceat, *l. 155. ff. de R. J.* ne alteri (innocenti) per alterum iniqua conditio afferatur, quod fieret, si dominus ex servorum delictis promiscuè obligaretur.

Domini duo quatenus eandem rem sibi habere, & possidere possunt? Resp. non possunt duo in solidum eodem respectu ejusdem rei esse domini; ast diverso respectu possunt esse domini, ut dominus feudi & vasallus, si unus directum, & alter utile dominium habeat, *l. 5. §. 15. ff. commodat.* aliàs per rerum naturam impossibile est, ut alius eandem rem eodem respectu perfectè possideat, quo ego eam mihi possideo: quis ergò ignorat, si ego proprietatem alicujus fundi pro certo pretio mihi coëmam, quod eundem alius in mei præjudicium sibi acquirere non possit.

Domus tutissimum cuique refugium & receptaculum est, *l. 18. ff. de in jus vocando.* Ideô Cicero in oratione pro domo sua, nihil, inquit, sanctius, aut omni religione munitius esse debet, quàm domus uniuscujusq; civium; idem privilegium extenditur ad hortum, qui ædium est additamentum, *l. 91. §. 5. ff. de legat. 3.* Hinc si quis in suis ædibus (sivè propriis, sivè conductis verberetur, vel violetur, id delictum ob securitatem ædium violatam (da der Haus-Fried gebro-

gebrochen wird) censetur gravius & atrocius, quàm si alibi perpetratum fuisset; quod si armis sit commissum, vis publica; si sine armis, vis privata facta dicitur; hoc delictum pro delicti qualitate pœnâ Judicis arbitrariâ punitur. Hæc regula locum habet in causis civilibus, non autem in causis publicis, puta in criminibus publicis: nam reus criminis publici de domo sua licitè extrahi potest, *Novell. 134. c. 5.*

Donatio est actus liberalitatis, quo donum in alium vel absolutè ex mera donantis liberalitate, vel relativè ob causam in donatarium confertur, nullo jure cogente, *l. 29. ff. de donat.* ratio est, quia nemo in necessitatibus censetur liberalis. Ex hac definitione colligere licet, quod donatio sit vel propria, sivè absoluta, vel impropria, sivè relata, *l. 1. pr. ff. d. t.* Illa ex sola liberalitate proficiscitur, ideò etiam est gratuita. Hæc contra, non ex nuda liberalitate oritur, sed ob aliam causam exercetur. Sic talis donatio impropria sive relata exercetur, vel propter merita præcedentia, vel futura; vel propter mortem futuram, ut donatio mortis, &c. Causa efficiens donationis est benefica & libera donantis voluntas. Materia donationis sunt omnes res in commercio hominum existentes. Ergò hic excluduntur res sacræ, sanctæ & religiosæ. Forma consistit in animo donandi libero, & ut donans det, & donatarius data gratis accipiat. Finis donationis est, ut liberalitas & munificentia exerceatur: eo enim fine donator donatario aliquid donat, ut liberalitatem suam erga donatarium cum laude exerceat, *l. 1. pr. ff. de donat.* Ex dictis videre licet, donationum duo esse genera, (1) mortis causa, & (2) non mortis causa. Illa fit propter mortis aut periculi suspicionem & metum. Hæc fit sine ulla mortis aut periculi cogitatione, quæ inter vivos dicitur, *de quibus in subsequentibus plura.*

Donatio inter virum & uxorem non valet, si sit donatio inter vivos, *l. 2. & seq. ff. de donat. inter vivos.* Et quidem ob sequentes rationes: (1) ne conjuges præ magno amore patrimonium profusâ erga se liberalitate temerè exhauriant, & ad egestatem iniquè perducantur. (2) ne amor honestus, fides, concordia & affectio conjugalis emi videatur, nevè matrimonia videantur venalia, quæ potius debent esse gratuita, quàm precio conciliari; turpe enim est venalem habere concordiam conjugalem, & meretricium est pro usura corporis mercedem accipere, &c. Excipe (1) si uxor marito donaverit pecuniam ad honores & dignitates consequendas, ut

doctoratum, &c. *l. 40. ff. d. t.* tunc valet. (2) quando conjuges sibi invicem quid donant in festo nativitatis Christi, vel aliquid xenii sibi invicem offerunt, *l. 31. §. 8 ff. h. t.* Ex opposito, donationes mortis causa conjugibus invicem sunt concessæ, ut si uxor marito certa bona legaverit, *l. 9. §. ult. & l. 11. ff. ibid.*

Donatio inter vivos regulariter revocari non potest. Excipe duos casus (1) nisi donatarius erga donantem fuerit ingratus, *l. fin. C. de revocand. donat.* ratio donationis revocandæ est, quia, qui liberalitatem alicujus erga se provocavit, si postea existat ingratus, non est dignus, ut donata retineat, postquam liberalitas in eum collata, (quæ potius debebat donatarium ad obsequia grati animi inclinare) eundem ad insolentiam adversus donatorem erexit, *c. fin. X. de donat.* (2) nisi donatori postea nascantur liberi, *l. 8. C. de revocand. donat.* quia voluntas donantis fundata est in defectu liberorum; natis ergò post factam donationem liberis cessat donandi voluntas: præsumitur enim potiùs liberis propriis, quàm aliis favere, suumque proprium sanguinem extraneo anteponere.

Donatio mortis causâ regulariter coram 5. testibus fieri debet, *l. fin. C. de donat. mort. caus.* nisi fiat apud acta in judicio; quo casu testes non sunt necessarii: ratio est, quia superfluum est privatum testimonium, quando publica monumenta sufficiunt, *l. 31. C. de donat.*

Donatio mortis causâ ex pœnitentia revocari potest, *l. 30. ff. de mort. causa donat.* nec valet illa adjectio, se nunquam eam revocare velle, sed irrevocabiliter donationem hanc servaturum; ratio est, quia hæc clausula immutat donationis naturam, ut ex mortis causa donatione fiat donatio inter vivos, *l. 27. ff. ibid.* Ergò tali modo conjuges non possunt invicem facere donationem; ratio est, quia donatio inter vivos conjugibus non est permissa, ne præ magno amore mutuo patrimonium profusâ liberalitate imprudenter exhauriant, seque inopes reddant.

Donatio remuneratoria non est propriè donatio, sed potius permutatio, vel præstiti officii compensatio; estque extra causam donationis, *l. 19. §. 1. ff. de donat.* ratio est, quia donatio propriè est actus, quo donum in alterum ex mera liberalitate confertur, quod ibi simpliciter non fit, sed ob causam.

Donatione propter nuptias maritus compensat dotem, *Novell. 97. c. 1.* eamque sic securam reddit, *l. 29. C. de jur. dot.* si forsan illa post

 mor-

mortem mariti, vel ob cessionem bonorum ab uxore repetenda est; ne uxores maneant indotatæ. Hodiè, proh dolor! auri fames eò redegit mortalium animos, ut in contrahendis nuptiis plus de dote, quàm de moribus nubentium sint solliciti: undè haud raró infelicia conjugia emergere solent.

Dos est pecunia nuptiarum causâ data, sivè est jus universale, marito in rebus dotalibus constante matrimonio pro matrimonii oneribus constitutum. Hic probè notandum, quod dos non ratione objecti, sed effectûs & utilitatis dotis dicatur jus universale. Vox dotis in jure sæpè diversimodè accipitur, ut (1) in concreto pro pecunia vel quacunque re dotali, cum quis dotem dare aut numerare dicitur, *t.t. C. de dote caut. non numer.* (2) sumitur dos in abstracto pro jure, quo res aliqua dotalis est; cum res dotis fieri, vel in dotem dari dicitur, *l. 1. 4. & seqq. C. d. t.* (3) dos interdum denotat jus repetendæ dotis soluto matrimonio, *l. 1. §. 1. & 9. ff. de dot. præleg.* Causa efficiens dotis est ipsum matrimonium & consensus contrahentium; dos enim nunquam sine matrimonio est, *l. 3. ff de jur. dot* Materia dotis sunt omnes res in commercio existentes tàm corporales, quàm incorporales, ut usufructus, nomina &c. tàm res mobiles, quàm immobiles, *l. 30. C. d. t.* Forma est, dos constituitur vel stipulatione vel solo pacto, intuitu matrimonii. Fins est, dos marito ideò datur, ut sublevetur in oneribus matrimonii perferendis, & ut dos apud maritum conjugii causâ maneat, *d. l. 3.* Effectus dotis est, quod is, qui marito dotem promisit, ad eam dandam obligetur, *l. ult C. ad S Ct. Vellej.* ob id marito ex promissione dotis valida conceditur actio: attamen maritus fit saltem dotis dominus secundum quid & non absolutè, *l 9. C. de rei vind.*

Dos in genere est duplex, vel profectitia, vel adventitia. Dos profectitia à patre, vel patris intuitu ad maritum pervenit, *l. 5. pr. & §. 2. ff. de jure dot.* quo sensu dos censetur profectitia, quæ ab avo vel proavo paterno aut cæteris per lineam paternam descendentibus proficiscitur. Dos adventitia est, quæ non à patre, vel linea paterna, sed aliunde descendit, *d. l. 5. §. 11.* Quamvis dos magna novis maritis sit res gratissima & exoptata, (Geld ich hab dich lieb) nulla tamen exoptabilior esse potest, quàm si novam uxorem, virtutis, formæ, nummorum & generis dote simul instructam lætus deprehenderit; sed talem corvo albo comparatam in republica Platonicâ omnibus numeris & virtutibus instructâ invenire semper licet.

Dos an sit de essentia matrimonii? Resp. quod non; ratio est, quia matrimonium sine dote esse potest, *l. 4. pr. C. de donat. ante nupt. l. ult. C. de repud.* nam non est matrimonii substantiale, ut uxor sit dotata; non enim dotibus, sed affectu & amore conjugali matrimonia contrahuntur. Ergò si puella se fingat divitem, cum ne obulum pro dote habeat, sicque alliciat adolescentem ad matrimonium contrahendum, ille id, dolo postea comperto, ideò dissolvere nequit. Ex opposito, dos sine nuptiis esse nequit: ratio est, quia dos nuptiarum causâ est constituta: Ergò ubi non est matrimonium, ibi nec dos, *l. 3. ff. de jur. dot.* Moribus hodiernis inter Reges & Principes receptum est, ut uxoribus pro dotis compensatione dotalitium (germanicè ein Leibgeding) constituant, h. e. ut certa uxoribus suis bona assignent, quorum usumfructum pro honesta sustentatione ad vitæ dies percipiunt.

Dos filiæ à patre danda est, *t. ff. de dote.* Ergò pater dives, ratione officii paterni, jure naturæ & civili obligatur, dotare filiam juxta patrimonii sui facultates, ut filia conditionem honestè nubendi inveniat. Quod si pater exuto quasi naturali erga suum partum affectu filiam dotare nolit, officio judicis ad id cogi potest, *l. 19. ff. de ritu nupt.*

Dos à fructibus dotis est distinguenda. Ideò fructus dotis constante matrimonio percepti non sunt dotis; hoc est, non augent dotem; nec dissoluto matrimonio in restitutionem veniunt ob matrimonii onera, *l. 7. §. 1. ff. de jur. dot.* nimirum propter alimentationem uxoris, liberorum, familiæ &c. quæ omnia maritum gravant; *l. 22. §. 8. ff. solut. matrim.*

Dotales res constante matrimonio per fictionem juris in dominio mariti sunt, *l. 7. §. 3. ff. de jur. dot.* ideò mulier dicitur habere dominium dotis naturale, arg. *l. 3. §. 5. ff. de minor.* & maritus dominium civile, intellige, quoad effectum vindicandi & fruendi dote, quamdiu matrimonium inter conjuges subsistit. Cæteroquin res dotales verè & naturaliter sunt in dominio mulieris, *l. 30. C. de jur. dot.* ob id maritus dotem alienare nequit, etiamsi uxor consentiat, *pr. Inst. quib. aliena. licet.* ratio est, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum iniquè convertatur: dotis tamen actio datur marito ad exigendam dotem; & uxori ad dotem repetendam. Nota, maritus & uxor stante matrimonio habent bona indivisa, ratione possessionis & ususfructûs; sed non ratione proprietatis; cum

dos

dos proprium sit mulieris patrimonium, cujus dominium stante matrimonio quiescere videtur, dum maritus solus de dote disponat, *l. 9. C. de rei vindic.*

Dotalia pacta diligenter sunt observanda, modò non repugnent legibus, vel statutis, *t. ff. de pact. dotal.* Pactis dotalibus conjuges sibi invicem succedunt. Idcircò si conjuges ita inter se convenerint de pactis dotalibus, ut sine liberis superstes conjux præmortuo conjugi succedat, & quidem vel in omnia bona defuncti conjugis (prout ad moris est in Franconia, præsertim si post annum à die nuptiarum moriatur conjux) vel in partem bonorum, vel ut lucretur dotem, vel partem ejus, hoc strictè observandum est. Ex opposito, pacta dotalia ex supervenientia liberorum corruunt; ratio est, quia liberis instinctu naturæ hæreditas parentum debetur, *l. 7. in fin. ff. unde liber.* quam parentes liberis auferre non præsumuntur, cum sit commune parentum votum, ut liberi post eorum fata vivant, inque omnia parentum jura & bona soli plenariè succedant, in quibus parentes etiam post sua fata vivere videntur.

Dotare filiam in fraudem creditorum non est permissum, arg. *l. 10. §. fin. ff. quæ in fraudem credit. fact.* ratio est, quia pater in hoc casu filiæ non de suis bonis, sed de creditorum bonis dare videtur: bona enim cujusque dicuntur, quæ deducto ære alieno supersunt, *l. 39. §. 1. ff. de verb. signif.*

Dotem durante matrimonio uxor regulariter à marito repetere nequit, *l. un. C. si dos constante matrim. sol.* ratio est; quia dos oneribus matrimonii inservit, *l. 20. C. de jur. dot.* Idcircò uxor de dote repetenda nullam actionem stante matrimonio contra maritum validè instituere potest, *l. 2. ff. de dote prælegata.* Ab hac regula datur exceptio: Si maritus durante matrimonio ad inopiam vergat, sivè illud ex mariti delicto, culpâ, vel sine ejus culpa, fortuito casu accidat, *l. 24. ff. solut. matrim.* Ergò confiscatis ob mariti delictum omnibus ejus bonis, uxor nihilominus dotem suam conservat incolumem. Hinc si fiscus omnia mariti bona unà cum dote tanquam caduca propter mariti delictum occupasset, tenetur nihilominùs uxori dotem restituere, *l. 2. C. ne uxor pro marito.* & vide *l. 24. C. de donat. inter vir. & uxor.* quoniam æquitati naturali planè foret contrarium, uxorem ceu insontem ex delicto alterius (scilicet mariti) puniri: cùm pœna debeat suos tenere autores; *l. 22. C. de pœn.* Cæterùm uxor pro dote conservanda statim à die nuptiarum

habet tacitam hypothecam in omnibus mariti bonis, *l. 12. C. qui potior in pignor.* Ideò bonis mariti confiscatis bona cum suo onere transeunt ad fiscum, *l. 7. ff. de dist. pign.* Sic fiscus meritò ad restitutionem dotis tenetur, ne uxor præter meritum dote injustè privetur.

Dubium est, de quo inter prudentes dubitatur *l. 8. ff. de acceptil.* undè jura asserunt, in dubio favorabilior sententia est amplectenda; quoniam benignior interpretatio in dubio est capienda, quæ vitio caret. *l. 96. ff. de R. J.* Ideo verba æquivoca humanius sunt interpretanda, *l. 12. §. 3. ff. de liber. caus.* ne juris rigor æquitati naturali noceat.

Duellum est singulare certamen, Græcè vocatur monomachia. Nemini jure licet ad duellum sivè pugnam singularem provocare inimicum, vindictæ, vel honoris sui defendendi causa, nec provocato licet comparere, ne sint judices in propria causa, & quid temerè faciant ad tranquillitatem è republ. tollendam: nemo enim vel in minima causa controversa sibi debet esse judex, nedum in causa tam ardua & periculosa, quod fieret contra Magistratus autoritatem. Si enim hoc impium vindicandæ injuriæ remedium cuivis permitteretur, quid opus foret magistratu, ad quid latæ essent leges; non eo fine ut homines ad obedientiam obligent, sed ut bruta potius animalia intra virtutis, justitiæ & modestiæ terminos constringerent; sic omnis è repub. tolleretur tranquillitas, omnis moderata & honesta vivendi ratio exularet: ipsa denique pietas & religio cum maxima honestorum virorum offensione planè essent proscriptæ. Ideò duella jure Divino, canonico, jure gentium, & civili severè sunt prohibita, cùm provocans contra DEUM, contra Magistratum, contra proximum & contra se ipsum gravissimè peccet, dum proximum non sicuti se ipsum diligit, ad quod jure Divino obligatur, *Matth. 22. v. 36.* sed contra dilectionem proximi eundem è medio violenter tollere tentat: sic contra quintum præceptum expressè peccat, non occides, nec vindictam exercebis; nam vindicta DEO committenda est. Debemus aliis peccata in nos commissa dimittere, si pater cœlestis nobis peccata nostra dimittere debet, *Matth. 18. v. 21.* Quam turpe & damnandum probo & honesto viro censendum sit duellum ob vindictæ studium, ex sequentibus clarè patet. Si in illicito hoc certamine vel provocans, vel provocatus violento gladio vel globulo è medio truculenter rapiatur, æternâ privatur salute; quoniam is non in viis Domini, sed diaboli ambulavit:

vit: si verò adversarium suum juxta perversum suum desiderium violenter prosternat, & occidat, carnifex omnium mortalium vilissimus demto honoris torque eum iterum ense necat non propter heroicam virtutem, sed propter maleficium. En quàm egregiè hoc remedio conservetur honor? Quòd si vero occisor fortuitò post commissum delictum fugâ elapsus, ignominioso cum bonorum amissione mulctetur exilio, nulla ipsi unquam animi quies, qui perpetuum animi tortorem, testem, & judicem malam conscientiam ubique locorum secum miserrimè circumfert, occisum die noctèque præ oculis habendo, ad quemlibet cadentis folii strepitum perpetuò horret, ac tremit; ne ob commissum homicidium capiatur, & capite puniatur &c. Provocatio ad duellum hodiè sic fieri solet. Bist du ein ehrlicher Kerl und kein Schelm/ &c. so komme heraus/ und wehre dich meiner; Si provocatus comparere recusat, jure consvetudinario inter Nobiles, Milites, & Studiosos perperàm recepto pro effœminato, meticuloso, & indigno honestorum virorum conversatione, & compotatione habetur, (er ist nicht werth/ daß er mit einem ehrlichen Kerl aus der Kannen trincke) quod assertum tamen contra omnia jura. Duella imprimis in Gallia glorioso Regis instituto, sub suspendii pœnâ absque ullo personarum respectu severè & piè prohibita sunt, ut tranquillitas regni conservetur. Quod si duella promiscuè forent licita (daß ein jeder sich möchte des Faust-Rechts bedienen) quid de republ. & salute civium futurum? de iis sanè actum foret: in quem usum judicia essent constituta, & Magistratus creati? non ad querelas & injurias civium justè tollendas, non ad damna & mala avertenda, & tranquillitatem in republ. conservandam; Sed saltem, ut honoris causa otiosè adessent. In hisce absurdis defendendis gravissimè erras mi homo, turpi vindictâ ardens, DEUS Magistratui, ceu Vicario suo non frustra dedit gladiũ, sed ad tuendam justitiam, puniendos pro modo delicti sontes, & ad suum cuique tribuendum ac conservandum. Unde apertè vides, quomodo Diabolus suis fraudibus honoris cupidos à verâ salutis æternæ viâ miserè abducere conetur. Ideò perquam piè admonentur Christiani, quòd in caduca ac fragili hac vita debeant calumnias & injurias, si non sint nimium atroces, æquo animo pati, ut in futura vita à gravissimis malis & cruciatibus perpetuis liberentur: nam qui tàm parum hic pati non valet, quomodo is æterna tormenta olim sustinere poterit; si modò modica passio hominem

hic

hic in vita tàm impatientem efficit, quid gehenna & æterna passio post hanc fragilem vitam condemnatis faciet, &c. Quod si verò quis in via, vel alibi hostiliter aliquem adoriatur, vim vi propulsare quovis modo licet, etiamsi adversarium pro defensione vitæ propriæ occidat: quod enim quis ob justam corporis sui defensionem facit adhibito moderamine inculpatæ tutelæ, id justè fecisse dicitur, *l. 3. ff. de just. & jur.* Hodiè jus militare (Germanicè das Faust- und Kolben-Recht) moribus & constitutionibus Imperii ac Principum salubriter sublatum est, quod olim infinitas turbas in Germania conciliavit. Utinam duellorum patroni probè considerarent canonem *3. distinct. 47.* sine dubio meum assertum magis in sui conversionem ponderarent, neglecto duello & vindictæ studio: omnes, inquit, hujus seculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, & in cœlestibus debiles; nam pro temporali gloriâ usque ad mortem desudare appetunt, & pro gloria perpetuâ ne parum quidem in labore subsistunt: pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, & pro cœlesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant. Terreno Judici vel toto die assistere fortes sunt; in oratione verò coram domino vel unius horæ momento lassantur; sæpè nuditatem, dejectionem, famem pro acquirendis divitiis atque honoribus tolerant, superna autem laboriosè quærere tantò magis dissimulant, quantò ea retribui tardius putant. Ex dictis sufficienter colligere licet, quid de quorundam nobilium & militum impiis assertis judicandum sit, si illi ad duellum provocarentur, se velle provocanti ad pugnam comparere, spretis Imperatorum legibus, ac Sacerdotum omnium monitis, etiamsi sibi cum anima & corpore ad gehennam descendendum esset; ne famæ suæ ac familiæ in hoc mundo maculam aspergerent: sic momentaneum mundi respectum æterno gaudio impiè præferunt; O perversum hominum judicium! perpetuo cruciatu luendum.

Duo hominibus sunt maximè necessaria, (1) conscientia quoad nos, & (2) fama quoad alios, ut alii de nobis benè sentiant & loquantur: qui enim conscientiæ suæ fidens, negligit famam, crudelis est in se ipsum, *caus. 12. q. 1. c. 10.* Ergò non tantùm conscientiam quilibet conservare debet illæsam, sed &, quô pactô famam apud viros probos immaculatam perpetuò conservet, probè attendat.

EBrietas est magnum & periculosum vitium, plurimos homines incitatis quasi calcaribus miserè ad gehennam ducens. Ex jucundo

cundo & detestando ebrietatis vitio profluit, quod servitus hodiè non esset, nisi ebrietas fuisset, prout videre est ex *distinct. 35. c. 8. & c. 9. v. 25. Geneseos* de Noa, qui maledixit filio suo Cham, videnti ebrii parentis pudenda. In principio generis humani ignorabatur ebrietas. Noa primùm vineam plantavit, qui dedit naturam, sed ignoravit potentiam; ideò nec vinum suo pepercit autori, *d. distinct. 35. c. 8.* Eo etiam fine Jus Canonicum optimè monet omnes Clericos, ut vini abusum diligenter praecaveant, ne peccatis in propriam perditionem quasi fenestras spontè aperiant: quoniam ebrietas mentis inducit exilium, & libidinis provocat incentivum. Eo respectu nemo jure debet alios ad aequales potus sivè haustus obligare, *c. 14. X. de vita & honestate Clericorum.* Hoc ebrietatis crimine nullum est majus, ex quo, ceu ex fonte reliqua vitia & delicta scaturiunt, ut scortatio, adulterium, sodomia, homicidia, perjuria &c. ob id ebrietatem vocat Jus Canonicum omnium vitiorum fomitem, & nutricem, *d. distinct. 35. can. fin.* Hinc fit, ut, quae delicta homines sobrii praecavere solent, per ebrietatem ignorantes saepè committant; *caus. 15. q. 1. can. 16.* nec mirum, quia venter mero aestuans, facilè despumat in libidinem; ubi enim ebrietas, ibi libido & furor dominantur; *d. distinct. 35. c. 5.* Ideò Seneca, *libr. 12. epist. 1.* ebrietatem vocat voluntariam quandam insaniam, per quam, prôh dolor! Diabolus mille fraudum artifex facillimo negotio ab hominibus consequitur, quae aliàs à sobriis impetrare nequit, *Genes. 19. v. 32. & seqq.* Hinc clarum exemplum habemus in Loth, viro pietati deditissimo, quem diabolus saepissimè tentavit, ut ex tribus peccatis propositis sibi eligeret minimum, (1) ut se semel saltem inebriaret; vel (2) ut cum vicini uxore adulterium committeret; vel (3) ut vicinum suum interficeret. Tandem à Diaboli persvasionibus victus imprudenter consensit in ebrietatem, quam ex tribus istis peccatis censebat minimum; sed commisso primo, nim. ebrietatis peccato, reliqua duo insuper, puta, adulterium & homicidium impiè commisit. En delictorum cumulum ex ebrietate, ceu fonte, propullulantem! sed vix aliter fieri potest; quia ebrietas hominis judicium pervertit, ex sano insanum, ex infante disertum, ex sene puerum, & ex sapiente stultum facit: quamvis ebrietatis amantes omnes hos gravissimos moralitatis excessus quasi manu palpent, nihilominus in hoc mortali peccato mordicùs in sui damnationem impiè perseverant. O miseram humanam coecitatem! quâ

mortales divinam iram in se miserè excitant, seque divinâ gratiâ temerè privant, quod ex subsequentibus allegatis scripturæ sacræ locis oculariter patet: nam ebrietas iram DEI provocat, *Esai c.5. v.11.* & *seq.* (Væ inquit, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, *Esai. d. c. 5. v. 22.*) Mentem alienat, *Eccl. 19. v.2.* Libidinem inflammat, *Salom. Proverb. 23. v.29.* &c. Quàm horridè ebrietatem, ejusque excessus describant Recessus Imperii *sub titulo* Von Gottes-Lästern §. des gleichen. Wie wol das Zutrincken §. zu Cöllen. *de anno 1512.* verbis vix exprimi potest. Non satis mirari possum, quare antiqui Romani Legislatores adulteria per legem Juliam, ultore ferro severissimè, & ebrietatem nullâ vindictâ prosequi voluerunt; Lex (inquit Poëta) posita est Veneri Julia, nulla mero, nisi ebrietatis vitium falsò putaverint hominibus esse inevitabile, quod nullis legibus, nullisque pœnis coërceri posset. Quidam sobrius & probus JCtus gulæ modum præscripturus, inter tria pocula sobriè & prudenter distinguere voluit; ut (1) inter poculum necessitatis, (2) hilaritatis, & (3) abundantiæ. Duo priora, ceu maximè licita, & honesta mecum approbavit; sed tertium, abundantiæ poculum, ut illicitum & minus honestum mecum meritò damnavit: partim ob id, ne hominis sanitas, ob nimium vini usum, datâ operâ pessimè corrumpatur; partim ut excessus varii, & varia peccata prudenter evitentur. Ex opposito, quantum possit, ac valeat sobrietas, nobis dexterrimè exponit S. Augustinus: sobrietas, inquit, est recti judicii & memoriæ conservatrix, secretorum custos, ingenii Magistra, & lectionis atque doctrinæ nutrix. Ipsa bruta animantia, rationis expertia, sobriè vivunt, quæ ultra naturæ desiderium ut bibant, vel comedant, ne quidem verberibus adigi possunt; & homo ratione præditus studio in ebrietatis vitium adeò pronus est, ut indè non prius desistat, quàm vel ejus sanitas planè si corrupta, vel vita opinione citius extinguatur. Ex hoc absurdo & impio principio profluit, quod quidam potatores in conviviis vel aliis congressibus, ad alios inebriandos, & ad æquales haustus provocandos, hoc utantur stratagemate, ut magnum poculum, in sanitatem alicujus Principis vel amici sobriis propinent, ad quod funditùs evacuandum, omnes sub læsione amicitiæ obligare, imò interdùm cogere conantur. Si verò unus vel alter sobrietatis amans id honestè recusaverit, illi ut plurimùm rigidè respondere solent. Du solt mir bescheid thun / oder dich

dich mit mir schlagen; meinest du/ daß ich meinen Magen mehr/ als du deinen/ gestohlen hast. Tales morosos & strenuos potatores aptè refutat Oënus.

Quò tibi potarum plùs est in ventre salutum,
Hoc minùs è potis hisce salutis habes.
Una salus sanis nullam potare salutem,
Non est in potâ vera salute salus.

Theologus Busenbaum constanter mecum asserit, peccatum esse mortale, alium inebriare velle, vel alium provocare ad æquales magnos haustus, sub intentione inebriandi. Cæterum distinguendum est inter ebrietatem & ebriositatem: illa semel, vel aliquandò datâ occasione fieri solet: hæc verò sæpissimè ex habitu vitioso oritur, estque semper vitium & peccatum mortale. Illa scilicet ebrietas tunc demum est peccatum, si quis ex proposito & datâ opera ad alienationem mentis inebrietur; non autem si casu quodam præter spem ignorata vi vini deceptus inebrietur; quo casu est peccatum veniale: peccata enim, quæ ex ignorantia vel infirmitate humanâ committuntur, facilè dimittuntur, *distinct. 25. c. 3.* Hîc in solatium valdè sitientium tandem anxiè quæritur, an non moraliter bonum sit, multum vini bibere, eoque tristem ac debilem suam animam reficere ac recreare; quoniam anima humana est spiritus in sicco non habitans; exsiccato enim humido radicali anima à corpore discedit. Resp. quamvis potus ad conservandum corpus & humidum radicale requiratur, inde tamen non sequitur, immoderatè esse bibendum; sed modus in potu temperanter est servandus, ne quis nimio vini vel cerevisiæ potu corrumpat sanitatem, seque ratione indignè privet &c. Gulæ nimium indulgentes miro, sed inani carmine sibi blandiri solent, ut. Ey du lieber Wein wie schmeckest du mir so fein/ du kitzeist mir auf der Zunge/ und kühlest mir meine Lunge/ du bist kalt/ und ich bin alt/ ey so wisch hinein daß es Gott walt.

Ebrius hominem occidens ab ordinaria pœna, scil. gladii, est immunis, si summè fuit ebrius; quia talis usque ad alienationem mentis poculis obrutus nescit, quid agat, in quo nullus est dolus, qui ob mentis exilium furioso comparatur, cui nulla est voluntas, & nullus intellectus, *l 40. ff. de R. J.* Ergò nec velle, nec consentire, nec ex proæresi agere censetur. *c. 14. X. de vita & honestate clericorum.* Eam ob causam dicit Seneca: ebrietas est voluntaria insania, in quâ nec

ratio, nec memoria, nec ullum ferè vitæ rectè gubernandæ consilium reperitur. Quò respexit Imperator, dum in *l. 11. §. 2. ff. de pœn.* ebrius, inquit, non ex proposito, sed impetu delinquit, ideò talis non ut sobrius ex proæresi & de industria delinquens condemnatur; sed ob intercedentem ebrietatem mitiùs punitur pœnâ arbitraria; quoniam culpam saltem latam commisisse dicitur, qui ebrietatem præcavere non studet, dum rei illicitæ, h. e. ebrietati dat operam; cùm quilibet scire debeat, ebrietatem esse vitium, & quod per eam aliquid illiciti perpetrari possit. Quòd si verò delinquens saltem modicè fuerit ebrius, ut is nec rationis usu, nec integritate sensuum fuerit privatus, pœna ordinaria habet locum: Ratio est, quia leviter ebrii parùm à sobriis discrepant. Signa summæ vel plenæ ebrietatis sunt, (1) si ebrius distinctè loqui non possit, (2) si non meminerit dictorum & factorum, & quomodo, vel quando domum sit deductus, (3) si commiserit ea, quæ nunquam aliàs sobrius facere solet, e. gr. turpia loquendo, blasphemando, vociferando, turbando domum, vel uxorem aut familiam injustè verberando. Hinc si summè ebrius virgini promiserit matrimonium, hoc eum non obligat, nisi id postea spontè habuerit ratum; quia vi vini, cerevisiæ, vel vini adusti, sanâ ratione in tantum privatur, ut rectè ratiocinari non possit. Hinc si in ullo negotio humano præsentia animi requiritur, utique in matrimonio desideratur, quod absque vero & pleno utriusque contrahentis consensu non rectè contrahitur.

Ecclesia res sacras regulariter alienare prohibetur, quod fit ob favorem religionis & piarum causarum. Datur tamen triplex exceptio à regula: (1) Si Ecclesia ære alieno sive debito prægravata est, quia sic favendum est religioni, ut tamen cuique suum justè tribuatur, *Novel. 46.* (2) est causa redemtionis captivorum; quoniam pium est, ut Ecclesia vasa vel vestimenta vendat ad captivos à Turcis & Tartaris redimendos, *l. 21. C. de S. Sanctis. Eccles.* Quò piè respiciunt canones, dum asserunt, aurum habet Ecclesia, non ut servet, sed ut eroget, & serviat in necessitatibus, *caus. 12. q. 2. can. 70.* (3) ob urgentem famem alienare licet res sacras, ut sustententur pauperes, *d. l. 21.* In hisce licitis alienationis casibus sic procedendum, ut res sacræ & ecclesiasticæ non promiscuè vendantur, sed primò vasa superflua, & minùs necessaria, (si pecunia non sit in promptu) & res mobiles: his non sufficientibus, res immobiles vendantur, *No-*

vell.

vell. 120. c. 10. Dantur tamen res quædam sacræ, quæ nullo planè modo alienari possunt, ut templa, monasteria, & prædia, quæ hac lege data sunt, ne unquam alienentur, & bona, quæ ab Imperatore Ecclesiæ data sunt. *d. Novell. 120.*

Edere in jure denotat copiam describendi acta permittere adversario autoritate judicis: ideo tenetur actor reo tria edere (1) actionem sivè libellum actionis, (2) instrumenta sive documenta, & (3) rationes, ut eas reus legere & describere possit pro sua informatione; sicque secum deliberare, num sibi consultius sit, adversario cedere, vel cum eodem contendere. *l. 1. pr. ff. de edend.* Ex opposito, reus regulariter non cogitur instrumenta vel rationes suas adversario edere. *l. 7. C. de testib.* ratio est, quia non obligatur, actori subministrare propria arma ad se jugulandum.

Editio actionis est futuræ litis designatio sivè expressio Judici facta, dum actor querelam suam Judici pro tribunali sedenti exponit cum narratione controversiæ, de qua contra adversarium suum est acturus, ut sibi contra reum citatio & processus necessarius decernatur: petitio hæc solet fieri duplici modo; vel (1) per libellum supplicem, qui ex eo appellatur supplicatio pro decernenda citatione & toto processu, quod eam petat præviâ controversiæ summaria relatione, vel (2) eo omisso per libellum, quo ipsa actio protinus deducitur, qui libellus actionis & meritorum dicitur. Supplex hic libellus ita concipi debet, ut ex ejus visceribus libellus actionis formetur.

Electores ab eligendo dicti numero sunt octo, ut tres Ecclesiastici, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis; & 5. Seculares ut (1) Rex Bohemiæ, (2) Dux Bavariæ, (3) Dux Saxoniæ, (4) Marchio Brandeburgensis, & (5) Palatinus-Rheni. Hi octo eâ pollent potestate, ut mortuô Imperatore alium Imperatorem ex suo ordine eligere possint, *Aur. Bulla tit. 4. §. 5.* Electores congregati ad eligendum Imperatorem in templo jurare coguntur, se secundum omnem animi discretionem & intellectum suum, DEO autore & adjutore, temporale caput, (puta Cæsarem) populo Christiano designaturos & electuros maximè idoneum, absque omni pretio, gratiâ, promissis, amicitiâ, vel quovis alio titulo, quod tactis SacroSancti Evangelii libris, juramento per DEUM confirmant. *Aur. Bulla rubr.* von Wohl eines Römischen Königs. *§. 2.* Ideò etiam Electores vocantur Principales Imperii columnæ; *Aur. Bull. c. 3.* Hic notandum, quòd Rex Bohemiæ, ceu primarius Elector Secu-

laris, extra Imperatoris eligendi casum regulariter ad Comitia neque ipse quà Elector, neque per legatos comparere soleat, quia is ab omnibus exactionibus & gravaminibus præ aliis Imperii Statibus est privilegiatus &c. Electores tantæ sunt potestatis & dignitatis, ut crimen læsæ Majestatis in Electores committi possit, si nefario ausu indignè lædantur, *Aur. Bull. tit. 4.* qui etiam Regibus dignitate cōparantur, qui in suis territoriis jura superioritatis habent. Attamen Supremæ Imperatoris jurisdictioni sunt subjecti, cùm ejus sint vasalli & subditi, qui ab Imperatore investituram & possessionem provinciarum suarum petere coguntur, cui etiam juramentum subjectionis die Erb- und Landes-Huldigungs-Pflicht præstare obligantur. Ergò quando dicitur, Electorem vel Principem tantum posse in suis terris & ditionibus, quantum Imperator in toto Imperio, illud non absolutè, sed secundum quid est intelligendum salvâ Majestatis Cæsareæ autoritate, quæ clausula conservat summam Cæsaris Majestatem; Cæsar enim summam habet Majestatem, & Principes sivè Status Imperii subordinatam; illa est independens, hæc verò à Cæsare dependet. Ob eam rationem potest Cæsar in imperio Reges, Principes, Comites, Barones & Nobiles creare, Academias propriâ autoritate erigere, nundinas universales instituere; quod Electores & reliqui Principes in suis territoriis vi propriâ non possunt: aut si Academias vel nundinas universales instituant, faciunt hoc autoritate & consensu Imperatoris.

Electoralis dignitas inseparabiliter adhæret Electoratibus, *Aur. Bull. tit. 20.* ratio est, quia ipsa electio, sivè creatio Electorum, ratione Electoratuum & Ducatuum competit, & quidem tali modo, ut Electoratum reverà non habens, Elector non sit, vel fiat, licet patre Electore natus sit, *Aur. Bull. tit. 7.* Electoratus secularis, ejusque dignitas absque diminutione & divisione ad primogenitum familiæ Electoralis jure successionis semper devolvitur, *tit. 24. ibid.* qui si 18. ætatis annum compleverit, jure sessionis & suffragii in comitiis fruitur. Contrà, Electoratus Ecclesiasticus unà cum dignitate Electorali ad electum Archi-Episcopum statim transit, sivè Moguntinus, sivè Trevirensis, sivè Coloniensis fuerit electus. Hi três Electores Ecclesiastici Archi-Cancellariorum titulis gaudent, e. g. Moguntinus per Germaniam, Trevirensis per Galliam, & Coloniensis per Italiam; Verùm postquam Aquila Imperii tot modis miserè deplu-

deplumari cœpit; Moguntino excepto, reliquis duobus nihil præter nudum Archi-Cancellarii nomen remansit, cum Imperatori in Italia & Gallia nihil amplius regiminis superfit &c. Moguntinus tanquam Decanus Collegii Electoralis dicitur columna Imperii, & os Imperatoris. Electores singuli in coronatione & curia Imperatoris peculiaria sustinent officia: Rex Bohemiæ est Archi-Pincerna, Elector Saxoniæ Archi-Mareschallus, Elector Brandeburgensis Archi-Camerarius, Palatinus Archi-Dapifer, & recens Palatinus Rheni Archi-Thesaurarius.

Emphyteusis (germanicè eine Erbzinß oder Zinßlehn) est contractus consensualis de re immobili (sive prædio) in perpetuum, aut saltem ad tempus longum fruenda, sub lege meliorationis & præstationis canonis annui, quam dominus directus ita regulariter concedere solet domino utili, h. e. emphyteutæ, ut de re emphyteutica pro suo arbitrio ut bonus paterfamilias disponere: illaque frui possit; ita tamen, ut res in emphyteusin data reddatur melior, & modicus canon quotannis domino directo solvatur; quia emphyteusis latinè vocatur melioratio: derivatur ab ἐμφυτεύω, insero, implanto: hinc emphyteumata (h. e. implantationes) per metaphoram dicuntur meliorationes; quia emphyteuta ut bonus paterfamilias emphyteusin plantando, inserendo, colendo, &c. meliorare, & non deteriorare debet. Emphyteusis hæc ab agris incultis originem ducit: quoties enim olim agri inculti colonum non invenirent, tunc ob culturam & sumtus faciendos in perpetuum colonis locari cœperunt pro exigua certa pensione sivè canone annuo solvendo. Emphyteusis est duplex, (1) civilis, & (2) ecclesiastica: utraque regulariter in perpetuum est constituta; Emphyteusis civilis ad quoscunque hæredes sivè suos, sivè extraneos transit: Emphyteusis verò Ecclesiastica ad solos descendentes, ut filios, nepotes, pronepotes transit, *Novell.* 120. Emphyteusis etiam interdum ad certum tempus (sed diuturnum) constituitur, quod tamen est irregulare. Emphyteuta singulis annis canonem solvere obligatur: quod si verò emphyteuta civilis canonem solvere cesset per integrum triennium, justè privatur emphyteusi, *l. 2. de jure emphyteut.* ast si emphyteuta Ecclesiasticus canonem per biennium solvere neglexerit, amittit jus suum, *caus. 10. q. 2. can. 2. in medio.* Civilis emphyteusis essentialiter non requirit scripturam; ex opposito emphyteusis ecclesiastica scripturam pro essentia negotii requirit: ratio est, quia

Episcopus vel Prælatus nemini poteſt bona in emphyteuſin concedere, absque ſubſcriptione Clericorum vel Capituli, ſine qua emphyteuſis eccleſiaſtica planè cenſetur irrita, *cauſ. 12. q. 2. can. 52.* Quoniam Epiſcopus, Abbas, vel Prælatus eſt ſaltem rerum eccleſiaſticarum adminiſtrator, non dominus, ut eas, invitis ſuis religioſis vel Canonicis, alienare vel deteriorare poſſit; ideò in emphyteuſi eccleſiaſtica cōcedenda, neceſſariò requiritur Capituli conſenſus, *c. 7. X. de his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu capituli.* Porrò notandum, Emphyteuſis renovatur mutato poſſeſſore, quando mortuo patre filius vel proximus conſanguineus in emphyteuſin ſuccedit, qui quinquageſimam partem juſti pretii in recognitionem directi dominii domino emphyteuſeos ſolvere tenetur, *l. 3. verſ. & ne avaritia. C. de jure èmphyteut.* & hîc in Franconia decimam partem (vulgò das Hand-Lohn) ſolvere cogitur emphyteuta, &c. Emphyteuta etiam obligatur rem emphyteuticam ſemper meliorare: ideò propter abuſum ac deteriorationem rei emphyteuticæ juſtè expelli poteſt, ſi forſan in prædio emphyteutico malè vel diſſolutè verſetur, *Auth. qui rem C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Emphyteuta venditurus emphyteuſin requirere debet conſenſum domini directi, cui intra bimeſtre tempus debetur jus retractus, ſivè jus προτιμήσεως, *l. 3. C. h. t.* poſt elapſum hoc tempus exſpirat hoc jus. Feudum in eo differt ab emphyteuſi, quod feudum gratis & liberè concedatur vaſallo absque canone annuo, ſi vaſallus domino ſaltem ſervitium perſonale fideliter præſtet. Hic accuratè obſervandum, quod in emphyteuſi canon annuus non præſtetur ob rei conceſſæ uſum & in compenſationem fructuum, ſicuti in locatione; ſed ſaltem in recognitionem dominii, *l. 3. C. de jur. emph.* ratio eſt, quia fructus & commoda canonem annuum in emphyteuſi longè exſuperant.

Emphyteuta (germanicè ein Erb-Zinßmann oder Gültbauer) & vaſallus non ſunt veri domini bonorum emphyteuticorum & feudalium, ſed tantùm analogicè ſunt domini, quia non habent directum, ſed utile duntaxat dominium, *l. 1. §. 1. ff. ſi ager vectig.* reſidente dominio directo penes emphyteuſeos, vel feudi dominum.

Emtio & venditio eſt contractus nominatus, qui ſolo conſenſu, de re certâ, pro certo pretio tradenda, perficitur. Hic accuratè notandum, quod emtio & venditio duplicem habeat perfectionem; prima eſt ratione initi conſenſus, & ſecunda eſt reſpectu pretii ſolvendi, & rei venditæ tradendæ. Ultima hæc perfectio, nimirum rei tradi-

traditio & pretii solutio spectat ad hujus contractus consummationem, &c. Causa efficiens hujus contractus est consensus contrahentium, sine quo nihil agitur. Materia sivè objectum hujus contractus sunt omnes res in commercio existentes, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest. Forma ex definitione patet; consistit enim in consensu emtoris & venditoris, de re certa pro certo pretio tradenda, *pr. Inst. de empt.* Finis est publica utilitas, ut necessariæ res inter homines, ob indigentiam mundanam mediante hoc contractu communicentur, & ut beneficio pecuniæ difficultatibus permutationum subveniatur, (1) effectus est, quod à contractu emptionis perfecto contrahentium nulli, invitâ alterâ parte, postea recedere liceat, *l. 3. ff. d. t.* sed emptor pretium, & venditor mercem tradere tenetur: item (2) ad emptionis & venditionis effectum principaliter refertur, quod omne periculum & casus fortuitus rei emtæ statim post perfectam emtionem ad emptorem spectet, *l. 5. & 8. ff. de pericul. & commod. rei vend.* ratio est, quia ad emtorem statim post initum emtionis contractum (dum de pretio & merce inter se convenerunt contrahentes) omnia commoda rei emtæ spectant; ergò & omnia ejusdem incommoda & pericula ad emtorem referenda sunt, *l. 10. ff. de R. J. & §. 3. Inst. de emt. & vend. l. 8. ff. de pericul. & commod. rei vendit.* Quod si verò in contractu emtionis & venditionis à contrahentibus specialiter definitum est, quod venditor usque ad rei traditionem periculum rei venditæ sustinere debeat, tunc hoc pactum contractui adjectum religiosè servandum est; ratio est, quia pacta contractui adjecta dant legem contractui, *l. 7. §. 5. ff. de pact.* (3) Hic emtionis contractus producit duplicem actionem, prima est actio empti, & altera est actio venditi. Actio empti competit emtori contra venditorem ad rem venditam cum omni emolumento & accessione tradendam, *l. 13. §. 10. ff. de act. empt.* & ut venditor emtori damnum in re vendita dolo, vel culpa ejus illatum resarciat, *d. l. 13. §. 16.* Contrà, actio venditi competit venditori contra emtorem ad consequendum pretium rei venditæ unà cum usuris, *d. l. 13. §. 20.* & ad sumtus in rem venditam utiliter factos refundendos, *l. pen. C. h. t.* Contraria hujus contractus sunt vis, coactio & error, quæ omnia consensum contrahentium planè tollunt. Ob id nemo regulariter ad aliquid emendum vel vendendum cogi debet, *l. 16. C. de jur. delib.* ratio est, quia injuria videtur gravis, ut homines de rebus suis ali-

quid facere cogantur inviti & coacti, *l. 14. C. de contrab. empt.* Excipe, nisi publica salus & utilitas hoc specialiter postulet, *§. ult. Inst. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* Sic ad urbem muniendam tenetur quilibet privatus hortum, vel ædes extra urbem sitas vendere, ne publica & communis civium salus, ob unius vel alterius privati interesse, iniquè negligatur.

Emtor fundi vel ædium regulariter non tenetur stare contractui, inter locatorem & conductorem antea inito; sed rem emptam in præjudicium conductoris potest statim ipse occupare, *l. 9. C. de locat.* Locator tamen obligatur conductori ad interesse, interruptionem rei locatæ non fuisse factam. Quod si verò in venditione intervenerit pactum de non expellendo conductore, aliud est, e. gr. si venditor emtori rem locatam sub hac conditione vendiderit, ut conductori per tempora conductionis re conductâ, (ædibus vel fundo) quietè uti liceat, tunc ante hujus temporis lapsum emptor conductorem justè molestare non potest. Hic porrò nota, venditis ædibus simpliciter omnia intelliguntur vendita, quæ terræ, parietibus, & muris sunt affixa vel instructa: ideò emptori cedunt, quia pars ædium videntur; arg. *l. 36. & 44. ff. de eviction.*

Emptioni & venditioni solent duæ conditiones vel pacta adjici, (1) est addictio in diem, & (2) lex commissoria. Addictio in diem est talis contractus, ubi res vendenda emptori hac conditione traditur, ut si intra certum diem quis meliorem conditionem in vendendo obtulerit, quod liceat venditori rem alii posteriori emptori liberè divendere, vid. *tit. ff. de in diem addict.* Lex commissoria est pactum emptioni venditioni adjectum hac conditione, ut nisi intra certum diem pretium offeratur, res sit inempta, *l. 2. & 4. pr. ff. de leg. commiss.* Ergò si emptor intra definitum tempus pretium non obtulerit, licet venditor emptorem de pretio solvendo non compellaverit, res censetur inempta, & contractus dissolutus, *dict. l. 4.* quia dies in hoc casu interpellat pro homine, *l. 12. C. de contrab. & committ. stipul.*

Episcopus eligendus sit inculpabilis & irreprehensibilis in vita, doctrina, & moribus, juxta sancti Apostoli doctrinam, *Novell. 6. c. 1.* Quò respexit Imperator Justinianus, dum in *l. 31. C. de Episcop. & Cler.* de Episcopis ritè & piè constituendis dicit: Si quenquam ad Episcopatus gradum provehi contigerit, puris hominum mentibus, nudâ electionis conscientiâ, sincero omnium judicio proferatur;

tur; nemo gradum sacerdotii pretii venalitate mercetur; cesset altaribus imminere profanus ardor avaritiæ: non pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Profectò indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus, & qui pecuniam accipit, à gradu sacerdotii retrahatur, & infamis sit. Hinc quod in Magistratibus secularibus pretio aut largitione obtentis propriè dicitur ambitus, vide *t. t. ff. & C. ad L. Juliam de ambit.* hoc in officiis Ecclesiasticis comparandis propriè dicitur Simonia, sive crimen Simoniæ, vide *t. t. X. de Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.* S. Hieronymus de Episcoporum arduo officio perquàm piè loquitur: Mi homo, inquit, si scires, quanta esset unius hominis perditio, non usque adeo properares ad Episcopatum, ubi tot millium animarum cura tibi demandata est, quarum die tandem novissimâ gravissima tibi reddenda est ratio, &c. Tremendum certè effatum, væ ergò Episcopo contra officium temerè peccanti.

Episcopi in Germania Principali dignitate fulgentes duplicem habent Jurisdictionem; (1) Secularem, & (2) Ecclesiasticam: illam cum regalibus habent ab Imperatore jure territorii, ratione bonorum sivè prædiorum, quoniam Imperator Jurisdictionem secularem & regalia Episcopis per investituras non minùs confert, quàm aliis Principibus secularibus, vide *Aur. Bull. c. 26. & Receß. Imperii de anno 500. §.* Darnach wenn die andern Fürsten des Reichs geistlich oder weltlich 2c. Idcircò omnes Principes Ecclesiastici ratione regalium, privilegiorum, & bonorum feudalium Imperatorem agnoscunt Dominum. Hinc fit, ut in causis civilibus ab eorum sententiis regulariter ad Imperatorem vel Cameram Imperialem, & non ad summum Pontificem appelletur. Hanc scil. Ecclesiasticam Jurisdictionem habent à Pontifice Romano ad curam animarum, & Clericos ordinandos ac gubernandos. Sic diverso respectu juxta jus Canonicum & Recessus Imperii considerantur Episcopi. Ergò tanquam Episcopi vocantur ad Synodos & Concilia; & tanquam Principes ad Comitia & Circulares Imperii conventus: ob id non quà personæ ecclesiasticæ, ex mandato Dei, propriè habent territoria & jurisdictionem secularem, sed quà Principes Imperii, quibus amplissima territoria ex liberali & pia Imperatorum, Regum & Principum donatione sunt concessa. Quod de duplici hodiernorum Episcoporum jurisdictione dicitur, idem de Moise dici potest, qui 40. annos populo Israëlitico in deserto præfuit, & utramque

potestatem, puta Secularem & Ecclesiasticam validè exercuit; quæ officiorum diversorum cumulatio nunquam improbanda, quoties gubernatio secularis spiritualem non impedit, sed potius adjuvat. Nota, antiquis temporibus in primitiva Ecclesia Episcopis potestas secularis non erat tributa, quæ primùm Constantini M. Imperatoris donatione Pontifici facta sub initio seculi quarti est fundata, posteà per Carolum Magnum in alios Episcopos translata, quia ille Episcopis amplissima bona, Principumque dignitates ex pio zelo attribuit, quorum opes, autoritas, & potentia successu temporis crevit.

Episcopi & omnes Clerici Jure Canonico regulariter vetantur pœnam sanguinis delinquentibus dictare; prohibentur etiam judicio criminali interesse, *c. 5. X. ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.* ne ipsi videantur contra Statum religiosum sanguinis humani effusione delectari. Ex eodem fundamento Clericis non licet sanguinis vindictam sub gravi pœna exercere; sed hanc curam secularibus committant, *c. 9. X. ibid.* Idcircò ne contra canonum prohibitionem gravissimè peccent Episcopi, solent causas capitales Consiliariis suis secularibus decidendas unicè committere, ad jurisdictiones suas conservandas, ne delicta maneant impunita.

Episcopo moriente Capitulum succedit in administratione & jurisdictione, omnisque potestas Episcopalis recidit in Capitulum, quamdiu alius nondum est electus.

Errantis nullus est consensus, *l. 15. ff. de jurisdict. l. 2. ff. de judic.* ratio est, quia consensum impedit error.

Error & ignorantia in jure plerumque promiscuè accipiuntur, ac idem vitium in specie significant. vid. *t. ff. de jur. & fact. ignor.* Error circa accidentia alicujus rei non facilè vitiat contractum, nisi accidens sit tale, ut in se comprehendat essentialem rei qualitatem, tunc contractum vitiat & dissolvit, & per consequens contrahentem non obligat, e. gr. si juvenis ducturus esset virginem in uxorem, & ille ignoratâ mulieris qualitate duceret meretricem, cui in tali casu non tenetur stare promissis, nisi spontè velit; quoniam contrahentis voluntas nunquam fuit, ducere meretricem in uxorem. Ergò hic est defectus voluntatis, & quidem quoad essentialem matrimonii qualitatem.

Eventus litis est dubius & incertus, *l. 51. ff. de pecul.* quoniam decisio controversiæ non à litigantium arbitrio, sed judicis decisione primariò dependet.

Evictio

Evictio est rei nostræ, vel nobis obligatæ, quam adversarius legitimo titulo sibi acquisivit, per judicem facta ablatio vel abductio, ubi res prævia judicis cognitione & subsecutâ ejus sententia, emptori (vel alii possessori) legitimè aufertur, vel abducitur, *l. 57. ff. de eviction.* Re sic in judicio evictâ datur emptori (vel alii, cui debetur præstatio evictionis) contra venditorem (vel alium primum autorem) actio ex contractu, ad pretium rei solutum restituendum, & ut interesse & impensas in lite factas reddat, quoniam sæpe evenire solet, ut res aliena invito & inscio domino alteri divendatur: ideo in veri domini favorem justè cautum est, ut talem rem venditam verus dominus emptori legitimè evincere possit, & venditor in tali casu de evictione emptori præstanda jure teneatur. Hîc probè notandum, ut emptor, cui res per evictionem judicialiter est ablata, contra venditorem evictionis nomine agere queat, sequentia adsint oportet requisita; (1) ut res per sententiam Judicis in Judicio actualiter sit evicta, & executio facta; nam si res nondum reverà sit evicta, non habet, quòd conqueratur emptor, *l. 16. §. 1. & l. 34. §. 1. ff. d. t.* (2) Ut emptor maturè nunciet venditori sivè autori, sibi dictatum esse judicium ad causam controversam judicialiter examinandam *l. 29. §. fin. ff. h. t.* Quod ideò fit, ut à venditore instrui possit emptor, vel ut ab eodem validè defendatur. (3) Ut emptor in Judicio ita se gerat, ne ei negligentiæ aut culpæ nomine quid imputari possit *l. 55. l. 56. §. 3. ff. & l. 19. C. h. t.* si enim emptor absque judiciali sententia rem spontè adversario tradiderit, vel cesserit, vel transegerit, evictio ei ob propriam culpam non competit, *l. 17. C. h. t.* (4) ut emptor sit in bona fide, nam si emptor sit in mala fide, h. e. jam antea scivit, rem à se emptam esse litigiosam, aut non fuisse venditoris, damnum sibi imputare debet, quod per evictionem deindè patitur, *l. 27. C. h. t.* Cæterum vox evictionis in jure dupliciter accipi solet, (1) respectu emptoris, cui res empta aufertur, quo sensu est ablatio sive revocatio rei emptæ ad instantiam veri domini mediante judicis autoritate facta, & (2) sumitur intuitu actoris, & dicitur rei nostræ, quam adversarius (emptor) legitimo titulo antea acquisivit, per judicem recuperatio. Hinc quoties emptori res emta evincitur, duæ actiones eidem competunt contra venditorem, (1) est ex empto, & (2) ex stipulatione, *l. 27. ff. h. t.* Formula actionis ex stipulatu hæc est; peto Titium mihi ob venditum & evictum fundum ex stipulatu ad duplum vel simplum condemnari.

Formula actionis ex empto est hæc: peto Titium mihi ob venditum & evictum fundum ad restitutionem pretii, expensas, & omne, quod interest, vel (si evictio in limine contractus immineat) ad præstandam cautionem de evictione condemnari: Der Verkauffer soll dem Käuffer die gewehrschafft / und Schadloßhaltung eines verkaufften gutes leisten. De quo latius tractat *Wehnerus observat. pract. verbo* Gewehr.

Evincere est, rem è bonis possessoris per victoriam in judicio obtentam (h. e. per sententiam judicis) legitimè auferre. Evictionis præstatio primariò in emtionis & venditionis contractu circa res emptas regulariter debetur, ut venditor rem venditam ab obligatione & oneribus liberam emptori præstet, *l. 6. C. de evict.* Attamen æquitate suadente evictio ex quolibet contractu, in quo aliquid datur ex causa onerosa, debetur, etiamsi expressè non sit promissa, *l. 11. §. 2. ff. de action. empt.* ratio est, quia venditori convenit, rem venditam accipientis sive emtoris facere, *d. l. 6.* Evictio autem non datur, nisi ubi res per sententiam judicis evicta & ablata fuerit, *l. 3. C. de evict.* quo casu omnis venditor tenetur emptori præstare evictionem, ut emptor maneat indemnis *l. 1. §. 15. ff. d. t.* Hîc probè notandum, venditor emptori evictionem saltem præstat pro oneribus ignotis & occultis, *l. 27. C. de evict.* & quidem de iis, de quibus contrahentes haud cogitarunt, *arg. l. 9. §. 1. & §. fin. ff. de transact.* nam qui scienter emit rem alienam, vel alii obligatam, is adversus venditorem de evictione agere nequit, nec pretium repetere potest, nisi expressè de evictione fuerit stipulatus, *d. l. 29. C.* nec venditor tenetur emptori præstare evictionem, si emptori res empta per violentiam sit ablata: Ratio est, quia venditor non obligatur defendere emptorem de violentia, *l. fin. C. de act. empt.* Für Gewalt ist keiner zu gewehren schuldig. Nec venditor tenetur de casibus fortuitis emptorem facere indemnem, *l. 11. pr. ff. de evict.* Ast quando venditor rem venditam ab obligatione & oneribus liberam emptori præstare nequit, obligatur venditor, rescisso venditionis contractu ad pretii restitutionem, *l. 11. §. fin. ff. de act. empt.*

Exceptio (germanicè ein Schutz-Wehr oder eine Einrede) est actionis exclusio, *l. 2. ff. de except.* quâ oppositâ tanquam armis reus se contra actorem ejusque intentionem defendit; quoniam exceptiones defendendorum reorum gratiâ inventæ sunt, ad elidenda actoris asserta, quæ reus excipiendo vel secundum quid negat, rem ita se non

habere, prout ab actore judici narratur, *pr. Inst. d. t.* Hinc sicuti ipse actor non semper juvatur agendo, h. e. actione intentatâ, quia eam interdum reus exceptione valida & rationali elidit; ita nec reus excipiendo semper juvatur, sed ejus exceptiones interdum ab actore replicando justè eliduntur, *l. 2. §. 2. ff. de except.* imo & replicatio mediante rei duplicatione (ceu alterâ rei exceptione) interdum infirmatur, in quantum duplicatio est justa. Quot autem allegationes litigantibus in judicio ad diluenda adversariorum argumenta sint concedendæ, in jure expressè non est definitum; sed hoc judicis discretioni & conscientiæ committi solet, qui ob varias negotii controversi circumstantias actori & reo interdum plures, interdum pauciores exceptiones eruendæ veritatis gratia concedere solet. Hic probè notandum, quod vocem exceptionis tam latè & generaliter hic accipiamus, ut replicationem, duplicationem, triplicationem & quadruplicationem in se contineat. Causa efficiens exceptionis est naturalis æquitas, quam JCti circa *l. 19 C. de probat.* vocant matrem exceptionum. Ea de causa exceptiones varias introduxit jus Romanum. Materia exceptionum sunt actiones & judicia. Forma exceptionum consistit principaliter in essentiali qualitate, intentatas actiones validè excludendi & elidendi. Finis exceptionum est, ut actionum iniquitas justis & validis exceptionibus corrigatur, ne quis iniquâ actione propositâ injustè condemnetur, sed se exceptionis clypeo contra periculosa actoris tela fortiter defendat.

Exceptiones sunt duplices (1) dilatoriæ sivè temporales, & (2) peremtoriæ sivè perpetuæ. Illæ saltem ad tempus nocent. Hæ verò actionem planè tollunt. Illæ ante litis contestationem opponi debent *l. 13. C. de procurat.* Ast hæ post litem contestatam usque ad sententiam definitivam proponi possunt, *l. 2. C. sententiam rescindi non posse.* Hodie juxta receptam judiciorum praxin peremptoriæ exceptiones statim in ipsa litis contestatione opponuntur, quales sunt seqq. (1) exceptio doli, (2) exceptio metus (3) erroris, (4) jurisjurandi, (5) exceptio minorennitatis, (6) exceptio divisionis, (7) transactionis (8) rei judicatæ, (9) exceptio præscriptionis. Exceptiones dilatoriæ concernunt vel primò personam judicis, ut exceptio fori incompetentis, vel suspecti judicis, aut inhabilitatis, vel (2) personas litigantium, quod sint vel inhabiles ob teneram ætatem, vel infames, vel quod eorum procurator sit inhabilis:

lis: dum literis mandatorialibus non instructus venit, vel (3) circumstantias causarum respiciunt, ut exceptio loci non tuti ob hostes, vel pestem; exceptio feriarum, vel temporis nimis angusti, intra quod ad respondendum comparere non potest; item exceptio spolii, quod actor reum spoliatum ante restituat, quàm ad respondendum compareat.

Excessus omnis in jure & studio morali est vitiosus, quià à virtutis tramite ad vitium fit transitus: hinc quæritur quid sentiendum sit de vulgato hoc proposito, excessum in vita humana fuge, & defectum in actionibus tuis comple, sic eris aptus ad omne (h. e. sic in omnibus virtuosè vives) an ergo excessum & defectum à virtutis medio æqualiter distare putas? Resp. negando, quoniam in omnibus non eadem subest ratio: interdum enim excessus, interdum verò defectus virtuti magis adversatur; hinc longè facilius videtur, invenire punctum physicum, quàm punctum morale. Interim tamen negari nequit, quod magis excessus sit vitandus, quàm defectus; ratio assertionis est, quia excessus plus nocere, & minus corrigi potest, quàm defectus; quò collimat *Cicero de Orator.* suus, inquit, cuique modus est, attamen magis offendit nimium, quàm parum: hinc optimum est, servare modum; ast quia is haud facilè cognosci potest, potius eligere debemus defectum, quàm excessum, secundum communem rationem, quod mediocritas excessum aversetur, & defectum potius amplectatur, modo non multum à virtutis mediocritate turpiter recedat.

Excusatio tutoris ab onere tutelæ est allegatio immunitatis à tutela, quâ quis onus tutelæ vel curæ coram Magistratu justè deprecatur. *pr. Inst. de excusat.* Causæ excusationis à tutela sunt variæ, ut (1) numerus liberorum ex Justis nuptiis procreatorum. (2) tres tutelæ, (3) absentia reipubl. causa. (4) officium Magistratus *§. 3. Inst, h. t.* (5) morbus sonticus; (6) paupertas, (7) ætas vel nimis tenera, vel nimis provecta, Illa est in minori 25. annis; hæc est in majore 70. annis *l. 2. ff. d. t.* Unde liquet, si minor 25, annis in testamento constituatur tutor, ipso jure excusatur ob minorennitatem & ætatis defectum; ideo conditio sequens tacitè intelligitur adscripta, quod tunc constituendus sit tutor, quando major 25. annis fuerit factus; ob eam rationem talis tutela tamdiu est in suspenso *§. furiosus Inst. qui testam. tut. dari pot.* sic septuagesimus ætatis annus à tutela & omnibus muneribus sivè oneribus personalibus justè excusat;

ſat; ratio eſt, quia ſenectus eſt perpetuus & inſanabilis morbus, qui absque aliis ſupervenientibus incommodis per ſe ſatis gravis eſt, quietem exigens, dum talis ſibi ipſi non ſufficiat, quomodo ergo aliis commodè præeſſe, eorumque bona adminiſtrare valet, *l. fin. C. qui ætate ſe excuſ.* Cauſa impulſiva excuſationis eſt æquitas. Objectum eſt tutela & cura. Forma eſt, ut quis ſe intra 50. dies à tempore ſcientiæ computatos apud Magiſtratum publicè excuſet, quæ excuſationes mediante cauſæ cognitione valent, ſi juſtæ ſint. Finis excuſationis eſt, ut tutor liberetur à tutelæ onere, & non cogatur ad idem ſubeundum.

Exhæredare liberos ſine juſta cauſa parentibus non eſt permiſſum, *Novell. 115. c. 3.* quia ratio naturalis, tanquam lex nobiſcum nata, liberis addicit bona parentum, *l. 7. ff. de bon. damnat.* qui etiam vivis parentibus quodammodo domini bonorum paternorum exiſtimantur, *l. 11. ff. de liber. & poſthum.* Quia autem nemini debet jus ſuum quæſitum invito & immerenti ſine prægnanti cauſa auferri, ne quidem à ſummo Principe; ideo parentum hæreditas liberis ſine gravi cauſa auferri nequit, qui regulariter hæreditatem parentum ex voto parentum accipere ſolent, *l. 50. §. 2. ff. de bon. libert.* Ex oppoſito, nec liberis permiſſum eſt, parentes ſine juſta cauſa exheredare, quos ratio miſerationis turbato mortalitatis ordine ad ſucceſſionem admittit, ut inde conſequantur aliquod ſuæ orbitatis ſolatium, *l. 15. pr. ff. de inoffic. teſtam.* Quod autem plures exhæredationis cauſæ in perſona liberorum, quàm parentum in *d. Novell. 115.* recenſeantur; ratio eſt, (1) quia amor magis deſcendit, quàm aſcendit, parentes enim magis amant liberos, eosque lædere haud facilè cupiunt; & (2) quia plura parentibus debent liberi pro onere, cura, alimentis, & educatione, quàm parentes liberis, à quibus regulariter nihil accipiunt, Hic notandum, quando teſtator exhæredare vult filium vel filiam, eosque â ſucceſſione bonorum ſuorum excludere, tunc tria ad exhæredationem requiruntur, (1) ut teſtator exhæredatum nominatim exhæredet, *pr. Inſt. de exhæred. liber.* (2) ut eum ob juſtam & expreſſam aliquam ingratitudinis cauſam in jure definitam exhæredet, & (3) ut hæres in teſtamento inſtitutus poſt teſtatoris mortem, cauſam ipſam exheredationis expreſſam ſpecialiter probet, *Novell. 115. c. 3.* ratio eſt, quia præſumtio pro quolibet eſt, eum eſſe bonum, donec probetur contrarium. Quòd ſi hæres ingratitudinem exhæredati demonſtrare

non possit, tunc exhæredatio perindè habetur, ac si non esset facta, *Auth. non licet C. de liber. præterit. vel exhæred.* ob id exhæredatus in tali casu ad successionem hereditatis admittitur.

Exheredatio est actus, quo testator eum, qui alioquin sibi heres regulariter futurus erat, ab hereditate sua ex justa ingratitudinis causa repellit; Ex hac definitione perspicuè constat, quod testator filium posthumum in utero adhuc existentem exheredare nequeat; ratio est, quia nulla ingratitudinis causa in talem tempore conditi testamenti cadere potest. *Novell. 115. c. 3.*

Expensæ sunt sumtus necessarii, quos quis propter litem fecit: inde evenit, quando judex litigantem ob temeritatem vel culpam condemnat, expensas litis victori solvere cogitur *l. 79. ff. de judic.* quales sunt salaria Advocatorum, sumptus vecturarum, itineris, mercedes nunciorum, & sumptus in hospitio ratione victus &c. Ast si condemnatus probabilem litigandi causam habuit, tunc non condemnatur in expensas, sed expensæ compensantur, sivè invicem tolluntur; ideò in tali casu justè peti nequeunt, e. gr. si appellatus in appellationis judicio condemnetur, expensæ regulariter compensantur; ratio est, quia is, qui sententiam pro se habet, regulariter præsumitur, justam litigandi causam habere. Excipe, nisi contrarium (dolus) ex actis appareat, quod in Camera Imperiali justè observatur.

Expensæ quando solvendæ? Resp. In expensas Jure Justinianeo Judex neminem condemnare potest, nisi in libello expresse fuerint petitæ *l. 13. §. 6. C. de judic.* Sed jure Camerali expensæ adjudicari solent, si Assessoribus æquum videtur, *Gail. 1. observ. 151.* Expensæ implicitè petuntur hoc modo: peto mihi jus & justitiam administrari omni meliori modo: quæ formula in libellis observari solet. Judex quemlibet temerarium litigatorem in expensas condemnare solet, ut eas adversario suo refundat. Sic is, qui in inferiori & superiori judicio (instantia) causâ cadit, ut temerarius litigator justè condemnatur in expensas.

Extraordinariæ sivè prætoriæ actioni non datur locus, quoties ordinariam, sivè civilem actionem instituere possumus, *l. 16. ff. de minorib.* Ergo ob defectum actionis civilis ordinariæ admittitur saltem extraordinaria, quæ legitimo & usitato ordine non observato fit; sic restitutio in integrum est extraordinarium auxilium, *d. l. 16.*

Facere.

FAcere aliquid per se ipsum, vel per alium, in sensu civili censetur idem. Hinc quod quis per alium facit, per se ipsum fecisse videtur, c. 72. de. R. J. in 6to, ratio est, quia mandans est causa principalis, sine cujus jussu vel voluntate nihil esset factum. Ergò si quis mandaverit servo suo vel alii, occidere inimicum suum; si servus vel alius huic impio & turpi mandato paruerit, (ad quod aliàs jure non obligabatur, l. 15. ff. de condit. instit.) tunc & mandans, & mandatarius lege Corneliâ de sicariis justè obligantur; parvi enim refert, utrum quis suis manibus delictum committat, an per alium id in effectum malitiosè deducat, l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm. quoniam res eodem recidit.

Facta regulariter non præsumuntur, sed probanda sunt ab eo, qui se in facto fundat, *l. 10. C. de numerat. pecun.* sic qui dicit, virginem esse stupratam, id probare debet, quia præsumitur puella; nec ullus tenetur reddere rationem facti, quod negat, sed priùs convincendus est, factum à se esse commissum, *l. 2. ff. de probationib.*

Factum infectum fieri nequit, *l. 12. §. 2. ff. de capt. & postlim. reverf. & l. 31. ff. de R. J.* sic virginitas & castitas corrupta restitui non potest. Audenter loquar, ait S. Hieronymus, cùm DEUS omnia possit, virginem tamen post ruinam (scil. virginitatis) suscitare non potest. Valet quidem eam liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam, *cauf. 32. q. 5. can. 11.* Ab hac regula datur exceptio, nisi id contra leges, vel contra bonos mores factum sit; quia tale negotium, talisque contractus habetur pro infecto & nullo, *l. 5. C. de legib.* ob id jura dicunt, paria esse tria sequentia, (1) aliquid non fieri, vel illegitimè contra jura fieri: (2) nullum facere Testamentum, vel Testamentum imperfectum sivè illegitimum, (3) nullam præstare cautionem, vel vitiosam cautionem sivè satisdationem præstare, *l. 6 ff. qui satisdar. cog.*

Facultates sivè bona à suis possessoribus ultra vires sæpè finguntur: ob id jura dicunt, quod homines sæpè de facultatibus suis plus sperent, quàm in iis est, *l. 10. ff. qui & à quib. manumiss.* quod non tantùm de divitiis, verùm etiam de dotibus animi intelligi potest; nonnulli enim sibi interdum magnam fingunt sapientiam & prudentiam, cùm tamen parùm eruditionis & prudentiæ in iis deprehendatur, quibus blanda & falsa eruditionis jam acquisitæ persuasio est certum impedimentum profectus. Hinc statuunt Literati, quod mul-

ti ad veram & solidam eruditionem facile pervenirent, nisi sibi falsò persuaderent, se jam eò pervenisse.

Falsi crimen est dolosa veritatis immutatio, vel suppressio in alterius præjudicium facta. *§. 7. Inst. de public. judic. & l. 23. ff. ad L. Cornel. de fals.* Ex definitione hac colligere licet, quod tria ad falsi crimen requirantur (1) dolus, quoniam sine dolo falsum committi nequit (2) immutatio veritatis, dum quis alterius manum imitetur, formando falsum chirographum &c. & (3) illatio damni, ut indè alius lædatur. Hoc falsi crimen multipliciter committitur; in genere consideratum dupliciter committitur, vel (1) in ipsis rebus, vel (2) in personis. In rebus ipsis committitur crimen falsi sequentibus modis, (1) circa ultimas voluntates, quando testamenta defunctorum ab iis, qui hereditatem sibi dari prætendunt, malitiosè corrumpuntur, & immutantur &c. (2) circa negotia inter vivos, quando quis falsis instrumentis, & sigillis utitur in contractibus; vel quando quis falsis mensuris vel ponderibus utitur; vel corruptas merces, ceu bonas habet venales; aut adulterinam monetam cudit, &c. *l. 1. & l. 8. ff. ad L. Cornel. de fals.* In sacris literis abominabilis habetur, qui pondera vel mensuras falsas habet, ad fallendos alios in emptione & venditione. Secundò crimen falsi in persona committitur, quando quis nomen suum in alterius præjudicium dolosè immutat, vel quando quis se falsò pro Doctore, Nobili, Barone, Comite &c. gerit, & sub hoc prætextu fucum suum malitiosè vendit. *l. 27. §. ult. ff. ad L. Cornel. de fals.* Pœna criminis falsi olim fuit deportatio & publicatio omnium bonorum, *l. 1. §. fin. ff. ad L. Cornel. de fals.* hodiè pro qualitate delicti arbitrariè puniuntur fustigatione, relegatione, carcere, membri amputatione, vel ultimo supplicio: *constit. crim. art. 121.* Quæritur, quâ pœnâ afficiendi sint monetarum falsarum cusores? Resp. juxta *Caroli 5. constit. crim art 111.* ignicremio, ob totius reipubl. salutem & commerciorum usum conservandum: an autem hodie illi juxta allegatum locum pœnâ capitis puniendi sint, qui ex aliorum moneta probâ minus probam cum totius Germaniæ damno illicitè cudunt, meum non est judicare; sufficit talibus ab Imperatore pœnam capitalem generaliter esse definitam, unde conscientiam graviter lædunt.

Fama sivè existimatio hominis est dignitatis illæsæ status, legibus & moribus comprobatus: hinc quoties fama sivè existimatio hæc ob delictum commissum conteritur, vel imminuitur, tunc oritur infamia,

quæ

quæ est dignitatis læsæ status, legibus & moribus comprobatus; sivè est privatio bonæ existimationis; dum alicujus existimatio ob factum aliquod turpe conteritur, vel imminuitur, *t. ff. de his, qui notantur infam.* Cum autem turpia quædam facta jus sivè leges expressè notent; quædam verò honestorum virorum censuræ relinquantur, unde oritur, quod infamia sit duplex, ut (1) infamia juris, & (2) infamia facti. Infamia juris est, quæ alicui ob turpe factum cum dolo conjunctum, & legibus notatum, irrogatur, *l. 20. ff. d. t. l. 8. & 20. C. eod.* quod fit vel immediatè à jure, vel mediatè per sententiam judicis. Immediatè fit, cum leges non exspectatâ judicis sententiâ eos infamiâ notant, qui publicè turpiter egerunt, e. gr. qui bina sponsalia, binasque nuptias contrahunt, vel qui lenocinium instituunt, id est, quæstuaria mancipia, uxores vel liberos quæstuarios habent, ut lenones, *l. 1. & 4. §. 2. ff. h. t.* Idem hodiè statuitur de omnibus iis, qui corpore suo quæstum sordidè faciunt, aut notoriè turpem degunt vitam, arg. *l. pen. ff. h. t.* quales sunt meretrices. Mediatè verò per judicis sententiam alicui irrogatur infamia, qui in judiciis famosis à judice condemnatur, *l. 7. ff. de publ. judic.* Infamia facti est, quæ alicui ob factum jure non notatum, quod tamen viri honesti ac graves judicant esse turpe, irrogatur, *l. 13. C. h. t.* hoc est, quâ quis apud viros honestos habetur infamis, quamvis eum neque lex, nec judicis sententia infamem expressè declaret, *l. 20. ff. h. t.* Affinis est infamiæ levis macula, *l. 27. C. de inoffic. testam.* quæ etiam duplex est, vel (1) est ex sordido vitæ genere, quod exercent, ut carnifices, excoriatores, castratores suum, &c. & (2) ex illegitima nativitate, ut spurii ex scortatione, stupro, adulterio, vel incestu progeniti; hi omnes non sunt infames, sed levi saltem maculâ notantur; quia ipsi nullum turpe factum commiserunt. Hîc probè notandum, quod molitorum, textorum, balneatorum, tibicinum & pastorum gregem ovium pascentium liberi non sint infames, vel levi maculâ notati, licet ex vulgari pravâ hominum opinione tales censeantur, vide Policey-Ordnung *de anno 1577. tit. 30. §. 1.* Causa efficiens infamiæ est turpe factum. Causa impulsiva propter quam quis infamiâ notatur, est dolus; quoniam nulla infamia alicui sine dolo irrogatur. Forma infamiæ superius jam exposita est, quod vel immediatè à jure, vel mediatè irrogetur, &c. Effectus infamiæ est varius, (1) repellit infames à dignitate & honore, *l. 2. C. de dignit. l. 3. C. de re milit.*

ti ad veram & solidam eruditionem facile pervenirent, nisi sibi falsò persuaderent, se jam eò pervenisse.

Falsi crimen est dolosa veritatis immutatio, vel suppressio in alterius præjudicium facta. *§. 7. Inst. de public. judic. & l. 23. ff. ad L. Cornel. de falsi.* Ex definitione hac colligere licet, quod tria ad falsi crimen requirantur (1) dolus, quoniam sine dolo falsum committi nequit (2) immutatio veritatis, dum quis alterius manum imitetur, formando falsum chirographum &c. & (3) illatio damni, ut indè alius lædatur. Hoc falsi crimen multipliciter committitur; in genere consideratum dupliciter committitur, vel (1) in ipsis rebus, vel (2) in personis. In rebus ipsis committitur crimen falsi sequentibus modis, (1) circa ultimas voluntates, quando testamenta defunctorum ab iis, qui hereditatem sibi dari prætendunt, maliciosè corrumpuntur, & immutantur &c. (2) circa negotia inter vivos, quando quis falsis instrumentis, & sigillis utitur in contractibus; vel quando quis falsis mensuris vel ponderibus utitur; vel corruptas merces, seu bonas habet venales; aut adulterinam monetam cudit, &c. *l. 1. & l. 8. ff. ad L. Cornel. de falsi.* In sacris literis abominabilis habetur, qui pondera vel mensuras falsas habet, ad fallendos alios in emptione & venditione. Secundò crimen falsi in persona committitur, quando quis nomen suum in alterius præjudicium dolosè immutat, vel quando quis se falsò pro Doctore, Nobili, Barone, Comite &c. gerit, & sub hoc prætextu fucum suum malitiosè vendit. *l. 27. §. ult. ff. ad L. Cornel. de falsi.* Pœna criminis falsi olim fuit deportatio & publicatio omnium bonorum, *l. 1. §. fin. ff. ad L. Cornel. de falsi.* hodiè pro qualitate delicti arbitrariè puniuntur fustigatione, relegatione, carcere, membri amputatione, vel ultimo supplicio: *constit. crim. art. 121.* Quæritur, quâ pœnâ afficiendi sint monetarum falsarum cusores? Resp. juxta *Caroli 5. constit. crim art 111.* ignicremio, ob totius reipubl. salutem & commerciorum usum conservandum: an autem hodie illi juxta allegatum locum pœnâ capitis puniendi sint, qui ex aliorum moneta probâ minus probam cum totius Germaniæ damno illicitè cudunt, meum non est judicare; sufficit talibus ab Imperatore pœnam capitalem generaliter esse definitam, unde conscientiam graviter lædunt.

Fama sivè existimatio hominis est dignitatis illæsæ status, legibus & moribus comprobatus: hinc quoties fama sivè existimatio hæc ob delictum commissum conteritur, vel imminuitur, tunc oritur infamia, quæ

quæ eſt dignitatis læſæ ſtatus, legibus & moribus comprobatus; ſivè eſt privatio bonæ exiſtimationis; dum alicujus exiſtimatio ob factum aliquod turpe conteritur, vel imminuitur, *t. ff. de his, qui notantur infam.* Cum autem turpia quædam facta jus ſivè leges expreſsè notent; quædam verò honeſtorum virorum cenſuræ relinquantur, unde oritur, quod infamia ſit duplex, ut (1) infamia juris, & (2) infamia facti. Infamia juris eſt, quæ alicui ob turpe factum cum dolo conjunctum, & legibus notatum, irrogatur, *l. 20. ff. d. t. l. 8. & 20. C. eod.* quod fit vel immediatè à jure, vel mediatè per ſententiam judicis. Immediatè fit, cum leges non exſpectatâ judicis ſententiâ eos infamiâ notant, qui publicè turpiter egerunt, e. gr. qui bina ſponſalia, binasque nuptias contrahunt, vel qui lenocinium inſtituunt, id eſt, quæſtuaria mancipia, uxores vel liberos quæſtuarios habent, ut lenones, *l. 1. & 4. §. 2. ff. h. t.* Idem hodiè ſtatuitur de omnibus iis, qui corpore ſuo quæſtum ſordidè faciunt, aut notoriè turpem degunt vitam, arg. *l. pen. ff. h. t.* quales ſunt meretrices. Mediatè verò per judicis ſententiam alicui irrogatur infamia, qui in judiciis famoſis à judice condemnatur, *l. 7. ff. de publ. judic.* Infamia facti eſt, quæ alicui ob factum jure non notatum, quod tamen viri honeſti ac graves judicant eſſe turpe, irrogatur, *l. 13. C. h. t.* hoc eſt, quâ quis apud viros honeſtos habetur infamis, quamvis eum neque lex, nec judicis ſententia infamem expreſsè declaret, *l. 20. ff. h t.* Affinis eſt infamiæ levis macula, *l. 27. C. de inoffic. teſtam.* quæ etiam duplex eſt, vel (1) eſt ex ſordido vitæ genere, quod exercent, ut carnifices, excoriatores, caſtratores ſuum, &c. & (2) ex illegitima nativitate, ut ſpurii ex ſcortatione, ſtupro, adulterio, vel inceſtu progeniti; hi omnes non ſunt infames, ſed levi ſaltem maculâ notantur; quia ipſi nullum turpe factum commiſerunt. Hîc probè notandum, quod molitorum, textorum, balneatorum, tibicinum & paſtorum gregem ovium paſcentium liberi non ſint infames, vel levi maculâ notati, licet ex vulgari pravâ hominum opinione tales cenſeantur, vide Policey-Ordnung *de anno 1577. tit. 30. §. 1.* Cauſa efficiens infamiæ eſt turpe factum. Cauſa impulſiva propter quam quis infamiâ notatur, eſt dolus; quoniam nulla infamia alicui ſine dolo irrogatur. Forma infamiæ ſuperius jam expoſita eſt, quod vel immediatè à jure, vel mediatè irrogetur, &c. Effectus infamiæ eſt varius, (1) repellit infames à dignitate & honore, *l. 2. C. de dignit. l. 3. C. de re mi-*

lit. (2) testes esse nequeunt, quoniam infamium dictis non creditur, *l. pr. ff. de testib.* (3) nec militare possunt. (4) nec in consilio Magistratibus assidere possunt, *l. 2. ff. de offic. assess.* ne honesta collegia turpitudine ac infamiâ sua indignè aspergere videantur.

Fama viro virtuoso in terrestribus est summum bonum: hinc vita & fama pari passu ambulant, *l. 9. ff. de manumiss. vindict.* & *l. 8. §. 2. ff. quod metus caus.* ratio est, quia homo censetur crudelis, qui famam negligit, *caus. 12. q. 1. can. 10.* cùm fama hominis sit omnium rerum pretiosissima & inæstimabilis, juxta Poëtæ assertum:

Omnia si perdas, famam servare memento,
Quâ semel amissâ, posteà nullus eris.

Major est famæ, quàm bonorum omnium jactura, imò gravior amissione oculorum, *l. 8. C. de decurionib.* Licet quidem fama viri honesti & probi per calumniantis injurias reverà non læditur, cùm fama in morum honestate, vitæque probitate posita nec per verba injuriosa, nec per verbera tolli possit; attamen convitiantis sivè injuriantis petulantia à Magistratu coërcenda est, ut & is, & alii metu pœnæ imposterum à calumniis abstinere discant. Hoc commune JCtorum assertum sine fundamento iniquè rejicit opinio vulgi, qui hominem injuriatum talem esse credunt, qualem calumniator malitiosus injuriosè dicit, nisi illatam injuriam ense, sclopetis, aut baculo vindicet, quod falsum & iniquum; quoniam nemo debet esse judex in propria causa, sed injuriam passus contra injuriantem actionem injuriarum coram judice competente legitimè instituere debet, ad conservandam famam; sic longè validiùs sibi suæque famæ consulit, & injuriantem calumniæ convictum pœnali ac famosâ actione perpetuò gravat, *l. 7. pr. ff. de injur.* Qui verò calumniatorem ipse per viam facti, (spreto juris remedio) condignâ pœnâ afficere tentat, duplici modo conscientiam suam gravissimè lædit, (1) dum contra expressam Principis sui & legum prohibitionem temerario ausu existit judex in propria causa, sicq; ordinarium suum Magistratum, cui DEUS non frustrà gladium tradidit, malitiosè contemnit; (2) tranquillitatem Reipubl. miserè perturbat, aliisq; est scandalo. Quæ mala prudentissimo instituto sub gravissimâ pœnâ præcavet Rex Galliæ, qui nec Principi, nec Comiti privatam contumeliæ illatæ vindictam dimittit impunem, si illi spreto Magistratu eam temerè exerceant; sed eos proscribit, ac exules facit; infe-

inferiores verò decollari jubet. Institutum Christiano Principe dignissimum, quô tranquillitatem in Gallia suppresso Gallorum nimio fervore validè conservat. Optandum foret, ut Rex Galliæ nomine Christianissimus, re sic totius Christianismi tranquillitatem amare ac conservare quæreret, suumque bellicosum animum contra Turcarum tyrannidem gloriosè ostenderet; quo pio conamine in Galliæ Rege nihil gloriosius esse posset.

Familia est vox generalis & æquivoca, quæ modò personas, modò res denotat. Personas sic generaliter continet, ut liberos, uxorem, famulos, ancillas, & omnes, qui sub unius potestate in eadem domo vivunt, in se comprehendat: hinc quis dicitur paterfamilias, qui toti familiæ præest. Familia etiam interdum denotat res, ut agnatus proximus familiam habeto, h. e. hæreditatem, vel res hæreditarias acquirat, *l. 195. §. 1. ff. de V. S.* Ast familia regulariter significat corpus plurium personarum sub unius potestate comprehensarum: sic paterfamilias uxorem & liberos & servos ac ancillas in sua habet familia, ideò dicitur familiæ Princeps, qui in domo dominium habet, *l. 196. de verb. signif.*

Familia à patre & non à matre regitur. Ergò qui nascuntur, Pátris, non Matris familiam sequuntur, *l. 196. ff. de V. S.* ratio est, quia mulier familiæ suæ caput & finis est: Finis scilicet familiæ paternæ, ex qua abit; caput verò familiæ mariti, in quam transit, *l. 195. §. fin. ff. eod. tit.* ob eam rationem mulier sequitur forum mariti, consequitur mariti dignitatem, fitque prosperæ & adversæ fortunæ cum ipso particeps; sed liberos suos illa non habet in potestate, *§. 3. Inst. de hæred. qualit. & different.*

Familiæ erciscundæ judicium est, in quo agitur de hæreditate dividenda: quoniam hic per familiam intelligimus hæreditatem; & erciscere denotat dividere, *l. 195. §. 1. ff. de verb. signif.* Hæc actio familiæ erciscundæ datur de omni hæreditate dividenda, sivè ex testamento, sivè ab intestato deferatur, *l. 21. ff. fam. ercisc.* ut divisio hæreditatis officio judicis instituatur, *l. 1. pr. & l. 2. ff. famil. ercisc.* Jure Saxonico introductum est, ut major natu hæres hæreditatem in viriles & æquales partes dividat, & minor eligat &c. Hæc actio competit hæredibus inter se de omnibus rebus hæreditariis communibus dividendis; deq; commodis vel incommodis plenè communicandis, & datur contra hæredes, *l. 1. princip. ff. & l. 2. & 3. Codic. h. t.*

Fame-

Famosus libellus sivè Pasquillus est injuria, scripto vel alio singulari modo facta, quando autor aliquid ad infamiam alicujus occulto vel expresso nomine, dolosè & publicè scribit, vel typis excudit, sculpit, pingit, vel alio modo facit, *l. 5. §. 9. ff. de injur. & famos. libell.* Dicitur Pasquillus à Romano quodam Pasquillo, homine dicacissimo, qui aliorum vitia absque personarum respectu temerè reprehendere ausus est. Famosus libellus est quidem injuriæ species, sed valdè insignis, cujus pœna habetur capitalis, *l. un. C. de famos. libell.* quâ pœnâ non tantum autor libelli famosi afficitur, (intellige, si crimen sit valdè atrox) verùm & is, qui libellum famosum in loco publico vel privato invenit, nec statim suppressit, comburendo vel lacerando; sed eundem incautè vulgavit, & latiùs in vulgus sparsit: ipse enim pro autore habetur, qui autorem libelli famosi non prodidit. Jus Canonicum famosi libelli autorem, ejusq; asseclas mitiùs puniri jubet, ut verberetur, sivè flagelletur, *caus. 5. q. 1. can. 3. & 2.* Recessus Imperii seu novissimum jus Germanicum libelli famosi autorem pro delicti qualitate punire jubent, vid. *Recess. Imper. de anno 1548. tit. 34.*

Favor juris multum operatur; nam quod in quorundam favorem est introductum, non debet in eorum dispendium vel læsionem retorqueri, *c. 61. de R. J. in 6to.* Intellige, nisi illi damnum sibi propriâ culpâ contraxerint; damnum enim, quod quis propriâ culpâ sentit, sibi, non aliis imputare debet, *c. 86. ibid.* Hinc juxta regulam privilegium civitatis Clericis & Studiosis concessum, non includit onera civitatis, alioquin privilegium hoc illis potius detrimentosum, quàm proficuum foret, & per consequens non gratia, sed onus esset.

Favorabiliores censentur rei, quàm actores, *l. 125. ff. de R. J.* intellige, in causarum decisione; ratio est, quia jura sunt proniora ad absolvendum, quàm ad condemnandum; ob id satiùs habetur, in dubio facinus nocentis impunitum dimittere, quàm innocentem condemnare, *l. 47. ff. de act. & obligat.* undè porrò sequitur, quod actore non probante, reus, etsi nihil in contrarium adduxerit, vel probaverit, sit absolvendus, *l. 4. C. de edendo.*

Favorabiliores sunt ultimæ voluntates contractibus, *l. 12. ff. R. J.* quod ex tribus seqq. exemplis patet. (1) Legatis alimentis cibaria, habitatio, & vestimenta debentur: ratio est, quia sine his corpus commodè ali nequit, *l. 6. ff. de aliment. & cib. legat.* Qui verò de alimentis

mentis transfigit, de reliquis, nimirum de habitatione & vestimentis transegisse non intelligitur, *l. 8. §. 12. de transact.* (2) quando impossibilis conditio legato est adjecta, pro non scripta, vel non adjecta habetur, quod fit in favorem ultimæ voluntatis, ut illa quovis honesto modo conservetur, *§. 10. Inst. de hæred. instit.* Contrà, si contractui impossibilis conditio adjiciatur, contractus censetur nullus, quia contrahentes in tali casu præsumuntur ludere, & non seriò negotium tractare, *l. 31. ff. de obligat. & action.* (3) Testator potest ultimam suam voluntatem quovis tempore pro arbitrio mutare, vel eam planè rescindere, si velit. Ex opposito, contrahens non item; sed ex inito contractu in tantùm validè obligatur, ut invitâ alterâ parte à contractu inito resilire pro arbitrio non possit, *l. 5. C. de de oblig. & act.*

Felicitas mundana. Quæritur, an felicitas actionum civilium conjuncta esse possit cum impietate? & ex opposito, an illi, qui DEUM in omnibus suis actionibus, (quantum in hoc corrupto rerum statu licet) autorem ac ducem sequuntur, citiùs miseri civiliter fiant, quàm felices? Resp. mundus quidem vulgò opinatur, creditque, mortalium neminem felicius ætatem transigere iis, perversæ voluntatis suæ desideria sectantibus: verùm hi miserè fallunt & falluntur; quandoquidem nulla sine DEO vera & constans esse potest felicitas. Quam assertionem ipsa insuper experientia, ac infallibilis omnium temporum testis historia comprobant; illud enim regimen (tàm privatum, quàm publicum) demùm censetur felix, quod ad DEI nutum & voluntatem juxta jus Divinum instituitur: sic Abraham, Moses, Josua, David, Salomon, Josaphat, Hiskia, Josia, ob pietatem & probitatem fuêre felicissimi; quoniam pietas & justitia Regum est pax & felicitas populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, solatium pauperum, hæreditas filiorum, &c. ut eos meritò insanos, miserosque deprædicem, quibus omnia fortuitò evenire videntur, quos ipse DEI Spiritus refutat, *Esai. 8. 9. & 10.* DEUS quippe est, à quo felicitas omnis proficiscitur, & à quo ea impetranda; is regnorum omnium moderator & arbiter, protector itidem & eversor est; dat, aufert, auget, minuitque regna, *1. Reg. 15.* DEI nutu, voluntate, & providentiâ regna stant, & cadunt, *Deut. 3. 21.* imò cujuslibet mortalium tàm mundana, quàm æterna salus indè dependet. Nec nobis dubium movet sequens vulgi objectio: Je ärger Schelm / je besser Glück: h. e.

h. e. quod malis plerumque benè, & bonis malè fit, de quo Seneca ut Ethnicus perquàm eleganter disserit. Nam licet negari nequeat, impios utplurimum ad tempus florere fortunæ successu, in diem vivere, Democritum agere; in fine tamen miserrimè perire solent; testis est omnium temporum historia; quoniam flagitiorum prosperitas radicibus virtutis destituta, non est constans, sed inopinatò collabitur. Quod si verò unus vel alter impiorum fortuitò hanc vitam præter meritum splendidè transigat DEI permissu & indulgentiâ, hoc est extraordinarium & irregulare, quod regulariter & ordinariè non procedit: nam regulariter hæc obtinet praxis: quicunque secundum virtutem & DEI præcepta piè vivit, is ad civilem felicitatem (tantam tamen, quanta in hac miseriarum valle pro cujusque conditione & statu in hominem imperfectum cadere potest) DEO ita volente perventurus est. Ergò à veteribus haud absurdè dictum censeo, quemlibet suæ fortunæ esse fabrum; actionum enim civilium principia suo modo in hominum sunt potestate, dum iis uti, ad consequendum actionum suarum finem, (h. e. felicitatem) mediis licitis adhibitis desiderant; licet hominum intentio in multis actionibus finem non obtineat. Es gehen manchem Menschen jährlich für tausend Reichsthaler Anschläg zu rück / cùm homo sibi talia consequenda proponat, quæ DEUS pro absoluto suo beneplacito aliter disponit. Interim manet verum, quòd piorum conditio in hoc seculo sit misera, *Psalm. 119.* sed eorundem conditio post hanc vitam erit beata, & maximis gaudiis referta, *Matth. 13. v. 43.* DEUS enim piis non infligit mala nocendi animo, sed medendi, instar boni Medici, ad eorum utilitatem, ut tantò magis virtuti & pietati operam dent.

Felonia est vox Feudistarum, (germanicè vocatur ein Schelmstück /) quam à voce græcâ quidam derivant, φῆλος impostor & φήλωμα, hoc est, fraus, deceptio, impostura & propriè perfidia, quodlibet capitale delictum à vasallo contra Dominum directum dolosè perpetratum primariò denotans, *2. feud. tit. 26. §. domino 23.* vel ubi vasallus contra Dominum feudi rebellionem malitiosè instituit. Felonia etiam committi dicitur, quando vasallus Domino feudi gravem, vel atrocem injuriam infert, eum verberando, vulnerando, calumniando, vel eidem insidias struendo: item si vasallus dominum cucurbitaverit, id est, cum ejus uxore concubuerit, imponendo ei cornua &c. Item, si vasallus dominum criminis accusaverit,

2. feud.

2. *feud.* 33. §. 1. *&c.* Hinc quoties vasallus pro accepto feudi beneficio usque adeò ingratus contra feudi Dominum reperitur, feudo haud injustè privatur: nam sicuti feudum primariò ob fidelitatem datur, ita ob ingratitudinem vasalli meritò revocatur. Verùm ut vasallus feudum ob commissam feloniam amittat, eoque justè privetur, requiritur, ut Judex competens, (qui est Dominus feudi, vel Pares curiæ) vasallum mediante sententiâ solenniter ad hoc condemnet.

Feræ sivè Bestiæ, quas vivariis incluserimus, & pisces, quos in piscinas nostras conjecerimus, à nobis possidentur, *l. 3. §. 14. ff. de acquir. possessione*; ast feræ, quæ in stagno nostro, vel sylvâ nostrâ adhuc liberè vagantur, à nobis propriè non possidentur; ratio est, quia earum naturalis libertas adhuc nullis limitibus est circumscripta, multò minus iis ademta.

Feriæ in jure sunt dies, quibus publica & civilia negotia non exercentur, sed à judicialibus actibus sunt immunes. Feriæ sunt, vel (1) Divinæ, vel (2) humanæ. Illæ sunt, quæ cultui divino sunt destinatæ: hæ sunt humanis necessitatibus accommodatæ, hoc est, propter utilitatem & occupationem hominum statutæ, & quidem præsertim tempore messis & vindemiarum, *l. 1. ff. de feriis.* (2) feriæ dividuntur in ordinarias & extraordinarias. Ordinariæ sunt dies dominici, festum Paschatis, Pentecostis, Nativitatis Christi, & festa Apostolorum &c. Feriæ extraordinariæ sunt dies natalis Imperatoris, vel Principis, feriæ ob res prosperè gestas indictæ, quas jura vocant repentinas, *l. 3. C. de dilation.* item dies inaugurationum &c. Causa efficiens feriarum est Majestas, quoniam feriæ à nullo alio, nisi Majestatem habente institui possunt, *l. 4. C. h. t.* Materia circa quam feriæ versantur, sunt omnes actus publici & privati, *l. 8. C. d. t.* scil. contentiosæ jurisdictionis. Forma feriarum in eo principaliter consistit, quod in feriis omnis jurisdictio contentiosa & judicia quiescant, *l. 1. pr. l. 6. & l. 9. ff. h. t.* Finis feriarum divinarum est, ut homines à curis profanis vacui cultui Divino dent operam, juxta præceptum Decalogi: memento ut diem Sabbathi sanctifices. Finis feriarum humanarum est, ut agricolæ litibus vacui fructibus tempestivè colligendis vacare possint, ne in iis impediantur, *l. 1. & 2. ff. h. t.* Ex dictis colligere licet, quod judici regulariter non sit permissum, diebus feriatis jus dicere, vel pro tribunali sedere, *l. 1. ff. & l. 7. C. h. t.* Excipe, nisi causæ sint tales,

quæ moram non patiuntur: ideò Magistratui licet latrones diebus feriatis investigare, & captivos in carcerem ducere ad tranquillitatem in republ. conservandam. Cæterùm quàm probrosum & ignominiosum sit toti Christianismo, quod Judæi, gens in se perfidissima, & lucro deditissima, in colendis feriis, & Sabbathis suis religiosissimè observandis, ferventissimos se exhibeant; ut spreto omni lucro mundano eadem unicè colant, ac sanctè observēt, quod proh dolor! à Christianis non eodem mentis fervore observatur, quos non pudet, diebus dominicis, quin imò die Natalitiorum, Paschatos & Pentecosteos mercaturam in sui promotionem exercere, vel sordidum lucrum avidè quærere, si modo illis commoda offeratur occasio, quibus illud, memento diem Sabbathi sanctifices, parum est curæ; cum tamen nulli præcepto divino, nisi tertio illud *memento* emphaticè adjicere voluerit supremus Legislator DEUS. Judæi insuper die Sabbathi nullum iter, etiamsi summoperè sit urgens & lucrosum, suscipiunt; contrà, Christiani non modò seculares, sed etiam quidam religiosi diem Sabbathi usque adeò negligenter colere solent; ut ipsis nihil sit frequentius & commodius, quàm die Sabbathi & feriarum itinera instituere, causas civiles, præsertim voluntariæ jurisdictionis examinare, conviviis interesse, &c. quæ omnia Sabbathum miserè & scandalosè profanant.

Festinatio non promiscuè laudatur, sed ea saltem, quæ cum morali & civili temperamento est conjuncta: ob id in jure Romano non minùs culpatur præceps festinatio, (quæ est justitiæ noverca, causam justitiæ pessundans) quàm moratoria cunctatio, *l.7.§.1.ff. de administr. & peric. tutor.* quoniam in omnibus negotiis, tàm privatis, quàm publicis illud *festina lentè* probè observandum est. Ideò Tacitus scelera inquit, impetu, & bona consilia morâ valescunt, dum tempori sit inserviendum. Sic Fabius R. cunctando impetum Hannibalis prudenter fregit, salvâ urbe Româ; sæpè enim vires hostium maximæ rectiùs debilitantur morâ, si prudenter & tempestivè instituatur, quàm vi belli oppositâ, ut hostes posteà opinione citiùs securi, vel socordes opprimantur. Sic in Franconia fortissimus & Illustrissimus Imperatoris Dux primarius Montecuculus Gallorum vires morâ prudenti in tantum fregit, ut sub maxima exercitûs Gallici ruina cedere cogerentur; idem feliciſſimo conatu præstitit circa Alsatiam: sic in veneranda sua senectute non minùs virtutem bellicam, quàm prudentiam singularem publicè edere pro-

properavit. Quo refertur adagium Italicum: Quello si fa presto, che si fa bene. Hoc est, id citò peragitur, quod benè absolvitur, quamvis lentè; nam ad rem arduam gerendam primùm adhibenda est industria, postea industriæ adjungenda est temperata ac prudens celeritas: quoniam non omnia in eo sunt posita, ut quis promiscuè festinet, sed ne quis imprudenter & præposterè properet ante tempus, nec oscitanter cesset in tempore. Hic ad majus lumen consequendum sequentia utiliter annectuntur; singulis actionibus aliud convenit, aliudque tempus ad hoc, vel illud perficiendum desideratur. Tale tempus est cujuslibet actionis oportunitas, omnia tempestivè expediens, ne quicquam temerè & oscitanter neglectum videatur; quò respexit Terentius, dum asserit, in tempore venire, est omnium rerum primum; ergò quoties fortuna offert commoditatem, negotium aliquod utile perficiendi, illa arripienda est; nam occasio frontem habet capillatam (prout à Poëtis ingeniosè fingitur) ut eâ parte statim apprehendi possit: ast si semel se verterit, ab occipitio calva est, & sic amplius apprehendi nequit, dum occasione nihil brevius & fugacius in mundo censetur. Occasio hæc dominatur in cunctis rebus mundanis; dominatur in foro & statu civili, & maximè dominatur in bello, ad perficiendos conatus bellicos, & debilitandos hostes, quod innuit Dion. *lib.* 43. plura, inquit, negotia opportunitate occasionum, quàm viribus sunt rectè confecta, ideò occasio justè dicitur anima actionum humanarum.

Feudorum jus à Longobardis per consuetudines & mores eorum est introductum, quod postea ob utilitatem & præstantiam omnibus gentibus est communicatum: nam Longobardi natione Germani occupatâ Italiæ parte per vim belli aliis prædia, & ditiones gratis concedebant sub promissione fidelitatis præstandæ, ut eos tanquam clientes & vasallos suos beneficiis & benevolentiâ ad se defendendos allicerent. Hæc est causa quare Principes Imperii, ceu vasalli Imperatoris, pro collatis in se feudis regalibus adhuc hodiè pro Imperatoris tanquam Domini salute pugnare obligentur. Olim Duces, Marchiones, Palatini, Principes, & Comites, Ducatus, Marchionatus, Palatinatus, Principatus & Comitatus ad tempus, vel vitæ dies tantùm habebant administrandos ex gratia Imperatoris; ast hodiè Principum quilibet eos sibi hæreditarios & patrimoniales effecit, cùm annexo perpetuo & universali jure territorii sub quali-

tate der hohen Lands-Fürstlichen Obrigkeit: quod demum post Caroli Magni tempora factum est; nam tempore Caroli Magni sub initio seculi noni omnes Duces, Marchiones, Palatini, & alii officia saltem habebant precaria ex gratia Imperatoris; ideò non erant hæreditaria, ut nunc sunt. Hic notandum, quod Feudistæ Regem pro Imperatore in jure feudali regulariter interpretentur, ob memoriam constituti olim â Longobardis Italici Regni.

Feudum dicitur à feuda, h. e. ab inimicitia & bello: vel dicitur etiam à fide, sivè fidelitate; quia Dominus Vasallo ideo dat feudum, ut se (dominum) tempore belli pro viribus juvet, ad propulsandam injuriam. Indè colligere licet, quod bellorum necessitas feuda pepererit; quoniam summi Principes sibi persuaserunt, Duces, Chiliarchas, & alios militiæ officiales acrius & fideliùs pro se militaturos, si ipsis feuda magna, jura, & rura gratiosè ad compensandam eorum operam largirentur, quàm si se ad aliorum bona & territoria saltem defendenda, pro nudo stipendio periculis exponere deberent. Eo fine olim consuetudo in Rep. Rom. fuit introducta, ut Imperatores obtentâ victoria quosdam agros hostibus vì ereptos, militibus suis distribuerent, ad eos animosiores reddendos, unde feudorum origo. Ex dictis patet, feudum esse usumfructum quendam, sub conditione fidei & servitii præstandi constitutum: nam cessante Vasalli fide exspirat & feudum, quo Vasallus à Domino ob feloniam (perfidiam) justè privatur. Cæterum nota, subfeudum est, quando Vasallus feudum suum alteri iterum concedit in feudum, (Germanicè ein Affter-Lehn.) *lib. 2. feudor. tit. 26. si feudum defuncti C. beneficium.* Attamen tria sunt subinfeudationis essentialia, (1) ut res infeudetur illi, qui Domino feudi ad serviendum est habilis; ergò muto, surdo, mente capto, vel furioso dari nequit, (2) ut iisdem pactis & conditionibus offeratur, ad quas subinfeudans est obstrictus, & (3) ut fiat sincerè, sine fraude, vel fuco ad decipiendum dominum directum. Causa efficiens feudorum est vel remota, vel propinqua. Illa sunt Longobardi, qui seculo 6to. post Christi nativitatem in Italia victores extiterunt. Hæc scil. propinqua causa sunt juris feudalis autores, qui hoc jus constituerunt, & collegerunt; quales sunt partim populus Rom. partim Imperatores, & partim JCti; consuetudines enim tacito populi consensu introductæ sunt, *l. 32. §. 1. ff. de legib.* Constitutiones feudales ab Imperatoribus Lothario, Conrado, Henrico, Friderico

derico &c. latæ sunt; & prima responsa JCtorum de feudis ediderunt Obertus, Gerhardus, & alii JCti: nam primum librum juris feudalis collegit Gerhardus, secundum Obertus, tertium verò, quartum, & quintum ex variis JCtis compilatos putant. Materia sivè objectum feudi sunt res immobiles, & non mobiles; ratio est, quia feuda naturâ suâ sunt perpetua, ad descendentes & agnatos transeuntia, *2. feud. 23.* sed res mobiles non sunt perpetuæ; quoniam earum substantia paulatim fit deterior. Forma feudi consistit præsertim in relatione vasalli ad dominum feudi, cui vasallus fidelitatem & servitia pro accepto feudi beneficio præstare debet. Finis feudi est partim bonum publicum, (ut respubl. tantò commodius defendatur) & familiarum illustrium conservatio, partim privata tam domini, quàm vasalli utilitas. Domini est, ut is sibi fide & officio devinctum habeat eum, in quem beneficium gratiosè contulit; vasalli verò est, ut is ob promissa, præstita servitia & fidem bonis feudalibus â Domino gratiosè concessis pro suo arbitrio liberè fruatur. Feudi collati primus effectus est, ut vasallus habeat utile dominium ipsius rei feudalis, dominio directo penes feudi dominum remanente. Secundus effectus est, ut vasallus habeat jus & potestatem percipiendi omnes fructus tam naturales, quàm industriales, & lucrandi incrementa rei feudalis &c.

Feudum est species beneficii, estque usus fructus, *tit. 23. in fin. feudor. 2.* Beneficium hoc vasallo â domino ita conceditur, ut proprietas apud dominantem, usus fructus verò apud recipientem, ejusque heredes maneat; pro concesso hoc beneficio servitium quoddam personale domino feudi præstare debet vasallus: ubi probè observandum, quod dominus feudi civiliter (non naturaliter) feudum adhuc possidere credatur propter animi conatum, quem in mente retinet, ut possessionem naturalem aliquando recuperet. Unde fit, quod Vasallus feudum in præjudicium Domini & agnatorum neque pro parte, neque pro toto alienare, permutare, vendere, vel oppignorare possit, sed consensus Domini feudi, & agnatorum ad id requiritur. *c. 1. de probibita feudi alienatione.* quoniam feudi proprietas spectat ad Dominum directum; Vasallus saltem habet utile dominium. Ob id vasallus de feudo tanquàm de re alienâ ratione dominii directi) disponens, non habet tàm liberam potestatem, ut agnatis jus suum quæsitum pro arbitrio auferre possit. Ex dictis patet, quomodo usus fructus à feudo differat. (1) Ususfructus est servi-

servitus (sive potestas) in re omninò alienâ; ast feudum est quædam dominii (scil. utilis) species sivè potestas in re quodammodò propriâ, intellige, ratione dominii utilis; vasallus enim & emphyteuta saltem habent naturalem possessionem: contra, dominus feudi & proprietarius habent civilem possessionem, ex reservato dominio directo descendentem. (2) in eo differt ususfructus â feudo; ususfructus finitur mortè usufructuarii. *§. 3. Inst. de usufruct.* Ex opposito, feudum ad hæredes masculos regulariter devolvitur *c. 1. §. & quia de his qui feud. dare poss.* ratio est, quia feuda dantur sanguini & familiis; & per consequens non facilè extinguuntur.

Feudum in genere est duplex, (1) seculare sivè laicum, & (2) ecclesiasticum. Feudum seculare Imperator, Rex, Princeps, Comes, vel alius Vasallo gratiosè confert, & id in re profana constituit. Feudum ecclesiasticum Vasallo concedit summus Pontifex, vel Episcopus, Abbas, aut alius religiosus; & id in re ecclesiastica constituit. Porrò feudum dividitur (1) in nobile & ignobile. (2) in regale & non regale. (3) in vetus sivè paternum, & novum; quod vasallus ipse primum â domino feudi acquisivit. (4) in feudum proprium & improprium. Feudum proprium est, quod communem feudi naturam retinet, ubi vasallus ob collatum feudum ceu beneficium domino feudi ad promissam fidem servandam, & servitia militaria præstanda semper est obligatus. *2. feud. 3. §. 1. & 2. feud. 23. in fin.* Feudum improprium est, in quo feudi natura quadantenus immutatur, quod fit consuetudine quadam feudali, vel singulari pacto; e.g. si feudum sit francum, h. e. ab omni onere & servitio liberum *2. feud. 104.* vel si juramentum fidelitatis non præstetur, *2. feud. 3. in fin.*

Feudum quales admittit possessores? Resp. Juxta primævam feudorum originem illi tantum feudorum erant capaces, qui ad militiam censebantur idonei. Hinc fœminæ regulariter in feudis non succedunt, etiamsi feudum acceptum sit pro se & hæredibus suis, fœminæ nihilominus excluduntur, *c. 1. §. hoc autem. de his qui feud. dare possunt.* Ideò hæres in jure feudali pro hæredibus masculis regulariter accipitur, *c. 1. §. fin. de success. feudor.* Ratio regulæ est, quia fœminæ non sunt idoneæ ad præstanda servitia militaria: feudum enim, ut dixi, regulariter dat Dominus Vasallo idoneo, ut Vasallus Domino tempore belli præsto sit, eumque juvet ad propulsandam injuriam vel vim Domino imminentem. Interdum tamen mulieres

lieres expresso pacto, & speciali beneficio, vel singulari dispositione ad feudi successionem vocantur: quo casu per substitutum servitia militaria præstare coguntur, *lib. 1. feud. tit. 6. §. quin etiam.* Cæterum in materia feudali sola agnatio regulariter jus succedendi tribuit, nec cognatio in considerationem venit, aut gradum propinquiorem facit, *c. 1. §. si verò de gradu success. in feud.*

Feudum interdum extra ordinem dividi solet in masculinum & fœmineum. Feudum masculinum est, quod à masculo primum acquisitum est, & ad masculos solum pertinet; vocatur germanicè ein Manlehn. Feudum fœmineum est, quod à fœmina primum acquisitum est, quodquè ab ea ceu prima acquirente originem & initium traxit, vocatur germanicè ein Weiber-Lehn / oder Kunckel-Lehn/ quo mulier primum investita est. *c. sequitur §. fin. de success. feud. 1. feudor. 8. c. si fœm. de feud. fœm. 2. feud. 30.* quamvis omne feudum vulgariter dicatur fœmineum, in quo fœmina succedere potest, attamen id demum proprie vocatur fœmineum, quod à fœmina primùm est acquisitum &c. Vocatur etiam in sensu vulgari feudum fœmineum, quod ita constitutum & formatum est, ut in eo filii & filiæ succedant, *lib. 1. feud. tit. 6. §. quin. etiam,* qualia feuda fœminea sic sunt comparata, ut tunc demum filiæ ad feudorum successionem admittantur, quando filii sunt demortui, quoniam filiis adhuc viventibus, ceu personis ad servitia domino feudi præstanda maximè idoneis, à feudis excluduntur fœminæ.

Feudum Regale duo essentialiter requirit, (1) ut à supremo Principe Majestatem habente conferatur: inferiores enim Principes feuda Regalia conferre non valent, quoniam hi Regalia non ex se & independenter, sed ab Imperatore, vel Rege, & dependenter habent (2) ut feudum hoc cum Regali dignitate annexa conferatur, qualia sunt Regna, Electoratus, Ducatus, Marchionatus, Principatus, Comitatus &c. Hæc beneficia & feuda dicuntur jure feudorum Regales dignitates. De secularibus jam dixi. Ecclesiastica verò beneficia & dignitates Regales sunt ArchiEpiscopatus, Episcopatus, Abbatia &c. qui cum dignitate Regali investiuntur ab Imperatore, illi omne jus in ditionibus suis feudalibus consequuntur, quô Imperator in imperio utitur, exceptis saltem iis juribus, quæ Imperatori in signum præeminentiæ soli reservantur. Cæterùm Vasalli Nobiles Imperii hanc Regalem dignitatem non habent, sed inferiorem, quorum feuda tantùm solent dici feuda jurisdictionis &c. Cæsar

olim Vasallos suos seculares primarios feudis Regalibus per vexillum, hodiè verò per ensem investire solet, præstito Juramento fidelitatis: nam ensem Dominus vasallo tradit, quô innuitur, quòd eô dominum vi homagii defendere obligetur. Sed Ecclesiasticos suos primarios vasallos (Die Geistliche Fürsten und Prælaten) per sceptrum investire solet, quo innuere vult Imperator, quod feuda hæc potestate & autoritate Imperatoris habeant.

Feuda antiqua (Stam-Lehn) separata sunt ab ipsa hæreditate; ratio est, quia feudum non est quid hæreditarium, sed diversam & separatam habet naturam ab ipsa hæreditate, cui in jure feudali opponitur, *2. feud. 45. 51. §. si contentio.* Ideò hæres agnatus hæreditatem paternam ære alieno gravatam repudiare licitè potest, retento sibi feudo; *feud. 2. tit. 45. An agnatus vel filius defuncti possit retinere feudum, repudiatâ hæreditate:* nec de debito hæreditario aliquid solvere cogitur; nisi ex fructibus, quos defunctus reliquit, aliquid percipere velit, quia hæres vocatur ad feudum proprio & sanguinis jure, non autem judicio & beneficio defuncti Vasalli, sed beneficio primi acquirentis. Hinc pro regula traditur, quòd ultimus agnatus semper sit primi acquirentis successor in feudo, etiamsi feudum per mille manus ambulaverit, *c. 1. ad fin. de successione feudi, & c. 1. §. 1. de feudo Marchiæ.* Ast vasallus est tantum successor particularis, & non universalis, in feudalia tantum bona succedens. Hîc quæritur, quid ergo respondendum sit ad subsequentem objectionem: ubi est heres, ibi hereditas, & hereditatis petitio; ast in feudo est heres, *1. feud. 13. 1. feud. 18. in fin. 2. feud. 34. §. 2.* Ergo & hereditas. Respondemus ad argumenti objecti solutionem, distinguendo inter heredem hereditatis jure civili, & heredem sanguinis jure feudali, qualis est descendens quilibet ex sanguine, puta, masculus. *1. feud. 13 vers. & si clientulus. 2. feud. 34. §. 2. ibidem;* quod intelligi debet de solis masculis. Ergo heres in sensu feudali non universaliter & tam latè accipitur, quàm in sensu civili, sed longè strictius.

Feuda Nobilia Nobilitatem immediatè non conferunt. Ergò Vasallus plebejus acquisitione feudi nobilis non nobilitatur, nisi Princeps ut Dominus feudi Vasallum suum expressè nobilitaverit: Idcircò si rusticus vel civis sibi coëmat feudum nobile, Nobilitatem inde non consequitur; ratio est, quia nobilitas à personis, & non à rebus prædicatur, *arg. l. 44. ff. de ædilit. edict.* Personæ enim sunt digni-

digniores rebus, aut ullis fortunæ bonis *l.21. C. de SS. Eccles.* Sic si Nobilis Baronatum vel Comitatum consequitur, propter istam possessionem non fit Baro vel Comes, nisi Imperator hanc ei dignitatem specialiter insuper obtulerit.

Feuda jus agnationis in successionibus regulariter saltem observant: ob eam rationem vinculi duplicitas in feudis non attenditur, (ut quis defuncto ex utroque latere ratione agnationis & cognationis simul sit conjunctus: sufficit si proximus sit agnatus) nam in feudorum successione non fit differentia, utrum frater utrinq; defuncto sit conjunctus, an verò ex uno tantùm latere; ratio est, quia in feudo regulariter non consideratur mater, nec filiæ, sed saltem agnati, qui Domino feudi servitia militaria præstare possunt. *tit.50. lib.2. feud.* Idcircò fratres superstites defuncto fratri succedunt non ideò, quia sunt jure sanguinis nexi & cognati, sed quà agnati; neç propriè jure hæreditatis, sed potiùs beneficio Domini ad feuda admittuntur.

Feuda juxta naturam feudalem rectè tractanda sunt; ideo in feudis investituræ tenor diligenter inspiciendus est: nam in omnibus controversiis feudalibus pactum investituræ principem locum obtinet, cum juxta pactum investituræ tanquam normam controversiæ feudales sint examinandæ & decidendæ; feuda enim & contractus ex conventione legem accipiunt *c. 1. in fin. de duobus fratribus à capitan. investit. l. 1. §. 6. ff. deposit.* nam tenor investituræ derogat naturæ cujuslibet feudi *2. feud. 18*, ideò à tenore investituræ temerè non est recedendum.

Feudales causæ inter Vasallum & Dominum vertentes sunt privilegiatæ, ut non ad forum ordinarium spectent, sed ad Pares Curiæ, qui sunt in iis causis judices ordinarii. Hinc quandò vasallus Principem vel Comitem Imperii ceu directum feudi Dominum in causa feudali vult in jus vocare, Pares Curiæ adire debet, *2. feud. tit. 16 de controversia feudi apud Pares curiæ:* coram quibus causa controversa judicialiter tractatur, servato juris ordine: libellus exhibetur, lis contestatur, juratur de calumnia, probationes fiunt, & postea in causa concluditur. A sententia Parium curiæ ad Cameram licitè appellari potest *1. feud. tit. 22. quo tempore miles investituram petere debeat.* Ob id etiam judex Cameræ ab Imperatore, & Assessores ab omnibus Imperii Proceribus constituuntur. Quòd si autem Vasal-

Dd 2 lus

lus cum Vasallo controversiam de bonis feudalibus habuerit, tunc Dominus feudi est eorum Judex.

Fideicommissum est ultima testatoris voluntas, quâ testator verbis precariis vel totam hæreditatem, vel partem relinquit, e. gr. si testator hæredem suum Mævium roget, ut is totam hæreditatem, retentâ sibi 4ta. parte hæreditatis, Cajo restituat: quoniam in fideicommissis locum habet SCtum Trebellianum; quo detractio 4tæ. Trebellianicæ valet, ne hæres ultra dodrantem hæreditatis restituere cogatur. Causa efficiens fideicommissi sunt autores hujus SCti Seneca & Trebellius *l. 1. §. 1. ff. ad SCt. Trebell.* Objectum est hereditas. Forma consistit in detrahendâ 4tâ. ex hæreditate. Finis est, ut hæres fiduciarius consequatur aliquod ex hæreditate lucrum, nimirum 4tam Trebellianicam: ut sic ad hæreditatem adeundam tantò facilius alliciatur.

Fidejussio est contractus nominatus consensualis verbis constans, alienæ obligationi accedens, quo quis alienum debitum mediante stipulatione securum facit, principali debitore nihilominus manente obligato. *l. 1. §. 8. ff. de O. & A.* Hinc fidejussor dicitur is, qui fidem suam pro alio, id est debitore obstringit. Causa efficiens fidejussionis est voluntas personæ idoneæ fidejubentis, quæ nec infans, nec impubes, nec furiosus, nec mente captus, nec mutus, nec prodigus, nec mulier &c. Materia circa quam, & cui fidejussor accedere potest, sunt omnes omninò obligationes, etiam ex delicto non gravi descendentes. Forma fidejussionis in stipulatione consistit, quæ semper intervenisse præsumitur. *l. 12. C. h. t.* Finis fidejussionis est securitas debiti, ut creditori caveatur. *§. 4. Inst. de replicat.* quoniam fidejussiones ob diffidentiam & malitiam hominum sunt introductæ; dum alter alteri non credit, sed creditor prædiis vel prædibus sibi vult caveri: ob id dicunt jura; quod fidejussores & pignora sint sponsionum & fidei vincula & firmamenta. Contraria fidejussioni sunt (1) debiti solutio. *l. 49. ff. de solut.* & (2) præscriptio longissimi temporis, h. e. 30. annorum lapsus; si enim fidejussor intra hoc temporis intervallum non interpelletur, tunc præscriptionem longissimi temporis licitè allegare potest. *arg. l. fin. C. de duobus reis stipul. & promitt.*

Fidejussor est, qui stipulato fidem pro principali debitore interponit, ut creditori debitum securius reddat: fidejussor quidem ex fidejussione obligatur; attamen non prius conveniri potest à creditore, quàm

quàm principalis debitor fuerit excussus: si tunc bona debitori non suffecerint, adeundus est fidejussor, ut debitum residuum solvat, *Novell. 4. c. 1.* nam hoc ipsum tacitè inter creditorem & fidejussorem actum videtur, ut fidejussor in id duntaxat obligetur, quod creditor à principali debitore consequi nequit, quia fidejussor saltem in obligationis securitatem accessit. Quod si verò fidejussor se obligavit debitoris creditori ut principalis debitor, debitum illud faciendo proprium: quo casu immediatè conveniri potest, non excusso prius debitore principali; ne verba in contractibus expressa sint absq; ullâ operatione; quoniam nullum verbum contractibus expressè adjectum debet esse otiosum, & sine virtute operandi, *l. 4. ff. de usur.* Ex dictis patet, quod fidejussio sit propriè accessio ad alienam obligationem, quia nemo pro se ipso fidejubet, sed pro alio tantùm fidem suam interponit.

Fidejussor rei turpis accipi nequit, *l. 70. §. fin. ff. de fidejuss.* ratio est, quia rerum turpium nulla est obligatio.

Fidejussor tenetur ad id, quod tempore fidejussionis erat in obligatione, sivè sors fuerit, sivè usura, modò ita in genere convenerit, *l. 5. C. de pact. inter empt. & vendit.* Ubi tamen sciendum, quod fidejussor non possit in duriorem causam obligari, quàm ipse principalis debitor; ratio est, quia fidejussio est principalis obligationis accessio: in accessione autem plus esse nequit, quàm est in principali. Hoc axioma verum est in obligatione accessoria: ast secus se res habet in corpore per se subsistente: nam quamvis id, quod accedit, sit pretiosius principali, corpori tamen jam existenti cedit, *l. 26. ff. de rerum divisione.*

Fidejussor jure non potest regulariter ante obligationem finitam à principali debitore petere liberationem à fidejussione; quod fit ob duplicem rationem, (1) quia debitor incommodo afficeretur, qui alium idoneum fidejussorem non facilè invenire posset, *l. 10. C. mandat.* (2) ne jus creditoris inde fiat deterius. Ab hac regula dantur exceptiones, (1) si debitor nimis diu solutionem debiti distulerit; fidejussor enim non cogitur perpetuo fidejussionis nexu esse obstrictus, *l. 3. §. 1. ff. mandat.* ne vulgare proverbium in ipsum quadret, (den Bürgen soll man würgen) sponde, noxa præstò est; (3) si debitor bona sua planè dilapidare cœperit: quo casu ob subsequentis paupertatis metum fidejussor ante debiti solutionem justè agere potest, ut liberetur ab obligatione fidejussoria, ne alioquin

consumtis omnibus debitoris bonis debitum postea solvere cogatur; jura enim vigilantibus scripta sunt.

Fidejussor pro reo ad pœnam corporalem se obligare prohibetur legibus; ratio est, quia nemo est membrorum suorum dominus, *l. 13. ff. ad L. Aquil.*

Fidem fallere grave est, *l. 1. ff. de constit. pecun*, ob id Prætor olim Rom. haud iniquè æstimavit, perfidiosum, nefarium, & contra naturæ legem esse factum, si quis temerè aut dolosè frangeret fidem: quo intuitu antiqui Romani fidei templum religiosè consecrarunt, ut, servandam ac venerandam esse fidem, omnes indè piè addiscerent; nihil enim magis congruit fidei humanæ, quàm ea, quæ semel placuerunt, sanctè servare & custodire, *l. 1. ff. de pact.* cum nihil in homine magis fulgeat, quàm recta fides, *l. 8. C. de sum. Trinit.* quæ est vinculum societatis humanæ conservandæ, fundamentum justitiæ, & commune quoddam hominum præsidium; quoniam sublatâ fide tollitur (1) usus commerciorum, (2) solvitur amicitia, (3) fœdera dissociantur, & (4) universa Respublica infirmo stat talo, ac perturbatur. Rara tamen mortalibus est hæc virtus, juxta quorundam perversorum politicorum axioma; Welcher vernünfftiger Mann in der Welt ist so närrisch / daß er will seiner Wörter ein Sclave seyn? Ideò in corrupto hoc seculo hominibus tàm lubrica est fides, ut iis haud facilè credamus sine testibus, sine sponsore, syngrapha, vel pignore; tutius enim in tabulis sivè scriptis, quàm in animi sacrario fidem custodiri perversè arbitramur, usque adeò, proh dolor! plerique mortales sunt sordidi, ut sanctior illis sit quæstus, quàm fides. Verùm meo judicio tàm sanctè mortalibus servanda est fides, ut fidem non modò amicis, sed etiam hostibus datam esse servandam, religiosè statuamus; prout jubet Jus Canonicum, *caus. 33. q. 1. can. 3.* Ratio est, quia nobis cum hostibus est Juris Gentium communio, *l. fin. ff. de legation.* Sub hoc Jure Gentium fides, contractus, & pacta primariò comprehenduntur. Hinc sicuti in homine privato valdè probrosum est, & contra Jus Gentium, hoc perfidiæ crimen; ita in Principe abominabile æstimatur. Hoc vitium piè præcavere voluit David: quæ de labiis, inquit, meis procedunt, non faciam irrita, *Psalm. 88.* Datur hîc exceptio, si quis rem illicitam, vel impossibilem temerè promiserit, promissis stare non obligatur, quia turpium rerum nulla est obligatio, *l. 15. ff. de condit. instit.* Item, si quis virgini fidem conjugalem promiserit, & illa

illa postea cum alio juvene scortata est, promissis suis stare non obligatur; quoniam hisce promissis tacitè inest conditio: si contra legem desponsationis malitiosè non fecerit, frangenti enim fidem, fides frangatur eidem, *l. 16. C. de pact.* Quod si Judex delinquenti promisit liberationem & impunitatem delicti, si delictum confiteatur, quid judici faciendum æstimas? an nihilominus reum confitentem postea ex tali confessione condemnare possit? Resp. quod non; ratio est, quia si fides data hosti à privato sit servanda, *l. 5. ff. de pact.* multò magis fides à Judice data servari convenit, quia gerit personam publicam, cujus fides debet esse omni exceptione major. Ideò nihil magis in Magistratu & Principe præfulgere debet, quàm bona fides, *l. 7. C. de summ. Trinit.* Hic tamen probè notandum, quod Magistratus contra legem Divinam capitaliter delinquenti pœnam capitalem jure remittere nequeat; aut si id contra jus Divinum viâ facti faciat, mortaliter peccet; dum legem DEI in casu atrociori mortaliter lædit

Fides in negotiis humanis necessaria est animi virtus, à sincero hominis affectu principaliter dependens. Fides hæc est primarium justitiæ fundamentum: ob id censetur summum & maximum bonum mundanum, quod in hac fragili vita hominibus contingere potest; ratio est, quia sine fide nulla inter homines societas subsistere, multò minùs conservari potest; hinc fides in contractibus & aliis publicis ac privatis negotiis regulariter sanctè servanda est, *c. ult. X. de hæreticis.* & *l. 21. pr. ff. de negot. gest.* Ergò quàm turpiter & ignominiosè hi faciant, qui datam fidem temerè, vel dolosè frangunt, sufficienter perstringunt jura, & Theologia satis acriter inculcat. Tales fidei violatores DEUS suo tempore condignè punit, quod ex mirabili & fide digno exemplo ab Historicis adducto sufficienter patet. Uladislaus Hungariæ Rex Amarathi Turcarum Imperatori in tesseram pacis sanctè observandæ, obtulit hostiam in Ecclesia consecratam custodiendam, quam Amarathes in sui securitatem diligentissimè custodivit. Verùm cùm Amarathes ex Uladislai conatuine & belli motibus apertè deprehenderet, se contra datam fidem injustè lædi, datam sibi hostiam in dubio Marte levatis ad cœlum oculis & manibus publicè exhibuit, altâ voce clamando: Christe, si DEUS es, ut Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui Te mihi dederunt pignori in pacis securitatem, & tamen pacem per summum scelus contra datam fidem temerè violarunt.

larunt. Hinc factum, ut alea dubii prælii in Turcarum favorem feliciter cesserit cum ingenti Christianorum strage.

Fides bona tantundem possidenti præstat, quantum veritas, *l. 136. ff. de R. J.* ratio est, quia loco domini habetur bonæ fidei possessor: etenim quantum jus civile tribuit veritati, h. e. domino rerum, tantùm Prætor tribuit bonæ fidei possessori: ideò Prætor eum, qui rem bonâ fide à non domino traditam justè accepit, & nondum usucepit, loco domini habet, concessâ ei actione publiciana ad rem istam persequendam, ac si verus rei dominus esset factus, *t. t. ff. de public. in rem action.* Hinc quando dicitur in Jure, quod bonæ fidei possessor omnes fructus tàm naturales, quàm industriales sibi acquirat instar domini pro culturâ & curâ, (naturales solâ naturâ operante absque hominis facto proveniunt, ut poma, pyra, pruna, fœnum, sylva, &c. Industriales mediante hominis facto & labore, ut frumentum, vinum, oleum, &c.) extantes quidem revocabiliter, quos Judicis officio restituere cogitur, si eo nomine à vero domino judicialiter conveniatur, *l. 22. C. de rei vindic.* consumtos verò irrevocabiliter suos facit, etiamsi indè locupletior fiat, intellige de bonæ fidei possessore particulari, *l. 4. §. 2 ff. fini. regund. §. 35. Inst. de rer. divis.* nam bonæ fidei possessor universalis tenetur omne id reddere, unde locupletior est factus, *l. 25. §. 1. ff. de petit. hæred.* non verò ea, quæ dilapidavit, vel perdidit; Ratio est, quia re suâ se abuti putat, *d. l. 25. §. 11.* Ex opposito, malæ fidei possessor nullos fructus suos facit, sed omnes extantes, consumtos, imò & consumendos restituere obligatur, *d. §. 35. & l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.*

Fides non est servanda in ullis promissis, quæ absque peccato mortali servari nequeunt, etiamsi quis juramento fidem confirmaverit; ratio est, quia juramentum contra bonos mores præstitum, non est obligatorium, *c. 58. de R. J. in 6to.* e. gr. Mævius sub maximo juramento promisit Cajo, se occisurum inimicum suum Paulum; aut si illum non occideret, promisit Cajo stipulanti solvere mille imperiales pœnæ nomine: quo casu si Mævius promissis juratis non steterit, Cajus non potest contra Mævium conditionem ex stipulatu instituere ad mille obtinendos; ratio est, quia promissum est malum, & contra leges; & juramentum est contra bonos mores. Ideò promissum & juramentum ex tàm turpi causa descendens non est obligatorium. Nota, interdum mala pro-

promissa jurata sunt servanda intuitu præstiti juramenti, si absque salutis æternæ periculo, & proximi præjudicio servari possint; ne jurans contra juramentum agat, licet indè ipse exiguum bonorum damnum sentiat.

Fides quando temerè vel dolosè frangitur, quænam pœna fidei violatorem manet? Resp. ubi de fide rupta agitur, ibi sequitur infamia, *l. 6. §. fin. ff. de his, qui notant. infam.* ut dolus & perfidia fallentis condignè puniatur. Ergò si desponsatus cum alia muliere sponsalia celebrat, fidem frangit, & per consequens est infamis.

Filiam fratris uxorem ducere non licet, §. 5. *Inst. de nupt.* ratio est, quia filiæ loco est. Contrarium statuit Grotius *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 5. n. 14.* sed perquàm iniquè. Ea de causa Jus Civile & Jus Canonicum talia matrimonia in tàm arcto sanguinis gradu justè damnant, ne impia sanguinis confusio fiat. Ex hoc fundamento jus Canonicum matrimonia ratione consanguinitatis olim ad septimum gradum prohibuit, *caus. 35. quæst. 2. can. 19.* Hodiè verò prohibet saltem ad quartum gradum inclusivè, *c. 8. X. de consanguinitat.*

Filii vivente patre quodammodò rerum paternarum domini existunt, *l. 11. ff. de liber. & posthum.* Intellige per fictionem juris; non autem in rei veritate; ratio est, quia filii existente adhuc patre id dominium potius in spe, quàm in re habent; cum nec obulum è bonis paternis absque parentis consensu licitè distrahere possint.

Filii dignitas est laus & gloria patris, *Novell. 81. c. 1.* & per filium conservatur familia paterna: nam mortui parentes in ipsis filiis adhùc vivere creduntur.

Filii nomen quando ad reliquos descendentes extenditur? Resp. in materia favorabili, (quando agitur de donationibus, legatis, testamentis) sub appellatione filiorum nepotes, exque iis descendentes comprehenduntur, *l. 220. §. 1. ff. de V. S.* Contrarium obtinet in materia odiosa, quæ semper restringitur, quia odia restringenda, & non amplianda sunt; altera verò ob favorem licitè extenditur.

Finium regundorum (h. e. terminorum distinguendorum) actio, est actio mixta tàm in rem, quàm in personam, quæ datur inter eos, qui confines habent agros, ut fines sivè termini agrorum ritè discernantur, & si quid damni ex hac finium confusione emergat, id læso resarciatur. In talibus negotiis solet Judex ipse, vel Com-

missarii unà cum mensore agrorum loca illa considerare, ut termini confusi, vel ultra justos fines extensi in antiquam formam justè restituantur: hæc actio finium regundorum datur ei, qui prædium rusticum confine decurtatum habet, sivè dominus sit, sivè usufructuarius: & datur contra confinem, (germanicè ein Feld-Nachbar) qui terminos suorum agrorum habet confusos, vel eos in sui favorem malitiosè extendit, & per hoc vicino nocet, *§. pen. Inst. de offic. judic. l. 4. §. fin. & l. 5. & 6. ff. fin. regund.* Actio hæc datur ad id, ut termini confusi, vel iniquè extensi officio judicis in pristinum statum restituantur: vel si hoc commodè fieri non possit ob perplexam terminorum perturbationem & confusionem, dirigantur novi secundum justam agrorum proportionem, *l. 4. pr. l. 7. & l. 8. ff. h. t.* Quod valdè necessarium ad pacem in Republ. conservandam, rixasque & arma inter vicinos sopienda, vel avertenda, ut agris certi constituantur fines & termini, quibus vicinorum prædia à se invicem rectè distinguantur, ne ex confusione terminorum damnum vicino inferatur. Hinc termini, sivè limites agrorum probantur 6. seqq. modis, (1) per lapides antiquos finales, (Mark-Stein) (2) per fossas, (3) arbores, (4) per testes præsertim senes, (5) per instrumenta sivè documenta, & (6) per libros censuales, vide *Mascard. de probat. conclus. 393.* Actio hæc etiam utiliter instituitur in urbe, quoties de hortorum latitudine inter vicinos est controversia, *d. l. 4. §. fin. ff. h. t.* Quod si alius, & non vicinus terminos agrorum malitiosè confundit, & turbat, tunc non datur contra eum hæc actio finium regundorum; sed accusatio criminalis contra ejusmodi turbatorem terminos agrorum malitiosè confundentem competit, *l. 1. & 2. ff. de term. mot.* cujus poena hodiè est arbitraria, quæ pro qualitate personæ & delicti interdum carcer, mulcta pecuniaria, interdum relegatio est. Dixi superius, quod hæc actio sit mixta, partim ex jure in re, sivè dominio, partim ex jure ad rem descendens. Ex jure in re est, quatenus quis pro dominio suo integrè conservando, judicialiter petit, suum sibi restitui, *l. 8. ff. h. t.* dum vicinus sibi per terminorum extensionem partem agri dolosè abstulit. Contrà, actio hæc ex jure ad rem, sivè in personam est, quatenus dominus contra confinem ex turbatione & confusione terminorum agit, quod vel dolosè sibi exaraverit, vel abstulerit terminos; & sic alter obligatur ex delicto commisso, *l. 4. §. 2. ff. h. t.* vel si casu nimirum irruptione fluminis, vel errore id

 factum,

factum, tunc obligatur ex quasi contractu; nam alter alteri tacitè quasi promittere censetur, se interesse præstare velle, quod pro terminis motis & confusis solvendum.

Finis in omni actione humana maximoperè consideratur, à quo omnis actio informatur, æstimatur & denominatur: ideò finis in actionibus moralibus habet rationem principii, qui primus est in intentione, & ultimus in operatione, docente Aristotele *lib. 6. Ethic. c. 5.* sic principium in rebus gerendis est ipse finis, cujus gratia actiones suscipiuntur; finis enim est bonum aliquod, cujus intuitu aliquid fit vel à natura, vel arte, juxta illud vulgare: *Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem*; cum autem plures & diversæ sint res, artes, scientiæ, & actiones, quarum singulæ habent suos proprios fines; ideò plures & diversos esse fines in rebus mundanis necesse est: finem dicimur velle, & media ad finem ducentia dicimur eligere, e. gr. Imperator belli simpliciter vult finem, h. e. victoriam: interea eligit ea, quæ ad finem ducunt, id est, eligit media, ad consequendam victoriam apta. Hic probè notandum, quod triplex sit actionum humanarum finis. Primus & principalis finis hominibus debet esse gloria DEI, docente S. Paulo *1. ad Corinth. 10.* Omnia, inquit, ad gloriam DEI facite. Alter finis est communis & politicus, ut nimirum omnia referantur ad publicam pacem & tranquillitatem reipublicæ, & ad conservandam civilem societatem. Tertius finis est privatus, spectans ad singulos homines: nam honestè vivere, & legibus obtemperare, etiam privatim singulis hominibus est utile. Ex dictis colligere licet, Aristotelem prudentissimo consilio præter justitiam particularem introduxisse justitiam universalem, ad omnes leges & virtutes se extendentem, quò ostendere voluit, virtutum actiones non modo ad privatum hominum usum & finem esse referendas, sed etiam ad publicam utilitatem, communem salutem, & politicam societatem conservandam, quæ maximè ex eo pendet, si homines juxta virtutem inter se vivunt & agunt. Hunc communem finem respicit universalis justitia, quam in omnium virtutum actionibus spectare debent homines, v. gr. non modò ideò temperanter & sobriè homini vivendum, quia id privatim prodest cujusque naturæ & valetudini, nec ideò fortiter pugnandum est, quia privatam indè laudem & gloriam acquirimus; sed quia hoc postulat honestas publica, & utilitas communis, quin imò etiam pax & tranquillitas totius reipublicæ; quæ non potest servari in vita

scelerata & intemperante, teste experientiâ, optimâ rerum magistrâ; sic unius Catilinæ improbitas totam rempubl. Roman. miserè afflixit ac perturbavit, quod Sallustius prolixè describit.

Finis quomodo honestè ac licitè consequendus est? Resp. propter bonum finem consequendum illicitis remediis, puta, incantationibus, magicisquè artibus uti non licet, *caus. 26. q. 5. can. 3. & l. 2. C. de malefic. & mathemat.* ratio est, quia non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona: ob eam rationem non licet sutori furari integrum corium bovinum, ut possit pauperi par calceorum ad bona opera exercenda tanquam eleëmosinam dare. Quod si verò alicujus rei finis & scopus esset impossibilis, ejus media forent frustranea; nam stultum est de mediis ad finem ducentibus esse sollicitum, quando finis nullo planè modo impetrari potest.

Fœdera sunt pacta publica inter Reges & Principes solenniter celebrata, de re quadam (auxilio &c.) præstanda. Magnum in republica est præsidium intus bona civium educatio, & vera religio, (quâ imperantium & parentium animi conglutinantur) & foris fœdera cum aliis potentioribus, ad imminentem hostium vim avertendam; quoniam fœdera pariunt confœderatis securitatem, & augent eorum potentiam, præsertim si cum finitimis & potentibus populis sint contracta: optima enim & tutissima fœdera fiunt inter Reges & Principes (1) non nimium dissitos, (nam si procul absint confœderati, se invicem necessitate cogente juvare non possunt) (2) inter potentiâ ferè æquales (si enim infirmi se potentioribus adjungant, ab his utplurimum opprimuntur) & (3) moribus similes, quoniam moribus inter se dissidentes rarò inter se voluntatibus conveniunt. Fœdera hæc sunt vel æqualia, vel inæqualia. Æqualia sunt, in quibus unus tantum præstare cogitur, quantum alter. Inæqualia sunt, in quibus alter fœderatorum alterius Majestatem & potentiam reverenter observare cogitur, ad patrocinium ejus in casu necessitatis consequendum. Conditiones fœderis honestæ & æquæ esse debent, non pugnantes cum pietate, justitia, aut virtute aliqua; aliàs ad societatem leoninam inclinant. Ergò non cum quolibet fœdus promiscuè ineundum est, sed cum potentibus, quorum societas confœderatis auxiliaris, & non onerosa est; ea namque est fœderis natura, ut fœderatus fœderati hostes ut proprios persequatur, omnemque imminentem injuriam & vim à cervice confœderati sui pro viribus fortiter propulset. Ex dictis colligere

licet,

licet, quod Principes & supremæ potestates ob duas causas fœdera cum aliis populis, Regibus vel Principibus principaliter inire soleant, (1) propter metum potentioris, cujus vim imminentem timent, & (2 propter diffidentiam populorum confiniorum. De his plura vide in titulo sequenti.

Fœdera quare ineunda sunt à Regibus & Principibus? *Resp.* ad ineunda sivè pangenda fœdera nos partim publica salus & tranquillitas, partim natura ipsa invitat, ut corpus, bona, parentes, & amicos ab omni injuria, vi & ruina tantò securiùs & potentiùs defendamus; quod fit, quando confœderati communibus viribus communem hostem fortiter depellunt. Hinc fœdera haud incongruè vocantur arietes, quibus hostium conatus validè franguntur, consilia callida & pravæ machinationes prudenter avertuntur: tutissima enim belli avertendi, vel compescendi consilia sunt, quæ versantur circa conjunctiones & amicitias potentum, in fœderibus salubriter feriendis; cum non minus fœderibus, quàm armis conatus hostium reprimantur. Interdum etiam imminentia bella validis fœderibus tempestivè declinantur, ut pote quando fœderatorum potentia hosti videtur formidolosa. Huc spectat vulgare axioma: das eine Schwerd hält das andere in der Scheide. Urbs Roma ad tantam nunquam provecta esset potentiam, nisi initio per fœdera cum finitimis & extraneis populis contracta id effecisset: ea enim fœderis natura regulariter est, ut fœderati hostes confœderatorum quasi proprios persequantur, *l. 7. ff. de captiv. & redemt. ab host.* Quantum Helvetiorum fœdus Gallis sæpè profuerit, & Hollandorum fœdus superiori bello Danis, testatur experientia, loquuntur Annales.

Fœminæ propter frigidam naturam citiùs pubescunt maribus: nam fœminæ anno ætatis duodecimo completo; & mares anno 14. completo incipiunt pubescere, *pr. Instit. quib. mod. tutel. fin.* Et per consequens citius perfectionem ætatis & judicii, quàm masculi consequuntur. Ob id etiam regulariter citius vitæ suæ periodum absolvunt, h. e. citiùs moriuntur, quàm mares.

Fœminæ plerumque adversus propria commoda laborare solent, *l. 4. C. de sponsal.* quia mulier regulariter est animal debile, varium, & mutabile, *c. 10. in fin. X. de verbor. signif.* quod se in negotiis civilibus ob judicii defectum regere & conservare nescit.

Forestalis jurisdictio sub generali nomine continet Forst-Recht und Wildbahn. Ex his duabus speciebus vi vocum colligimus duo di-

stincta officia, quæ ut totum & pars inter se differunt; jus enim foresticum est totum integrale, continens in se Wild Bahn. Hinc quando dico in genere, er hat das Forst Recht; ergo so hat er auch die Wild-Bahn / rectè dico; sicuti dicimus, er hat das Hauß / ergo so hat er auch die Wände darzu. Quod si verò jus foresticum in strictiori significatu accipiatur, quatenus jus sylvarum solummodò concernit, tunc jus venationis in se non includit; quo sensu diversa & distincta sunt officia Forstmeisters und Jägermeisters. Ille sylvis præficitur, & quidem eo fine, ne per excisionem arborum sylvæ devastentur, sed ut potiùs conserventur, & meliores reddantur. Hic venationi præest; cui ea, quæ venationi inserviunt, & conveniunt, instruenda sunt. Bannum ferinum (die Wild-Bahn) dividitur in superius & inferius. Ad superius bannum referuntur ursi, apri, (als schwartz Wildpret) cervi, hinnuli, &c. als roth Wildpret. Ad bannum inferius referuntur vulpes, lepores, sciuri, perdices, alaudæ, coturni, & reliquæ aves.

Forma dat esse rei *l. 9. §. 3. ff. ad exhibend.* quoniam forma in unâquâque re dominatur, estque potentissima; quâ destructâ, res ipsa non ampliùs manet eadem, sed mutata, vel planè periisse videtur, *l. 7. §. 5. ff. de acquir. rer. dom.* Hinc quotiès in negotio vel actu quodam civli forma essentialis omittitur, vitiatur actus, e. gr. si Prætor in causa quadam ex abrupto decretum emiserit absque causæ cognitione, id non valet; ratio est, quia cognitio causæ est de forma decreti substantiali, *l. 8. §. 17. ff. de transaction.* Sic etiam qui testamentum solenne fecit non adhibitis 7. testibus, sed tribus, vel. 4. saltem, id Jure civili est vitiosum. Item qui ex scypho fecit massam mutatâ formâ, propè substantiam interimisse videtur.

Fornicatio est illicitus coitus cum meretrice vel concubina libidinosè exercitus; estque peccatum mortale, intellige in foro poli. Fornicatio hæc est de genere occultorum delictorum, quæ clam & abditè perpetrantur, remotis validis testibus, testiculis saltem præsentibus: quoniam delinquentes rarò in hoc sordido carnis delicto deprehendi solent; ea de causa censetur difficilis probationis *l. 8. §. 6. C. de repud.*

Fornicatio jure Justinianeo fuit impunibilis, nec ullam merita est pœnam, *l. 13. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* & *l. 29. §. 1. C. eod. tit.* quæ ob majora mala nimirum adulterium, & sodomiam vitanda, in Republ. Romana impunè tolerata fuit, licet aliàs peccatum sit mortale,

1. Cor-

1. Corinth. 5. v. 1. Sic etiam impunè tolerata sunt in orbe Romano lupanaria, non eo quidem sensu & respectu, ac si per se bona & honesta essent, absit; sed ut majora mala evitentur. Ex iisdem principiis impunè toleratur Jure civili concubinatus: concubinæ quidem non sunt uxores, uxorum tamen loco, concubinatus causâ diu habentur, *l. 3. §. 1. & t. t. ff. de concubin.* Concubinatum hunc multi apertè & clam exercent, non dicam plebei, milites, Nobiles, Barones, & Comites, sed & Principes & Reges hodierni. Exempla sunt odiosa, ad nauseam tamen nota. Justinianus Imperator concubinatum in tantum extollere voluit, ut concubinam ab uxore dignitate saltem differre putaverit, quia contubernium illud non vagam quandam libidinem, sed honestum quid æstimare voluit Imperator, & quasi matrimonium; ideò nec infamem censuit, vide *tot. tit. ff. de concubinis. & Novellam 12. cap. 4.* Contrarium docet Jus divinum & canonicum, cum concubinatus sit contra sextum præceptum, contra quod homines præprimis juvenes delicatuli & otiosi studio & datâ operâ peccare solent, quorum peccata carnis nisi magna, vel frequentia, per conniventiam toleranda sunt; quoniam non amplius vivimus in statu integritatis, nec in republica Platonica omnibus numeris perfecta; sed in ea proh dolor vivimus! ubi ob carnis debilitatem & depravatam naturam sæpissimè incidimus in peccata commissionis & omissionis; ideò dicendum puto:

Adam, Samsonem, Davidem, Loth, Salomonem,
Fœmina decepit, quis modò tutus erit.

Interim studeamus, quantum in nostris viribus est, diabolo & titillanti carni fortiter resistere, ne in propriam perniciem ab his duobus capitalibus hostibus seducamur, ac conscientiam nostram indies sordida carnis cupidine contra expressum Dei mandatum miserè oneremus. Omnia reliqua peccata, quæ ab hominibus studiosè perpetrantur, regulariter extra delinquentium corpora sunt; qui autem fornicatur, in corpus suum gravissimè peccat. *1. Corinth. 6.*

Forum in sensu vulgari denotat locum rerum venalium; ast in sensu civili locum publicum exercendarum litium: vel locum, in quo Magistratus litigantibus Jus dicit, judicia & jurisdictionem exercet, *c. forus. X. de V. S.* Hinc forum competens est locus publicus, congru-

gruus & proprius, ubi actor reum convenire debet juxta juris ordinem. Sortitur quis forum competens ex 4. causis. (1) ratione contractus; sed tunc demum quis in loco contractus accipit forum competens, quando reus ibidem degit, & invenitur, *l. 19. pr. ff. de judic.* aliàs non. (2) ratione domicilii, ubi quis habitat: ratio est, quia domicilium est potissima subjectionis & jurisdictionis causa, *l. 7. C. de incolis.* unde sequitur, quod neque mutatio domicilii perimat instantiam coram judice domicilii cœptam; sed judicium ibi finiri debet, ubi cœptum est; nemo enim mutatione domicilii forum prius sic declinare potest, ut causam ibi cœptam in adversarii sui præjudicium dolosè deserere possit, *c. 19. X. de foro competent.* Ab hoc domicilii foro excipiuntur Clerici, qui coram Pontifice, Episcopo, vel Prælato suo conveniendi sunt: sic etiam excipiuntur Studiosi, Nobiles, milites: Studiosi enim coram Rectore Magnifico seu magistratu suo Academico saltem conveniuntur: et Nobiles coram Principe, & milites coram suo Duce, vel Tribunali militari. (Das alle militarische Personen in civil und criminal Sachen müssen für das Kriegs-Recht stehen/und daselbst ihr Urtheil erwarten) Sic quoque inhabitatores ædium privilegiatarum excipiuntur, qui coram supremo ædium patrono conveniri debent. (3) Ratione delicti, *t. C. ubi de criminib. agi oport.* quoniam reus criminis potest in loco domicilii conveniri, *l. 2. C. d. t.* & in loco, ubi crimen commissum est, ut accusatus se ibi defendat, *l. ult. ff. de noxal. action.* & (4) sortitur quis forum ratione rei sitæ, de quâ litigatur, ut quis coram eo Magistratu conveniatur, in cujus territorio bona sunt sita, *l. 27. ff. de tutor. & curat.* quoniam litigantes forum hoc agnoscere coguntur, *can. 3. X. de foro compet.* Sic etiam vasallus in causa feudali controversa coram domino feudi conveniendus est, *c. 5. X. de judic.* & dominus feudi cum Vasallo de feudis litigans coram Paribus curiæ conveniri debet. *c. 2. §. si inter de alienat. feud.*

Forum in genere est duplex, quia est vel Ecclesiasticum, vel seculare. Forum Ecclesiasticum est, in quo causæ tractantur Ecclesiasticæ, vel est locus, ubi personæ Ecclesiasticæ inter se, vel alius cum illis litigat, *c. 1. 2. & 5. X. de foro competent.* Clerici enim non ampliùs ut olim tempore Justiniani Imp. coram laico Judice conveniri possunt, sive causa sit civilis, sivè criminalis; sed coram suo Episcopo vel Prælato, *caus. 11. q. 1. c. 43.* quòd si verò Clericus vi, vel dolo ad Judicem laicum sivè secularem trahatur, ei justè opponere potest Cle-

Clericus fori præſcriptionem, ſivè exceptionem, & ad ſuum Judicem Eccleſiaſticum provocare; cum indignum ſit Clerico coram ſubſelliis Judicis ſecularis verſari, ibique examinari. Forum ſeculare eſt, in quo cauſæ profanæ & politicæ tractantur, *can.10. X. de foro competent.* Hoc iterum ſubdividitur in civile & criminale, in quibus civiles & criminales cauſæ tractantur. Præter hæc fora datur & forum militare, in quo cauſæ militares examinantur & deciduntur. In hoc militari foro ſunt leges rigoroſæ, ſanguine ſcriptæ, quæ delinquentes præ omnibus aliis legibus ſecundum juris rigorem perquam ſeverè ſtringunt, quod fit eo fine, ut ferocia illa Martis ingenia tempeſtivè compeſcantur.

Forum incompetens eſt alienum & incongruum tribunal, cui reus conventus ſubjectus non eſt, *tot. tit. C. ſi à non competente judice judicatum eſſe dicatur.* e. gr. ſi Rex Sveciæ vellet in ſuo foro vel Tribunali Germanum in Germania exiſtentem, ejusque jurisdictioni non ſubjectum in jus vocare, & per conſequens judicare, & condemnare; ſententia talis foret ipſo jure nulla: nam ſententia ab incompetente Judice lata ipſo jure non valet, *t. X. de foro competente.*

Fructus in Jure habentur in triplici differentia; (1) ſunt naturales, (2) induſtriales, & (3) civiles. Fructus naturales (merè tales) ſunt, quos natura per ſe principaliter abſque hominis cultura, vel modicâ ſaltem curâ accedente producit, ut poma, pyra, pruna, ceraſa, lignum, fœnum. &c. *l.7.§.9.ff.de ſolut.matrim.* Induſtriales fructus ſunt, qui non per ſe, & ſuâ naturâ principaliter, ſed mediante culturâ proveniunt, h.e. qui cooperante quidem naturâ proveniunt, ſed hominum facto, induſtriâ, & curâ principaliter; ut hominum induſtria in iis fermè videatur plus operari, quàm natura; quales ſunt frumentum, *l.45.ff.de uſur.& fructib.* Indè fruges vinum, oleum &c. proveniunt, dum ſedulò curantur, ſeruntur, plantantur, metiuntur & colliguntur. Civiles ſunt, qui magis occaſione rerum, quàm ex ipſis rebus producuntur, e.g. uſura, penſiones ædium, agrorum, navium &c. *l. 121. ff. de verb. ſignif.*

Funeraria actio eſt actio in perſonam, ſumtus funeris cauſa factos perſequens. Hæc actio oritur ex quaſi contractu: nam ſicuti viventis negotia ſine mandato gerens obligat ſibi dominum, cujus negotia geſſit, *t.t.ff. de negot.geſt.* ita etiam ille, qui propter funus aliquid ex piâ intentione impendit, cum defuncto tacitè contrahere videtur.

l. 1 ff. de Religiof. & fumt. funer. Ubi obfervandum, quod fumptus in funus collocati debeant effe neceffarii, & non fuperflui. *l. 14. §. 3, & feqq. ff. h. t.* fed pro modo facultatum defuncti *l. 12. §. 5. & l. 14. §. 6. ff. ibid.* Actio hæc funeraria datur ei, qui pietatis caufa abfque animo donandi aliquid in funus impendit. *l. 14. §. 15. ff h. t.* Actio hæc datur contra eum, qui funerare debebat, nimirum contra heredes, ad quos funus fepeliendum jure fpectat. *l. 12. §. 2 ff. h. t.* Actio hæc datur ad id, ut is, qui neceffarios fumtus in funus animo repetendi impendit, eos recuperet ab heredibus. *d. l. 12. §. 2.* Hæc actio dicitur privilegiata; ratio eft, quia hujus actionis ob religionem & pietatem tantus eft favor (ne cadavera demortuorum maneant infepulta) ut fumptus funeris omne creditum, cum bona debitorum non fint folvenda, antecedant *l. pen. ff. h. t.*

Fungibiles res in jure præprimis in materia mutui funt, ubi res una alterius vice fungitur, dum mediante folutione una res pro altera redditur: ita ut una res tantum præftet, quantum altera ratione fubftantiæ, qualitatis, & ufus; fic ut creditor idem per folutionem recepiffe credatur, quod dedit: de hac materia in titulo mutui plura fcripfimus.

Fur fufpendendus vel ipfam rem ablatam, vel ejus æftimationem reddere cogitur; ratio eft, quia furti actio tantum ad pœnæ perfecutionem pertinet; condictio verò furtiva & rei vindicatio ad rei recuperationem tendunt. Iniquum enim foret, ut furis hæredes ex furto ejus cum alterius damno deberent fieri locupletiores. Hic quæritur, an fur fufpenfus rupto laqueo iterum fit fufpendendus? Refpondemus affirmando, quia fententiæ executio nondum eft facta, daß er mit dem Strang vom Leben zum Tod folle hingerichtet werden. Reipublicæ enim intereft, ne delicta maneant impunita, nec pinguior victima mactari poteft juftitiæ, quàm fceleratus homo, ob tranquillitatem in Republ. confervandam, & ne fufpendendis detur occafio corrumpendi carnificem, ut utatur fune minus firmo, fimuletquè furem fufpenfum præter fuam culpam fingulari vel fatali cafu in terram decidiffe. Idem judicium ferendum eft, fi carnifex reo decollando caput primo ictu non amputaverit, fed eidem vulnus faltem magnum, attamen non lethale intulerit; quo cafu pœna capitalis damnato non eft remittenda, fed eundem fecundo, imò & tertio ictu ferire poteft, & debet carnifex; donec caput delinquentis juxta pronunciatam Judicis fenten-

tiam sit amputatum: quamvis carnifici lata culpa sit imputanda, quia illud cum horrendo damnati rei cruciatu præstare non valet, quod omnes ejus sordidæ artis homines sciunt,& scire debent, *l.213. §.2. ff. de V.S.* Qualem plebs in tali casu per furorem interdum lapidibus occidere solet.

Fur quibus actionibus conveniri potest? Resp. adversus furem non una, sed triplex datur actio, quod fit ob justum odium contra fures, & ob favorem innocentium à furibus læsorum (1) est actio furti (2) condictio furtiva,&(3) rei vindicatio *l.12.C.de furt.* condictione furtiva rem nostram nobis dolosè surreptam persequimur & petimus, *§.ult.Inst.de obligat.quæ ex delict.nasc.* hæc condictio soli domino datur *l.2.ff. condict. furtiv.*

Fures nocturni, (qui noctu furantur) balnearii, (qui in balneis vestimenta lavantibus fraudulenter auferunt)& fures saccularii(**Spitzbuben**) habentur improbiores fures, & graviori pœnâ afficiendi sunt, quàm alii simplices diurni fures *l.1. ff. de fur. baln.* nam quò major furandi & delinquendi est facultas & occasio, eò graviùs in fures delinquentes animadvertendum est, præsertim in fures nocturnos; quoniam ignoratur, utrum illi animo saltem furandi, an occidendi in ædes alienas dolosè irrepant. Ubi tamen probè observandum, num fur armatus, vel inermis noctu venerit: item utrum cum effractione, an sine effractione in ædes malitiosè irrumpat: quia lex divina & civilis non promiscuè omnes fures nocturnos impunè necare permittunt; sed eos duntaxat, qui cum effractione armati accedunt *Exod. 20. v. 2. & l. 9. ff. ad L. Cornel. de sicariis.*

Furiosus nullum negotium efficaciter gerere potest, quamvis mediante curatoris autoritate conditionem suam facere possit meliorem *l.63.ff. de acquir. hæred.* ratio est, quia in furioso nihil est judicii, nulla sana ratio, nulla voluntas, nulla sanæ mentis operatio; & per consequens nullus in eo est consensus; quoniam is unicè ab intellectu & ratione dependet; idcircò ob rationis exilium talis in jure nihil scire, nihilque agere intelligitur, sed pro absente & ignorante habetur *l. 40. ff. de R. J.* ob id furiosus nec contractum inire, nec bona sua administrare, multo minus illa alienare potest, quamdiu illud animi vitium ipsi adhæret. *d. l. 40.* Contra, impubes pubertati proximus omnia negotia tutore autore gerere potest *pr. Inst. de autor. tutor.* quia in tali impubere non exulat ratio, sed in eo inveni-

veniuntur semina crescentis judicii, & intellectus initium, quod suppletur autoritate Judicis. Quod si verò furiosus ita sit comparatus, ut dilucida habeat intervalla, ac ad sanam mentem interdum perveniat, is tempore dilucidi intervalli contrahere licitè potest. Ex subsequentibus autem argumentis & circumstantiis furor hominis probatur, (1) si is per plateas more insanorum feratur. (2) si is homines temerè lapidibus petat, (3) si vestes suas dilaceret, corpusque suum denudet, & (4) si aliena & deridenda loquatur, vel actus homini sano minus convenientes exerceat. Hic notanda est differentia furiosorum & mente captorum: illi cum impetu, tumultu, & clamoribus insaniunt: hi absque rabie & tumultu tranquillâ quadam mentis alienatione laborant, & ineptiunt. *l. 25. C. de nupt. & l. 28. C. de Episcop. audient.*

Furiosus non delinquit, etiamsi hominem in furore occiderit; ratio est, quia consilio, proposito, mente, & sensu communi caret, non intelligit, quod agit, *§. 8. Inst. de inutil. stipul.* & per consequens doli non est capax, qui suo furore satis punitur *l. 14. ff. de offic. præsid.* Ergò iniquum foret, pœnam pœnæ adjicere, & afflicto afflictionem insuper addere. In maleficiis autem spectatur voluntas & propositum. Hæc duo delictum à non delicto distinguunt, *c. 54. X. de sentent. excommunicat.* & præcisè dolus requiritur ad delictum perpetrandum, *l. 7. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Verum si quis ad excusandum commissum homicidium diceret, se furore correptum deliquisse, ei non creditur, nisi ex indubitatis rerum argumentis demonstraverit, aut pateat, se furore fuisse correptum tempore delicti commissi; quia quilibet præsumitur sanæ mentis, & furor est facti, quod probandum: nam facta non præsumuntur, *l. 10. C. de numerat. pecun.* Hic porrò notandum, Jura distinguere solent inter furiosum perpetuò talem, & furiosum, qui dilucida habet intervalla furoris cessantis, *l. 14. ff. de offic. præsid.* Ille non intelligitur delinquere, neque ullum negotium validè contrahere ob judicii exilium. Hic scil. dilucida intervalla habens, delinquere & contrahere potest æquè ut alius sanæ mentis: intellige, tunc temporis, quo furor cessat; ideò potest etiam Testamentum condere, *l. 9. C. qui testam. facere possunt.*

Furtivam rem qui incautè emit, eam vero domino sine pretio restituere cogitur; nam rem meam furtivam ubique repertam condicere, & vindicare licitè possum, *l. 2. & l. 5. C. de furt.* Estque præsumtio con-

contra illum penes quem res furtiva deprehenditur, quod ipse illam furto abstulerit, nisi is ostendere possit eum, à quo rem accepit; vel nisi is, apud quem invenitur, sit tàm gravis & honesta persona, ut tàm mala suspicio in eum cadere nequeat ad famam ejus arrodendam. Interim is, licet bonâ fide rem furtivam emerit, tenetur nihilominus vero domino rem suam justè vindicanti absque ullius pretii restitutione reddere, ne domino injuria fiat, & ut ipse imposterum cautius mercari discat, *l. 2. C. de furt.* quoniam sibi imputare debet emptor, quod non circumspectius mercatus sit rem à mercatore bonæ fidei. Ergò ut quis cautè mercetur, priùs debet in conditionem venditoris inquirere, an is sit vir bonæ fidei? deinde in qualitatem rei emendæ, ne vel hypothecata sit, vel talis, quæ imposterum à vero domino justè evinci potest, &c.

Furtum sine affectu furandi non committitur, *§. 5. Inst. de usucap.* prout ex definitione furti liquet; ratio est, quia furtum est dolosa contrectatio vel ablatio rei alienæ, vel ejus usus, aut possessionis, invito domino lucri causa facta; quod lege naturali prohibitum est, *I. ff. de furt.* Ex hac definitione patet, quod triplex furti sit objectum, (1) est res ipsa furtim ablata, (2) ejus usus, & (3) possessio rei. Usus furtum fit, cum quis rem ad certum tempus, vel usum sibi commodatam diutius æquò detinet, vel eam ad alios usus iniquè convertit, *§. 6. Inst. h. t.* Sic furtum etiam committit, si quis re sibi pignori data, vel apud se deposita utatur, dum utendi jus non habet, *l. 54. & l. 76. ff. h. t.* Possessionis verò furtum committitur, quando debitor, vel etiam alius quivis rem pignori obligatam creditori possessionem pignoris habenti iniquè aufert, *§. 10. Inst. h. t.* Causa efficiens furti remota est voluntas & animus furandi, *§. 6. in fin. Inst. de obligat. quæ ex delict.* omnia namque delicta mente & voluntate sivè proposito tanquam ex primariis ac interioribus eorum causis principaliter dijudicantur, *l. 53. pr. ff. & l. 39. ff. h. t.* Propinqua causa est ipsa dolosa contrectatio. Causa impulsiva est opportunitas temporis, loci, rerum, spes lucri & occultationis. Materia circa quam furtum versatur, sunt omnes res mobiles, præsertim alienæ, *l. 59. ff. h. t.* Ergò furtum rerum immobilium regulariter non datur, *§. 7. Instit. de usucap. & l. 25. ff. de furt.* ratio est, quia contrectare in jure est loco movere; res autem immobiles non possunt loco moveri, ergò nec furari; ob id res soli clam auferri nequeunt, ut superius diximus; sed saltem invadi, sivè vi occupari

possunt, *pr. Inst. de vi bonor. rapt.* Forma furti ex definitione constat, ut res aliena animo & affectu furandi clam invito domino contrectetur & auferatur, *d. §. 6.* Finis furti est spes lucri, quoniam sine intentione lucri percipiendi furtum non committitur, *§. 1 Inst. de obligat. quæ ex delict.* Effectus furti in pœnis infligendis & rebus furtim ablatis consequendis est positus. Hic porrò quæritur, num furtum sit contra jus naturæ? Resp. affirmando, est namque contra regulas naturâ nobis notas, (1) quod tibi non vis fieri, alteri non facias, (2) neminem debere cum alterius damno locupletari, quamvis res initio fuerint communes; attamen nec tunc temporis licebat, rem ei, qui eam ex usu possidebat, invito & per fraudem dolosè auferre, ne possessori injuriam & damnum inferret. Ex præcedentibus haud obscurè patet, quod molitores, sartores, aurigæ, & nautæ inter fures certo casu justè referantur, quoties in fraudem mercatorum & civium suorum quædam ex concreditis sibi mercibus dolosè subtrahunt, vel partem vini è doliis subdolè extrahunt, dicendo, vinum vitio doliorum sensim stillando elapsum esse, vel pro vino clandestinè hausto aquam reponunt: sic purum vinum in dominorum fraudem scelestè miscent, unde dominorum conditionem impiè reddunt deteriorem.

Furtum quousque se extendit, quæritur? Resp. non modò is dicitur furtum commisisse, qui dolosè rem invito domino lucri causa aufert, sed & is, cujus ope & consilio furtum est factum, *§. 11 Inst. de obligat. quæ ex delict. nasc.* Nota, Jus Civile statuit, quod is, qui furti faciendi causa conclave alienum clam intravit, antequam contrectet rem alienam, nondum fur sit, sed injuriam commisisse dicatur, *l. 21. §. 7. ff. de furt.* quia insalutato hospite dolosè contra domini voluntatem intravit domum. Contrarium docet Jus Canonicum, nimirum quod is, qui clam, vel non per ostium, sed aliundè ascendendo, vel irrumpendo per aliam partem, domum intrat furandi animo, quamvis nihil acceperit, fur nihilominus sit, *caus. 32. q. 4. can. 12.*

Furti pœna est varia. Tempore Imperatoris Justiniani non fuit capitalis, sed pœna furti manifesti erat in quadruplum, & pœna furti non manifesti in duplum, *§. 4. Inst. de noxal. act. & Novell. 134. c. fin.* Sed Carolus Quintus Imp. pro qualitate delicti furibus interdum capitalem pœnam, interdum corporis afflictivam, interdum pœnam pecuniariam dictandam putavit, *art. 159. & seqq. constit. crim.*

Hanc

Hanc pœnæ infligendæ varietatem in triplici furtorum divisione perspicuè ostendam; (1) distinguit Imperator Carolus V. inter furtum simplex, parvum, & magnum: illud est, quando furtum 5. aureos sivè ducatos non excedit, cujus pœna est dupli, vel carceris, si fur duplum restituere non valeat; nam qui non habet in ære, luat in corpore, *l. fin. ff. de in jus vocand.* ne delicta maneant impunita: hoc scilicet furtum magnum simplex (& primum) est, quandò 5. aureos excedit, cujus pœna est, ut fur numellis astrictus, & virgis cæsus à carnifice relegetur; (2) distinguit Imper. inter furtum magnum simplex sine effractione, & furtum violentum, h. e. cum effractione, vel si fur armatus noctu veniat, undè præsumitur violentum: illius pœnam in superiori membro recensuimus; sed hujus pœna est capitalis, nimirum suspensio; (3) distinguit Imperator inter furtum simplex, & inter furtum ter iteratum, quod ultimum etiam est capitale, & suspendio dignum; ratio est, quia crescentibus delictis crescere debent & pœnæ: cum in tali homine nequam furta toties iterante nulla sit spes correctionis, vel melioris vitæ, qui ex furandi habitu peccat. Ergò satiùs est è medio tolli, ne amplius noceat probis, quàm ut superstes tranquillitatem Reipubl. magis perturbet.

G*Abella* sivè accisa (vulgò Das Ungeld) vino, frumento, carni, &c. imponitur, ut omnes subditi imposita hæc onera Principi suo solvant: quoniam hæc gabellarum & accisarum onera inter media augendi ærarium Principis numerantur.

Generi per speciem in jure derogatur; *l. 80. ff. de Reg. Jur.* ut si diversis personis legata sint relicta, uni generale, alteri speciale; uni omnia vestimenta sunt legata, & alteri vestis saltem muliebris; quo casu per legatum speciei derogatur generi, *l. 1. ff. de aur. & argent. legat.* Sic qui legavit alimenta: cibum, potum, vestimenta & habitationem legasse creditur, *l. 6. ff. de alim. legat.* Sed non contra, qui legavit unam speciem, puta, habitationem, vel potum, is reliqua omnia non videtur legasse; nam quod de una specie dicitur, non statim de toto genere prædicatur.

Genus in diversis disciplinis diversimodè accipitur: nam quod JCti genus, hoc Logici speciem vocant; & quod illi speciem, hi individuum appellant, *l. 2. ff. de rebus credit.* si purus Logicus hoc JCtorum institutum audiverit, eos ignorantiæ accusabit, acsi in doctrina juris non satis accuratè versarentur, quod falsum; quoniam termini

&di-

& distinctiones pro diversis disciplinis diversè accipiuntur & tractantur: aliter enim termini & res considerantur in Philologia, aliter in Philosophia, aliter in Medicina, aliter in Jure, & in Theologia aliter.

Gradus cognationis est de proximo in proximum transitus. JCtus cognatorum & affinium gradus accuratè nosse debet, ut sciat, quoto gradu proximus consanguineus (vel affinis) à proximo per generationem distet; ratio est, quia legibus hæreditates & tutelæ ad proximum quemq; agnatum redire consueverunt; & quia matrimonia in certis gradibus ratione consanguinitatis & affinitatis sunt prohibita, *l. 10. pr. ff. de grad. & affinit.* Jus affinitatis iisdem juris regulis, quibus consanguinitatis continetur, h. e. eadem est prohibitio graduum in affinitate & consanguinitate; quia maritus & uxor juris fictione habentur pro una eademq; persona, & pro una carne. Ideò quoto gradu quis marito est conjunctus ratione consanguinitatis, eodem gradu uxori est conjunctus ratione affinitatis. Ergò in quo gradu alicui non licet mulierem ratione consanguinitatis ob sanguinis nexum ducere uxorem, in eodem gradu mulierem nec ratione affinitatis uxorem ducere licet.

Graduum computatio in genere est duplex, (1) civilis, & (2) canonica. Civilis computatio graduum tradit sequentem regulam. Persona generata semper adjicit gradum, *§. 7. Inst. de gradib.* Hinc quot sunt generationes, tot jure civili sunt gradus; intellige ascendendo & descendendo, e. gr. pater, filius, nepos, pronepos; hîc sunt tres generationes; ratio est, quia pater generavit filium, filius nepotem, & nepos pronepotem: ideò pater & filius sunt consanguinei in primo gradu, nepos & avus in secundo gradu, & pronepos & proavus ejus in tertio. Hoc latius explicat JCtus Paulus in *l. fin. §. 9. & seqq. ff. de gradib.* Quod si unus pater plures haberet liberos, omnes nihilominus à patre æquè distarent in gradu primo; ast inter se distarent in gradu secundo, quia ab uno fratre per patrem deveniendum ad alterum fratrem. Ergò si 6. vel 8. fratres vel sorores sint, omnes nihilominùs sunt in secundo gradu, & non in sexto, vel octavo gradu; ratio est, quia in plano non possunt esse gradus. Ideò in computatione graduum sequenti modo progredimur: primò ascendendo gradatim à persona, de cujus proximitate quæritur, per proximas generationes ad stipitem; & rursus descendendo in altera linea usque ad aliam personam, de qua quæritur,

tur, quoto gradu à priori distet: quot tunc generationes intermediæ reperiuntur, tot gradus sunt numerandi, totque inter se distant. Cæterùm sciendum, quia generatio est causa cognationis & agnationis, ideò per generationem in jure civili intelligimus gradum. Hîc probè notandum, quod graduum computatio in linea recta, nimirum ascendenti & descendenti eadem sit secundum jus civile & canonicum: in linea verò collaterali differat. Huc spectat regula generalis: Matrimonium in linea recta inter ascendentes & descendentes in infinitum est prohibitum, ne parentes cum liberis, ceu proprio sanguine nefariè commisceantur, *l. fin. ff. de rit. nupt. Levit. 18. & 20. caus. 35. q. 2. can. 18.* quæ prohibitio in tantum se extendit, ut si ipse Adam à mortuis resurgeret, non inveniret mulierem, quam ob intervenientem filialem respectum & arctum sanguinis nexum ducere posset; quoniam coitus inter ascendentes & descendentes est contra pudorem naturalem, & adeò detestandus, ut ipsa bruta animantia ratione destituta eundem fugere, & aversari videantur, vide *Novell. 12. c. 1.* Quod Canonicam graduum computationem concernit, illa habet tres regulas, (1) est in linea ascendentium & descendentium, ut quot sunt personæ, de quarum cognatione quæritur, (computatis intermediis unâ demtâ, vel stipite demto) tot sunt gradus. Hanc primam regulam Jus Canonicum cum Jure Civili habet communem. Sed secundam & tertiam seqq. habet discrepantes, ut ex sequentibus patebit. (2) est in linea collaterali æquali, quæ est inter personas consanguineas, à communi stipite æqualiter distantes, ut quoto gradu unusquisque eorum, de quorum cognatione quæritur, à communi stipite distet, (stipes est persona, à qua reliquæ personæ, de quarum conjunctione quæritur, descendunt) tot gradibus inter se distant. Ergò frater & soror sunt juxta canonicam computationem in primo gradu, (ast jure civili sunt in secundo gradu) & fratrum, sororumque liberi, ut patrueles & consobrini sunt in secundo gradu, (jure civili sunt in quarto gradu) quorum nepotes & neptes sunt in tertio. Ex dictis colligere licet, duos gradus civiles facere in linea collaterali unum gradum canonicum, *caus. 35. q. 5. can. 2.* diversa hæc graduum collateralium computatio in diversis materiis diversimodè observatur. Canonica graduum computatio accuratè observatur in causis matrimonialibus; civilis verò observari solet in causis successionum ab intestato. Tertia regula est in linea collaterali inæ-

quali inter consanguineos inæqualiter distantes à communi stipite, e. gr. quoto gradu remotior persona distat à communi stipite, tot gradibus inter se distant, *c. 3. & c. fin. X. de consanguin.* Sic fratris filius à patruo distat secundo gradu, quia eodem gradu distat ab avo, dempto stipite, &c. Olim jure canonico matrimonia ratione consanguinitatis & affinitatis ad septimum gradum inter collaterales erant prohibita, *caus. 35. q. 2. & 3. can. 2.* ratio videtur in jure divino fundata, *Levit. 18.* ad proximam sanguinis nemo accedat, ut relevet turpitudinem ejus &c. ast successu temporis jus canonicum ob urgentem necessitatem & evidentem utilitatem in concilio Lateranensi à Pontifice Innocentio tertio juris peritissimo in hoc puncto est mutatum, ut prohibitio inter consanguineos collaterales ultra quartum gradum inclusivè non extendatur, vid. *c. 8. X. de consanguinit.* & quidem quoad primum gradum consanguinitatis collateralem nuptiæ jure Divino propriè sunt prohibitæ, quoad reliquos tres gradus solo jure Ecclesiastico sivè Canonico (excepto secundo gradu inæquali, ut inter fratrem & alterius fratris filiam, ubi adhùc subest parentum respectus.) Ut ut in tribus hisce ultimis gradibus nuptiæ habeantur illicitæ ob prohibitionem canonicam, attamen possunt ex dispensatione summi Pontificis fieri licitæ; ast in primo gradu collaterali dispensare non licet, nec potest S. Pontifex, *c. 13. X. de restitut spoliator.* Hîc porrò notandum, quod computatio graduum civilis in linea collaterali videatur juri naturæ, & rationi naturali convenientior, quàm computatio canonica; quia cognatio in linea collaterali meritò à secundo gradu numeranda est, e. gr. frater & soror juxta civilem computationem sunt in secundo gradu, *l. 3. C. de legit. hæred.* quia frater ex fratre non generatur, nec soror ex fratre, verum uterq; ex communi parente. Ergò ubi duæ sunt generationes, duo etiam debent esse gradus; ubi primum à fratre ad communem parentem est ascendendum, quæ est una generatio; & rursus ab eodem ad alterum fratrem est descendendum, quæ est altera generatio. Hanc civilem graduum computationem ipsum quoque jus Canonicum approbat in canone ultimo, *caus. 35. q. 5.* verum in aliis locis generaliter statuit, fratres & sorores esse in primo gradu, & patrueles ac consobrinos (h. e. fratrum, sororumque liberos) in secundo gradu, *caus. 35. q. 5. can. 2.* qui alioquin jure civili sunt in quarto gradu. Porrò quando quæritur, quoto gradu ego à patruo meo,

vel amitâ, materterâ, & avunculo distem? Resp. tertio gradu secundum jus civile; ast jure canonico duntaxat secundo gradu; ratio est, quia inter me, & patruum, vel amitam sunt tres generationes: ergò tres erunt gradus. Res exemplo erit clarior: avus meus generavit patrem meum, & patruum, (undè duæ generationes, & per consequens duo sunt gradus) & pater generavit me, undè tertia generatio, & tres gradus existunt. Sic ego â patrui vel amitæ meæ filia disto quarto gradu, vel quartâ generatione, & à nepote ejus disto quinto gradu, quia tot sunt generationes. Sciendum, quod in linea collaterali inæquali Jus Canonicum videatur minùs accuratè observare gradus, quàm Jus Civile: nam regula Juris Canonici dicit: quoto gradu remotior persona distat à communi stipite, eodem inter se distant. Ergò Caja, Titia, & Johannes secundum jus Canonicum, (ut ex subjecto Schemate patet) distarent eodem gradu, nimirum quinto à Petro, quod minùs accuratè dictum. Ideò rectissimè statuit in hoc casu Jus Civile, quod Caja à Petro sexto gradu distet, & Titia à Petro septimo gradu, & Johannes à Petro octavo gradu, quia tot sunt generationes. Hinc meritò dicimus: quot sunt generationes, tot sunt gradus, dempto stipite Paulo. Ea de causa JCti dicunt, quod accuratè loquendo impossibile sit, Cajam, Titiam, & Johannem eodem gradu à Petro distare, sed diversis gradibus, cùm diversæ sint generationes.

Paulus.	
Cajus.	Caja.
Stichus.	Titia.
Mævius.	Johannes.
Sempronius.	
Petrus.	

Hanseaticum fœdus ob necessariam Urbium Germanicarum defensionem & mutuum commerciorum usum cum exteris & vicinis est initum, & cœpit anno 1200. Hansen-Städte denominationem accipiunt à voce Gothica Hansen / hoc est, Proceres, Optimates, Heroes. Unde ironicè dicitur: Das wollen grosse Hansen seyn. Ideò Hansen-Städte dicuntur die vornehme reiche Kauff-Städte / *Receß. Imper. de anno 1566.* §. Die Hansen-Städte. Urbes hæ opibus, negotiationibus, & confœderationibus potentiores & sociæ sunt, Colonia, Lubeca, Brunsvicum, Breslau, Riga,

Wismaria, Dantiscanum, &c. Sunt autem civitates Hanseaticæ partim imperiales ac liberæ, partim mediatè imperio subjectæ, partim etiam planè extra imperium Rom. sitæ, certo tamen fœdere inter se junctæ contra Principum ac Regum injurias, &c. Quod si civitas Hanseatica olim contra fœdus gravissimè peccaret, seque rebellem ostenderet, privilegiis commerciorum in pœnam privabatur, prout Brunsvicensibus anno 381. factum, daß sie sich müsten der vier vornehmsten Cantonen in Handlungen enthalten / als (1) zu Brüg in Flandern; (2) zu Bergen in Norwegen; (3) zu Londen in Engelland / und (4) zu Neugarten in Rußland / &c. in his quatuor emporiis jus stapulæ olim per totam Europam floruit: hodiè etiam Amstelodami, Hamburgi, Francofurti & Lipsiæ viget: ubi merces varii generis in maxima quantitate primum sisti & stabulari debent ac solent, ut ibi primum certis anni temporibus publicè vendantur; ac ad varias Europæ partes in usum hominum utiliter mittantur.

Hæreditas est successio in universum jus defuncti ex testamento, vel ab intestato delata regulariter proximo consanguineo; nemo tamen ad adeundam hæreditatem cogi potest, *l. 16. C. de jur. delib.* quia quilibet beneficio & juri pro se introducto renunciare potest, *l. fin. ff. ad SCtum Vellej. & l. pen. C. de pact.* hinc jura dicunt, invito quid auferri potest, dari non potest; nam invito non datur beneficium, *l. 69. ff. de R. J.* Hîc probè notandum, quod hæreditas in jure regulariter dupliciter accipiatur: (1) accipitur objectivè pro omnibus bonis, à defuncto relictis, *l. 178. §. 1. ff. de verb. signif.* & (2) sumitur pro ipso jure succedendi in bona defuncti: ubi hæres in universa jura & bona defuncti succedit, quod jus hæredi circa bona defuncti vel jure sanguinis ab intestato, vel beneficio testamenti acquisitum est. Quo sensu hæreditas dicitur aliquid immortale, in hæredes semper transiens, & successio in universum jus, quod defunctus habuit, *l. 24. ff. de rei vind.*

Hæredis institutio est successoris à testatore facta designatio, quâ testator hæredem sibi in testamento solenniter constituit, ut is post ejus mortem succedat in omnia ejus bona. Causa efficiens institutionis est voluntas testatoris, quoniam institutio non debet pendere ex alterius voluntate & arbitrio, *l. 32. ff. h. t.* Causa impulsiva est partim affectio testatoris erga hæredem, partim singulare aliquod hæredis meritum. Materia sunt bona testatoris propria, *l. 120. ff. de V. S.*

For-

Forma institutionis, sivè instituendi hæredis requirit, ut in testamento nomen hæredis vel ab ipso testatore, vel à testibus scribatur, & voluntas testatoris coram 7. testibus solenniter declaretur. Finis est, ut hæres institutus, exclusis hæredibus ab intestato aliàs succedentibus, in universum testatoris jus & patrimonium succedat, fiatque ejus hæres *l. 62. ff. de R. J.*

Hæredis institutio quid operatur? Resp. Quando testator hæredem ex semisse (h.e. dimidia hæreditatis parte) vel besse instituit nullo dato cohærede, tunc institutus hæres consequitur totam hæreditatem. Ideò pars vacans accrescit instituto hæredi, *§. 5. Instit. de hæredi. instit.* Ratio est, quia nemo pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere potest.

Hæres & purè & sub conditione in Testamento institui potest; ex certo tempore, vel ad certum tempus non potest, *§. 9. Instit. de hæred. institut.* Ratio est, ne testator videatur aliquo tempore sine hæredibus extitisse.

Hæres & defunctus per Juris fictionem regulariter habentur pro unâ eâdemque personâ, *l. ult. C. de impub. substit.* Ratio est, quia hæres repræsentat defuncti personam, in omnia defuncti jura plenariè succedendo, *§. 2. Inst. de hæred. qualit.* hæreditas namque est veluti imaginarium corpus, personam defuncti repræsentans. Ob eam rationem hæres etiam adeundo hæreditatem plenariè obligatur, defuncti creditoribus debita solvere: sed in criminalibus hæres ex delicto defuncti regulariter non tenetur, quia pœnæ debent tenere suos autores, *l. 22. C. de pœn.* non verò in alios innocentes iniquè transferri.

Hæresis est pertinax in articulis fidei error: vel est doctrina, Christi & Apostolorum doctrinæ in uno, vel altero articulo fidei pertinaciter repugnans. Hoc hæreseos crimen est gravissimum & atrocissimum, quo Divina Majestas cum piorum scandalo impiè offenditur, *caus. 32. q. 7. can. 16.* Hæretici quidem Sacram Scripturam jactant, & communia veræ Catholicæ religionis principia fovere prætendunt, recedunt tamen in multis à verâ fide Catholica, ac crassos in fundamento fidei errores committunt *l. 1. C. de summâ Trinitate.* qui privata & corrupta sua judicia, fictasquè notiones & interpretationes autoritati Ecclesiæ Catholicæ injustè præferunt, quos implicitè refutat S. Augustinus: Evangelio, inquit, non crederem, nisi me Ecclesiæ autoritas commovisset. Ex dictis patet, qui Christum ut mun-

mundi Salvatorem non agnoſcit, non eſſe hæreticum, ſed Paganum, vel Mahometanum, aut Judæum, quia talis totam fidem ſalvificam planè ſubvertit. Porrò nota, ab hæreticis diſtinguuntur Schismatici, qui non in fide ſeu principali aliquo fidei articulo, ſed in circumſtantia fidei errant; *cauſ.24.q.3. can. 26.* qui retento eodem fidei fundamento ſcandala & turbas in Eccleſia indignè excitant, ut Corinthii. *1. Corinth.2.*

Hæretici ſunt juxta JCtum Carpzovium & jura R. qui 4. univerſalia concilia, (1) Nicænum, (2) Conſtantinopolitanum, (3) Epheſinum primum, & (4) Calcedonenſe non amplectuntur, *Novell. 115, c. 14.* Sic omnes vocantur hæretici, qui de fide Salvificâ quadantenus dubitant, quiquè firmiter & conſtanter non credunt, quæ Catholicæ & Apoſtolicæ fidei ſunt congrua, *l. 2. C. de hæret.* qui Sacram Scripturam aliter interpretantur, quàm ſenſus Spiritûs Sancti ab Eccleſia declaratus, & univerſaliter receptus efflagitat. *Novell. 109.pr.* Ergo omnes, qui à Sancti Auguſtini, Chryſoſtomi, Hieronymi, Bernhardi, & aliorum Sanctorum Patrum authentica Doctrina, quoad fidei ſalvificæ fundamenta, temerè & perſeveranter recedunt, jure vocantur hæretici. Hæreticorum liberi parentibus ob crimen hæreſeos jure civili non ſuccedunt, *l. 19. C. de heretic.* quæ juris diſpoſitio hodie in foro rariſſimè obſervatur.

Hermaphroditus utroquè ſexu, vel putendo præditus, cenſetur ejus ſexûs, qui in eo prævalet, *l. 10. ff. de ſtat. hom.* quoniam tales vel ad ſexum maſculinum, vel fœmininum magis inclinant. Tales haud facilè admittuntur ad matrimonium, ne pars altera ratione intentionis in matrimoniali negotio decepta, in crimen ſivè peccatum adulterii indignè prolabatur. Excipe, niſi hermaphroditus matrimonium inſtantiſſimè urgeat, inquè ſexu, quem ut mas vel fœmina pro conſumando matrimonio prætendit, prævaleat; quo caſu admittendus eſt ad mala præcavenda. Ergò tales ad matrimonium non prius ſunt admittendi, quàm de potiori ſexu, quem prætendunt, in iis ſatis conſtet, ne ob inhabilitatem ut inidonei admittantur, & per conſequens ſterile, vel planè imperfectum ineant matrimonium.

Homicidium doloſum propriè dicitur homicidium, quod absquè dolo perpetrari nequit. Homicidium hoc generaliter loquendo duplici modo committitur; (1) ex proæreſi ſivè deliberato animo occidendi, cum homicida animum & voluntatem occidendi expreſsè habuit,

habuit, (2) cum homicida animum vulnerandi duntaxat habuit, sed indè mors immediatè sequitur. Tale tamen in hoc homicidio requiritur instrumentum, quô quis facile occidi potest, *l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de sicar.* quod, comprobat Jus Divinum *Num. 35. v. 18.* Si homo ligno, quô interfici quis possit, voluntariò percussus interierit, id homicidium percussoris sanguine vindicatur. Homicidium aliàs generaliter sumptum dividitur in homicidium (1) dolosum sivè voluntarium (2) necessarium sivè coactum (3) culposum, & (4) casuale: quorum primum saltem est capitale, & propriè vocatur homicidium *t. ff. ad L. Cornel. de sicar.* de quo superiùs jàm egimus; quando quis deliberato animo hominem vel ipse, vel per alium dolosè necat: nam quod quis per alium facit, per se fecisse videtur *l. 15. ff. ad Leg. Cornel de sicar.* Necessarium homicidium non dolo, sed coactè ob vitæ, corporis, honoris & bonorum defensionem suscipitur. Ergò si nefas est, hominem homini insidiari, sequitur, quod fas sit, homini insidianti resistere, vimquè vi fortiter repellere *l. 3. ff. de Just. & jur.* Omni enim generi animantium, *inquit. Cicero libr. 1. offic.* à natura tributum est, ut se, vitam, corpusquè suum quovis modo tueatur, declinetquè ea, quæ ei nocitura videntur. *l. 1. §. 11. ff. si quadrup. pauper. fec.* Idem Cicero in oratione pro Milone defensionem corporis instantissimè comprobat; non scripta, *inquit*, sed nata lex est, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum eam ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in tela latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediundæ salutis &c. Ex dictis facilè resolvi potest sequens quæstio, utrum quis coram Imperatore & Deo, h. e. in foro soli & poli justè excusari possit, si in extrema & urgente necessitate, ubi nulla absque vitæ periculo est effugiendi spes, aggressorem violentum coactè necaverit? Resp. affirmando, ratio est, quia defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur, dum intentatam injuriam & vim licitè à se propellit *l. 3. C. de public. judic.* ob id haud iniquè statuunt JCti, quod is sibi sit hostis & tyrannus, qui violenti & impii aggressoris vitæ, cum propriæ vitæ interitu oscitanter parcit, seque ovis instar impunè jugulare permittit; hanc meam sententiam confirmat Cicero; insidiatori inquit, & latroni injusta nex afferri nequit: nam naturalis ratio doctis, necessitas barbaris, mos gentibus, & feris bestiis natura ipsa præscripsit, ut omnem

nem ſemper vim,quacunque ope poſſent, à capite & vitâ ſuâ propulſarent &c. *l. 45. §. 4. ff. ad l. Aquil.* Ideo ſupremus rerum Conditor Deus omni animantium generi quædam arma ad ſe defendenda ſuppeditavit: ut lupis, canibus, ſuibus &c. dedit dentes; tauris cornua, catis, lincibus, urſis &c. ungues; equis calces, & avibus roſtra ac alas, quibus vitam corpusque contra aliorum inſultus tueantur, declinentque ea, quæ ſibi nocitura videntur: propter has rationes tale neceſſarium homicidium eſt extra pœnam; quo fine *Exodi 21. v. 13.* videmus, aſylum conſtitutum eſſe ei, qui non inſidiatus alium necaverit. Undê rectiſſimè concludimus, ſi quis violentum aggreſſorem animo ſui conſervandi, & non offendendi interfecerit, eum non peccare, & per conſequens non eſſe puniendum: nam ſi is, qui ob defenſionem bonorum ſuorum furem in furto deprehenſum ſic vulneravit, ut poſtea ex vulnere moriatur, reus ſanguinis non habetur, *prout. c. 22. exod. v. 2. aſſeritur:* multò ergo minus homicidii reus eſt cenſendus, qui violentum vitæ aggreſſorem in maximo periculo ad ſe liberandum ob neceſſitatem è medio tollit; quia nulla eſt bonorum & vitæ hominis proportio; & cum ordinata charitas incipiat à ſe ipſa; ut quis ſe plus diligat in ungue pedis, quàm adverſarium in vertice capitis; ideo ordo charitatis hominem ſub latâ culpa obligat, ut vitam propriam alienæ præferat, illamque quovis honeſto & licito medio adhibito conſervare ſtudeat &c. Homicidium culpoſum eſt, quando homicida non dolosè hominem occidit, ſed ubi præter intentionem prævià culpâ homicidium committit, ea propter ob culpam tantum puniendus eſt, aſt non ultimo ſupplicio: ratio eſt, quia pœna mortis dolum requirit, *l. 15. ff. ad L. Cornel. de ſicar.* dolus autem in homicidio culpoſo non intervenit: ideo tale delictum culpoſum pro arbitrio judicis mitius punitur, puta relegatione &c. Caſuale homicidium eſt, quod caſu inopinato nullo prorſus dolo, nullâque culpâ interveniente vel præcedente committitur; ideo non punitur, *l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de ſicar.* Hîc probè notandum, quod Jus Canonicum diſtinguat ratione caſus fortuiti, vel quis homicidium committendo dedit operam rei licitæ, vel illicitæ: priori caſu excuſatur, & impunis dimittitur homicidium caſu committens, quia nullam commiſit culpam, multo minùs commiſit dolum, (e. gr. ædituus ratione officii pulſavit campanas, ut dato ſigno conveniret populus ad ſacra peragenda, inter pulſandum cecidit campana,

pana, hominemquè occidit, quo casu æditIuus non peccat.) Posteriori casu non excusatur, e. gr. si æditIuus ascendendo turrim pulsaturus campanas, fortuitò viderit avem in arbore sedentem, quam sclopeto secum sumto occidere intendit; interea dum avem transfigit globulo, eodem ictu necat hominem in publica via versantem, vel in cœmiterio ambulantem; ab hoc delicto non excusatur æditIuus propter intervenientem ejus culpam: quia non censetur sine culpa, dum extrà officium rei illicitæ dedit operam. Quod si verò parentes infantem adhuc tenerum in lecto suo jacentem noctu per negligentiam oppresserint, vel suffocaverint, ob commissam culpam pro pœna saltem iis injungitur pœnitentia trium annorum, quia parentes dolum & propositum occidendi habere non creduntur, *c. ult. X. de his, qui filios occiderunt.*

Homicidium quodlibet regulariter dolosè & spontè factum præsumitur, quia homicidium regulariter est actus illicitus, in quo dolus præsumitur, *l. 2. §. 8. ff. de vi bonor. raptor.* Hinc si reus homicidium perpetratum confitetur, sed necessariam defensionem prætendit, id probare debet ad evitandam homicidii pœnam, *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* quia ei in tam violento negotio absque valida criminis purgatione non creditur.

Homines nonnulli faciles sunt ad jusjurandum contemptu religionis; alii perquàm timidi metu Divini Numinis, *l. 8. ff. de condit. institut.* ne perjurium committant, vel Deum temerario quodam juramento frivolè offendant.

Homini quâ tali naturâ certum & proprium aliquod bonum internum à Deo est tributum, quod est functio ejus facultatis, quæ vulgò dicitur facultas rationalis; quoniam illa nec sentientis, nec vegetantis est, sed ab illis separata; ratio est, quia facultas sensitiva nobis communis est cum brutis, & facultas vegetativa nobis cum plantis & stirpibus est communis; ast ratio sola hominem à brutis maximè distinguit, ac separat, eumque efficit illis longè nobiliorem.

Homo in jure dupliciter consideratur, (1) ut sanus, vel (2) morbo animi, aut corporis laborans. Homo sanus, si jam perfectæ ætatis, omnia negotia rectè agere, & perficere, contractus inire, & testamentum condere potest; quod de homine morbo animi laborante negatur. Animi morbo laborant tres sequentes, (1) furiosus, qui rabie quadam animi agitur, & talis vel semper intellectu & ratione caret, vel interdum dilucida habet intervalla: ideo quà talis nihil

Hh validè

validè agere poteſt; (2) mente captus, qui nullum quidem extrinſecùs furorem & rabiem oſtendit, inquietè tamen ineptit, & delirat; (3) prodigus, cui bonorum adminiſtratio ob corruptos mores eſt interdicta, quia neque tempus, neque finem expenſarum obſervat, ſed bona dilacerando & diſſipando profundit, *l. 1. ff. de curator. furios.* Ideò furioſus, mente captus, & prodigus tamdiu ſub curatoribus vivunt (ſi ſint majores 25. annis) donec ille & iſte ſanam mentem, & hic ſanos mores plenariè receperit; interea nullum negotium ipſi contrahere poſſunt, cum nihil rectè intelligant, &c. Morbo corporis laborant ſurdus, mutus, cæcus, & alii, qui perpetuo, vel temporali morbo laborant. Quorum omnium & ſingulorum ſæpè in jure habetur ratio.

Homo eſt ſuâ naturâ animal ſui conſervandi ſtudioſiſſimum (ideo naturâ ducitur ad ſocietatem civilem in ſui ſecuritatem, ad mutua invicem ferenda auxilia, & mala imminentia eò facilius â ſe depellenda) ſed per ſe ratione originis & primæ ætatis egenum, debile, & miſerabile, qui tantâ in tenerrima & prima ætate laborat virium & judicii imbecillitate, ut abſque aliorum auxilio & conſilio ſe regere & conſervare nequeat. Reliqua animalia ſtatim â prima quaſi nativitate ſe alere ſciunt, veſtibus non indigent &c. Ex oppoſito, homo à primâ nativitate per multorum annorum decurſum ſibi alimenta proprio marte acquirere non valet, nec abſquè veſtium tegumento vivere poteſt; qui ſi aliorum auxilio & cura non educaretur & regeretur, ipſo nihil foret miſerabilius, cui fame & frigore ſtatim pereundum. Ut ut homo ratione præditus ſit omnium animalium nobiliſſimum & digniſſimum animal, *l. 44. ff. de ædilit. edict.* multi tamen pravi affectus brutis animantibus ignoti, in hominibus deprehenduntur, ut ambitio, avaritia, cupiditas, libido, invidia, æmulatio, ebrietas, nocendi ſtudium, quod etiam ex ipſa rerum experientia notum; quia plurima bella, quibus genus humanum affligitur, ob has & alias cauſas brutis ignotas ab hominibus impiè geruntur; & quamvis homines naturâ neque dentibus, neque unguibus, aut cornibus ſint formidabiles, prout bruta animantia ſunt; habilitas tamen manuum & ſolertia ingenii hominibus talia ſuppeditavit arma, quibus vim vi validè reprimere poſſunt;

Homo ad duos præprimis fines eſt conditus, puta ad actionem & contemplationem, h. e. ad agendum & intelligendum; morales enim virtu-

virtutes homini ostendunt, quæ sibi facienda sint, & quomodo actiones suas rectè & laudabiliter instituere debeat homo; ob id etiam vocantur virtutes practicæ. Habitus verò intellectuales ostendunt, quomodo res rectè & benè cognoscendæ & dijudicandæ sint, ideo nominantur habitus contemplativi.

Homo naturali inclinatione ducitur ad societatem civilem propter colloquia, conversationem, mutuam operam, auxilium & securitatem; alioquin homini frustrà sermo sivè loquela à DEO esset data, si sine societate aliorum vivere deberet in solitudine, sibique solus vivere. Ideò Aristoteles vocat hominem ζῶον πολιτικὸν, animal politicum, sivè sociale solitudinem aversans, dum nullius boni sine socio jucunda sit possessio: nam si homini soli palatium regium maximis divitiis ac rebus omnibus abundans concederetur occupandum, inque eo ad vitæ finem sine sociis clausus vivere cogeretur; ipse utique tædio vitæ solitariæ inde dimitti spontè expeteret, ad societatem cum aliis imposterum colendam; aut expeteret, ut ad se admitterentur socii: quoniam sine socio molesta & tædiosa est omnium rerum possessio: ob eam rationem dicit jus divinum, quod homini non sit bonum esse solum, faciamus ei sociam &c. Societatem ideò affectat homo, ut utilitatem è communi hominum societate capiat, & ut aliorum auxiliis quietius & melius vivere, sequè contra aliorum insultus & injurias validius defendere possit. Hæc fuit principalis causa civitatum condendarum, ut tanta in iis sit multitudo hominum, qui communibus viribus se contra alios malitiosos & violentos defendere, ac securè vivere valeant: quod melius fieri non potest, quàm ut tota illa incondita hominum multitudo Imperantem, cui parent, sibi eligant, ut is (1) omnium salutem, & securitatem totius multitudinis contra quævis imminentia mala prudenter conservare, ac promovere studeat; (2) ut tota hominum multitudo in ordinem redacta certis præscriptis legibus & juribus regatur, ut amicè & pacificè vivat, quo confusiones, lites, jurgia, & intestini motus cautè avertat; quod puniendo malos, & defendendo bonos contra malorum injurias, facilè consequi potest; omnes enim metu pœnarum, & præmiorum exhortatione boni efficiuntur, *l. 1. ff. de just. & jur.* Sic humanis necessitatibus exigentibus jure gentium forma civitatis & reipublicæ est introducta. Hoc intuitu & intentione jus civile posteà à legislatoribus est conditum, ut respublica Romana posset esse beata, ut omnes cives

eâdem juris æquitate regerentur, ac tranquillè viverent; justi & boni ab injuria & vi malorum defenderentur, & mali condignis pœnis ob commissa delicta validè coërcerentur, cum effectus juris civilis sit, ut omnes subditi ad legum & magistratus obedientiam vel ad pœnam obligentur, *l.2. & l.7. ff. de legib.* Homines quidem ex lumine rationis & jure naturæ actiones suas sic dirigere possent, si vellent, ne quid contra tria universalia Juris principia, (1) honestè vivere, (2) neminem lædere, & (3) suum cuiquè tribuere, temerè committerent; cum hominum actiones ex proprio eorum arbitrio & judicio naturaliter dependeant. Verum quia juxta rectæ rationis dictamen, & jus naturæ actiones suas rectè formare nolunt, pravis affectibus impulsi; quid mirum, si vitam bruto pejorem vivant, ac tot peccatis & pœnis se spontè obnoxios reddant: si singulos hominum status singulatim examinaverimus, quis illorum est, in quo contra justitiam, & tria juris universalia præcepta non peccatur. Ipsi Reges & Principes interdum ob propriam violentiam & innatam pravam cupidinem extendendi limites imperii à justitiæ ac pietatis tramite temerè recedunt: Magistratus nonnulli propter injustas sententias, Sacerdotes quidam propter avaritiam & exiguum pietatis zelum; milites propter latrocinia & duella: mercatores propter infinitas fraudes, conjuges propter mutuam infidelitatem; juvenes propter corruptos mores & debachationem, puellæ propter impudicitiam, senes ob pravas consuetudines, literati ob vanam gloriam & æmulationem, & ignari ob crassam ignorantiam indies contra justitiam & leges peccant &c. (3) ut Imperans hanc hominum multitudinem civitatis condendæ causa coëuntium pro viribus ad hoc prudenter disponat, ut uberrimum & terrâ & aquis capiat proventum; & ut artes mechanicæ ibi floreant, commercia exerceantur, ne tantæ multitudini quid intempestivè desit; ob id cum homo hominis ope semper indigeat, varia artificia, commercia, opera, & vitæ genera ad commodius vivendum inventa & introducta sunt, ut id quod alteri deest, alterius ope, auxilio & industria resarciatur, & defectus naturæ sic tollantur. Eo fine rustici colendo agrum, ac sues, oves, boves alendo, reliquis mortalibus cibum parant, ne frumenta, vel carnes ad necessaria vitæ subsidia ipsis desint: sic ædificatores exstruunt domos, textores & sartores conficiunt vestes, sutores calceos, & artifices alii alia in aliorum utilitatem conficiunt; quia nemo solus sibi ad hæc omnia

commodè paranda sufficit. Æquum proindè est, ut, sicuti agricola ædificatori cibum suppeditat, ita ædificator agricolæ domum exstruat, convenienti tamen cujusque laboribus pretio; quoniam hominem ab homine juvari, humanum & naturæ conveniens est. In cœlo etiam habetur suavissima Beatorum societas, quæ incredibili multitudine sanctè colitur sine confusione; ubi est ingens magnitudo sine ambitione, incredibilis varietas sine contentione, magna Beatorum inæqualitas sine discordia; inexplicabilis charitas sine imminutione; nulla ibi inter Beatos est æmulatio, nulla dissensio, nulla altercatio, nec ulla ibi perturbatio: quæ mala omnia mortalibus omnem in terris adimunt felicitatem.

Homo. Vocabulum hominis de masculo tantùm in jure sæpè usurpatur propter excellentiam sexûs, *Matth. 19. v. 10. Genes. 2. v. 25.* aliàs in vulgari sensu vox hominis tàm fœminam, quàm masculum sub se comprehendit, *l. 152. ff. de verb. signif.*

Homo præsumitur vivere usque ad centum annos, *l. 56. ff. de usufruct.* quia nonnulli homines tamdiu vivunt; sed tunc ut plurimum repuerascere solent; deficientibus ingenii, judicii, & corporis viribus.

Homo animâ rationali & corpore constat. Anima rectoris officium, & corpus ministri vel instrumenti vicem subit; sic ut animæ imperio, & corporis servitio magis utamur; ideò anima hominis rationalis corpore longè est præstantior, & nobilior, *l. 17. C. de SS. Eccles.* ast eo ipso momento, quo anima à corpore separatur, homo non amplius homo, sed cadaver est, & mox in pulverem redigitur. Hîc porrò nota, natura omnium hominum est æqualis, quia homines animâ rationali, corpore, materia, ortu, forma & obitu conveniunt; ast animi ac corporis dotibus & divitiis valdè differunt, dum alter altero sagacitate, prudentiâ, robore corporis & divitiis longè sit præstantior. Homo ad imaginem DEI conditus est, ideò ante primi Parentis lapsum referebat divinam sapientiam in intellectu, & justitiam in voluntate, dum morigero appetitu erat instructus, ac notitiâ universali præditus.

Homo virtuosus & prudens duo imprimis prudenter regere debet, videlicet (1) animam, & (2) corpus. Ut autem quis animam (ceu nobilissimam hominis partem) in corpore rectè constitutam habeat, sedulò efficere debet, ut tranquillitatem animæ sibi pro posse comparet, quæ tranquillitas maximè consistit in domandis & com-

pescendis affectibus & animi perturbationibus. Sic homo virtuosus & prudens refrænare debet libidinem, spernere voluptates, coërcere iracundiam, supprimere avaritiam, ac repellere reliquas animi labes sivè vitia: ut autem quis corpus rectè curet, requiritur, ut sit sobrius in victu, nec voluptatibus corporis nimium deditus, ac sobrietatem commendet; natura enim ipsa paucissimis contenta est, superflua non affectans; juxta hæc asserta optimè cecinit Poëta:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas, &c.

Homo homini jure naturæ officium præstare debet; ratio est, quia homo naturâ ad societatem humanam colendam est natus, ut proximo suo jucundus & utilis esse possit. Ergò si hominem periclitantem tutò juvare possum, eumque meâ negligentiâ perire sino, peccatum mortale committo. Diversa tamen officia diversis personis diversimodè præstare debemus: nam alia erga æquales nostros, alia erga præstantiores, alia erga deteriores, & inferiores homines nobis præstanda sunt officia, *Cicer. libr. 1. offic.* Ex hoc fundamento fluit, quod non eadem officia promiscuè tribuenda sint patri, filio, conjugi, consanguineo, Magistratui, civi, vicino, servo, peregrino, hosti, benè merito, & ei, qui nos offenderit vel læserit. Nam patri maximè officia præ aliis debemus, qui post DEUM ortus nostri, & totius naturæ nostræ est autor & benefactor. Deindè filio præ aliis debemus officia, cujus ipsi causa sumus, & qui nostri quædam pars est; nam quilibet sibi, suisque prius prospicere debet; his proximi sunt consanguinei, & benè de nobis meriti, ob sanguinis nexum, & benè merita in nos collata: beneficia enim beneficiis jure naturæ sunt compensanda, ne pro acceptis beneficiis ingrati existamus: sic etiam magis obligor vicino meo, quàm alii civi, remotè à me habitanti, quia is tempore necessitatis me præ aliis adjuvare solet, & commodius potest.

Homo quatuor personas in vita communi repræsentare solet, (1) persona est communis, quam ab ipsa natura habemus, quâ omnes sumus ratione & oratione præditi: & sic brutis animantibus sumus nobiliores & perfectiores, (2) persona est propria, quæ ipsa est indoles cujusque privata, quâ quis pro naturali suâ inclinatione ab aliis distinguitur; (3) est persona fortuita, ab ipsa fortuna dependens, quâ quis fortunâ sic volente est Rex, Princeps, Comes, Baro, Nobilis, dives, &c. & (4) persona est voluntaria, à delectu volun-

voluntate, & judicio nostro proprio dependens, quâ quis evadit Theologus, Jurisperitus, Medicus, Philosophus, Miles, mercator, opifex, aut alius. Cum autem 4. hæ personæ in unam quasi coalescant, inq; uno homine existant, ideò quilibet sic se gerere debet, ut nihil temerè faciat, sed in singulis personis generalem ex omnibus quasi resultantẽ præclarè sustineat. Ergò sic utatur homo ratione & inclinatione suâ naturali, ut statum suum civilem maximè florentem & beatum efficiat, *Cicer. lib. 1. offic.*

Honestum inter omnia bona mundana censetur maximum & constantissimum, in virtute solidè fundatum: nam quamvis tria sint in mundo bona, quæ homines juxta moralia & politica præcepta regulariter expetere solent, & consequi student, puta, (1) honestum, (2) jucundum, & (3) utile; attamen honestum inter illa maximè eminet, quod latitudine suâ reliqua duo in se complectitur: quoties verò jucunda & utilia honestati resistunt, tunc inter bona non sunt recensenda, sed potiùs ut vitia meritò rejicienda; quoniam viro virtuoso nihil utile, nihilq; jucundum censendum est, nisi idem sit honestum: malè ergò faciunt, qui honestum, utile, & jucundum inter se distinguere cupiunt. Ex opposito, tria sunt contraria, quæ homines pro viribus fugere, & aversari solent, (1) turpe, (2) molestum, & (3) inutile, quæ tria contra hominum intentionem & scopum illis interdum obvenire solent. Hîc sciendum, quod omnia quæ naturâ suâ sunt honesta, omni loco & tempore deceant; & quod nihil utile vel jucundum sit censendum, quod honestati repugnat, vid. *l. 15. ff. de condit. instit.* ratio est, quia vir bonus nihil putat utile, vel jucundum, à quo honestum abest; eo respectu inquit *Cicero in offic.* pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honestate sejungunt.

Honor est bonum mundanum expetibile. Ergò homines majoribus honoribus functos ad minores vocari, æquitati naturali, & rationi non est conveniens, *l. 2. C. quemadmod. civil. muner. indic.* ratio est, quia viri honorati, & de republ. benè meriti in honoribus semper ascendere, & non descendere debent; ne retrò cancrorum instar turpiter incedere videantur.

Hypotheca est jus in bonis debitoris creditori legitimè constitutum in securitatem crediti, vide *t. ff. de pign. & hypoth.* quoniam creditores prudentes solent à suis novis debitoribus expetere, ut in securitatem contractûs mutui pignus vel hypotheca accedat: quod

fit

fit propter diffidentiam humanam, ne mutuo suo injustè priventur creditores.

Hypotheca & pignus in quatuor differunt, (1) pignus est rerum mobilium, *l. 238. §. 3. ff. de verb. signif.* & hypotheca est rerum immobilium, (2) pignoris possessio per traditionem transit in creditores; hypothecæ possessio non item, sed penes debitorem manet, *l. 9. §. 2. ff. de act. pignorat.* nam hypotheca nudâ saltem conventione contrahitur, quâ debitor obligat rem suam immobilem creditori, retentâ sibi possessione. (3) pignus est contractus realis, & hypotheca est pactum legitimum, *l. 17. §. 2. ff. de pact.* (4) ex pignore oritur actio pignoratitia, & ex hypotheca oritur actio hypothecaria, quæ multum invicem differunt. Illa est personalis, sivè in personam; quia ex contractu reali nominato descendit. Hæc est realis, quæ ex jure in re oritur, *l. 18. C. de pign.* unde vindicatio pignoris, quâ creditor rem sibi hypothecatam contra quemcunque possessorem persequitur. Illa scil. actio pignoratitia directa datur debitori contra creditorem ratione accepti pignoris ex cōtractu obligatum, ut pignus debitori soluto debito unà cum fructibus restituat, damnumque in re pignori datâ, dolo vel culpâ illatum resarciat, *§. fin. Inst. quib. mod. re. contrah. l. 40. §. ult. ff. de pign. action.* Hæc nimirum hypothecaria datur creditori propter jus reale sibi constitutum contra debitorem, vel tertium, ad rem hypothecatam prosequendam, *§. 7. Inst. de action.* Actio hypothecaria in genere est duplex, (1) est Serviana, (à Prætore Rom. Servio sic dicta) & (2) est quasi Serviana, *§. 7. Inst. de action.* Actio Serviana est actio prætoria, realis, quâ locator rem pignori expressè obligatam pro pensione fundi contra colonum, vel quemcunque possessorem persequitur. Actio quasi Serviana (ad exemplum Servianæ sic vocata) est, quâ reliqui creditores hypothecarii rem persequuntur contra quemcunque possessorem. Actio Serviana competit domino fundi sivè locatori contra colonum ob expressam conventionem, quâ colonus omnia sua bona in conductum prædium illata pro mercede fundi domino oppignorare voluit. Actionis quasi Servianæ causa efficiens à parte actoris est jus pignoris, quod creditor expresso vel tacito consensu debitoris habet in re pignorata, *l. 5. C. de pignor. & hypoth.* Hîc quæritur, an sub hypotheca generali etiam contineantur nomina, (sivè debita) jura & actiones? Resp. distinguendo inter hypothecam generalem omnium bonorum simplici-

pliciter, & inter eam, quæ est omnium bonorum mobilium & immobilium: si debitor priori modo omnia sua bona simpliciter creditori hypothecæ onere obligavit, tunc nomina & jura censentur etiam obligata, *l. 4. C. quæ res pignor. l. 49. ff. de verb. signif.* Ast si debitor posteriori modo bona saltem mobilia, & immobilia creditori hypothecata constituit, tunc reliqua excipiuntur; ratio est, quia nomina, jura, & actiones appellatione bonorum mobilium & immobilium propriè non veniunt, sed tertiam speciem à duabus antecedentibus distinctam faciunt, *l. 78. §. 1. l. 86. ff. de legat. 3. l. 7. §. 4. ff. de pecul.*

I*Gnorantia* est, cum de facto, vel de jure nihil scio, nec indè aliquid suspicor. Ignorantia est duplex, vel (1) est ignorantia juris, vel (2) est facti. Ignorantia juris iterum est duplex, vel est (1) ignorantia juris naturalis, & universalium, vel (2) est civilis. Illa neminem excusat, aut ei patrocinatur, quia quis in tali casu ex supina negligentia peccat, e. gr. quando ignoramus, num nobis honestum, vel justum sit eligendum spreto inhonesto & injusto, vel ubi ignoramus, à vagis libidinibus & incestu esse abstinendum. Hæc scilicet civilis ignorantia quadantenus excusat, quæ magis est singularis, ratione loci, temporis, personæ, modi, aliarumque circumstantiarum excusationem interdum admittens. Ignorantia facti est, quando quis id, quod in casu, vel natura contingenter positum est, accidisse ignorat, *l. 1. §. 1. ff. de jur. & fact. ignor.* Ignorantia facti est duplex, vel est ignorantia facti proprii, vel alieni. Ignorantia facti proprii est, quando quis nescit, quid ipse fecerit, vel in instanti momento faciat, qualis meritò dicitur insipidus & stolidus, *l. ult. C. de hæred. instit.* qualis crassa ignorantia in jure censetur intolerabilis, *l. 7. ff. ad SCt. Vellej.* quoniam nemo tàm stultus, quin sciat, quod agat. Dantur tamen casus, in quibus facti proprii ignorantia impunè toleratur, ut (1) si factum proprium valdè sit intricatum, ubi vel error calculi, vel aliud aliquid humani accidere potest, (2) si de damno vitando, remoto omni lucro captando sine injuria alterius certetur, puta, si forsan indebitum sit solutum, (3) si factum proprium sit antiquum, cujus quis ob temporis diuturnitatem est immemor. Quod ignorantiam facti alieni concernit, alia subest ratio, *de qua in titulo subseq.* Hîc probè advertendum, quod prudentes titulum de justitia & jure, de legibus & judiciis accuratè evolvant, & eruant. Ex opposito, literarum, jurisque rudes

studeant in titulo ff. de juris & facti ignorantia, quibus ob crassam juris ignorantiam nec æquitas naturalis, nec honesti ratio, nec justitia est cordi, sed illis æquum & iniquum, honestum & turpe æquè gratum & acceptum est, quàm ipsa virtus & jurisprudentia.

Ignorantia facti alieni regulariter excusat, *l. 1. ff. de jur. & fact. ignorantia.* ratio est, quia nemo præsumitur scire aliorum facta, ad quæ examinanda & inquirenda nemo specialiter est constitutus. Excipe hic casum, nisi aliorum facta longius proserpant, & satis innotescant; quo casu vicinus præsumitur scire acta vicinorum. Ast ignorantia facti proprii regulariter non excusat; qualis in jure habetur supina & crassa, estque intolerabilis, *l. 6. ff. h. t.* quia nemo censetur tàm stolidus, ut propria facta ignoret; nisi ex justa ac probabili causa agat de damno vitando, *l. 22. §. 1. ff. de condict. indeb.* quia errare humanum est. Ex dictis liquet, quod is crimini non sit obnoxius, qui cum fure, latrone, perduelle, vel homicida, &c. ex justa & non affectata criminis ignorantia quotidiè conversatur; dum delicti non est conscius, nec socius criminis, *l. 3. §. 3. ff. de incend. ruin. naufrag.* Sic qui bannitum vel criminis læsæ Majestatis reum ignoranter recepit, excusatur à pœnâ receptantium bannitos; nam cessante dolo, cessat & pœna inde oriens.

Ignorantia juris neminem regulariter excusat, *l. 1. ff. de jur. & fact. ign.* limitatur regula in personis privilegiatis, puta, in minore, rustico, milite, & muliere, quibus licitum est jura ignorare; milites enim magis arma, quàm leges scire præsumuntur; item rusticus magis aratrum, & mulieres magis colum tractare intelligunt.

Immunitas est exemtio à muneribus & oneribus publicis constitutione Principis constituta, quam Princeps alicui contra juris normam ex singulari gratia & privilegio clementer concedit, vid. *t. ff. de jure immunitat.* Immunitates variis modis concedi solent, vel (1) singulis personis, ita ut iis mortuis exspirent, nec ad eorum hæredes transeant, *l. 5. §. 4. ff. h. t.* vel (2) conceduntur familiæ, quo casu immunitates ad hæredes & liberos quoque transeunt, *l. 4. ff. h. t.* vel (3) dantur collegio, quales sunt perpetuæ, quod fit ob eam rationem, quia collegia censentur perpetua, ubi in demortuorum loca semper alii substituuntur, *l. 7. §. fin ff. quod cuique univers.* Cum quis olim apud Hebræos duxisset uxorem, donabatur ei immunitas unius anni ab omnibus oneribus. Hic porrò nota, quod munera sivè onera, à quibus quis mediante speciali Principis privi-

 legio

legio eximitur, & immunis redditur, sint triplicia, (1) personalia, (2) patrimonialia, & (3) mixta. Munus sivè onus personale est, quod quis corporis labore & animi sollicitudine, provisione ac vigilantiâ suscipere & administrare cogitur sine sumptu & damno gerentis; qualia munera sivè onera sunt tutela & curatela, *l. 1. pr. §. 3. & seqq. ff. de muner. & honor.* Munus patrimoniale vel reale est, quod sumtus patrimonii requirit, ob id sine damno administrantis esse non potest; e. gr. ut quis hospites recipere cogatur, vel equos alat: item ut quis aliquid de possessionibus, agris, vel ædificiis tributi nomine solvat, *l. 6. §. 4. & seq. ff. h. t.* Munus sivè onus mixtum est, quod partim corporis obsequio, partim patrimonii damno constat, *l. 18. §. 26. & seq. ff. de munerib.* Munera patrimonialia omnibus civibus regulariter imponuntur ab ipso Imperatore, vel Majestatem habente, quia ad regalia spectant, *2. feud. 26.* Ab oneribus sivè muneribus personalibus regulariter immunes sunt milites, Clerici, Nobiles, Doctores, Consiliarii, Professores, &c. *l. 9. pr. ff. de jur. immunitat. l. fin. C. de Profess. & Medic.* A patrimonialibus muneribus hæ personæ tunc demum sunt immunes, si indulgentia & gratia Principis accedat, dato vel concesso speciali privilegio: sic (1) Clerici immunes sunt in domo, quam inhabitant, (2) Doctores & Professores, *l. 6. & ult. C. de Profess.* In hoc negotio probè observandum, quod immunitas alicui gratiosè concessa in se non includat munera extraordinaria, quasi ab iis quis etiam esset exemtus, necessitate urgente, & salute reipubl. suadente; quoniam talia onera in reipublicæ salutem meritò ab omnibus solvenda sunt, *l. 1. C. de indict.* ob id in tali prægnanti casu nec Nobilis, nec Clericus, nec Doctor eximitur.

Impensæ sunt sumtus in rem alienam facti. Impensarum quædam sunt necessariæ, quædam utiles, quædam verò voluptuariæ. Necessariæ sunt, quæ habent in se necessitatem impendendi, ut, si illæ non essent factæ, res, in quam collatæ sunt, aut peritura, aut deterior fuisset facta, *l. 1. §. 1. ff. de impens. in res dotal. l. 79. ff. de verb. signif.* e. gr. ædificia vetera vel ruinosa fulcire, aut reficere &c. Utiles impensæ sunt, quæ rem meliorem efficiunt, ac fructus augent, *l. 5. §. ult. ff. h. t.* Voluptuariæ impensæ sunt, quæ ad voluptatem tantùm & ornamentum rei pertinent: quæ speciem duntaxat ornant, sed fructum rei non augent: nam sivè tales impensæ collocentur, vel non, indè res nec fructuosior, nec deterior censetur futura.

Impensa funeris ex hæreditate semper deducitur, quæ & omne creditum præcedere solet, quando bona non sunt solvendo, *l. pen. ff. de relig. & sumpt. funer.* quod fit favore pietatis, ne cadavera maneant insepulta; quod sæpissimè fieret, nisi debitum hoc præ aliis debitis esset privilegiatum, ut creditor mediante actione funeraria sumtus in funus honestè & necessariò collatos justè recuperet, *l. 12. §. 2. ff. dict. tit.*

Imperator dicitur Dominus mundi, *l. 9. ff. ad L. Rhodiam.* non quidem absolutè, sed secundum quid, & synecdochicè pro majore mundi parte, hoc est, per excellentiam. Olim quidem Imperator Augustus & nonnulli alii Imperatores Romani ante divisum Orientale & Occidentale imperium possederunt maximam terrarum partem, ut toti quasi terrarum orbi leges præscripserint, tributaq; exegerint. Ast hodiè abstracto per Turcarum tyrannidem, bestiq; vim Orientali imperio, minimam vel exiguam mundi partem habet Imperator. Nam olim regnante Augusto, Trajano, Diocletiano, &c. longitudo imperii fuit 90. graduum, (quilibet gradus facit 15. miliaria germanica) & latitudo 45. graduum. Hodiè verò imperium Imperatori adhuc subjectum, vix longitudine & latitudine decem gradus implet, & sic vix vigesimam partem veteris facit, &c. Hinc sicuti in flore urbis Romæ conditæ nihil fortius fuit Romano imperio: sic in fine, (puta calamitoso hoc tempore) nihil debilius & dissolutius invenitur, *teste Hieronymo ad c. 2. Danielis*, cui nihil olim defuit, nisi modicum orientis. Ideò etiam S. Augustinus tria videre desideravit, Romam (ceu totius tunc temporis mundi dominam) in flore, Paulum in ore, & Christum in carne, &c. Hoc Imperium Rom. nunc post tot seculorum lapsum in tantum debilitatum, diminutum, & distractum est, ut ex immenso antiquo R. Imperio nihil amplius supersit, nisi modicum imperii occidentis, quod vix quadragesimam veteris imperii portionem efficit. Ex dictis clarè patet, Imperatorem in sensu proprio non esse totius mundi Dominum, neque de jure naturæ & gentium, neque de jure civili: non jure naturæ, quia nunquam totum terrarum orbem plenè occupavit; plurimæ namque regiones attestante ipsâ experientiâ ante seculum demum sunt inventæ, & antiquis temporibus infinitæ gentes, (ut Scythica, Sarmatica, &c. imprimis gentes ultra Euphratem ut totus oriens) Romana Sceptra non agnoverunt; cum quibus Romani vel fœdus olim pepigerunt, vel pacem aut amicitiam colue-

fuerunt, *l. 5. §. 2. & l. 7. ff. de captiv. & postlim. reverf. l. 4. C de commerc. & mercat.* nec Imperator jure civili factus est totius mundi Dominus, quoniam neque per electionem, neque per successionem ad tam amplissimum totius orbis dominatum pervenit, *d. l. 4. & l. 2. C. de offic. præfect. prætor. Afric.*

Imperator legibus, (intellige civilibus) solutus est, *l 31. ff. de legib.* attamen digna est vox Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, *l. 4. C. de legib.* quod autem ad leges naturales, Divinas, & fundamentales attinet, iis Imperator per omnia est astrictus; ratio est, quia juri naturæ, quà homo; juri Divino, quà Christianus, & juri fundamentali quatenus Princeps juravit: ideò leges has imperii servare, in conscientia obligatur. Cæterùm Imperatoria Majestas & potestas immediatè est à DEO, quia DEI gratiâ Imperatores & Reges regnant, *Proverb. 8. v. 15. & seq.* quo fine in *l. 12. C. de legib.* asseritur, quod nihil in terris majus, aut sanctius sit imperiali Majestate.

Imperator contra Hypolitum à Lapide, Magistrum Samuel. Puffendorffium, & alios imperatoriæ Dignitatis destructores justissimè defenditur; nam quod Imperator hodiè habeat summam potestatem, licet limitatam, sivè restrictam, sed sine diminutione Majestatis, ex subsequentibus patescit; ratio est, quia utitur plenitudine potestatis aus Römischer Käyserl. Macht und Vollkommenheit/ vide *auream bullam in præfat. circa fin. & tit. 2. in pr. t. 8. 13. & 16.* idcirco meritò dicitur caput imperii, *Aur. Bull. tit. 2.* erwöhlen ein weltlich Haupt dem Christlichen Volck/ *Recess. Imperii 66. §.* wollen auch. quem ipse Turcarum Imperator Principem Christianorum vocat summum. Nec ad Majestatem Principis absolutè requiritur, ut is sit omninò liber & absolutus, quoniam omnes Imperatores, Reges & Principes Majestatem habentes regulariter legibus fundamentalibus, in quas sub auspicio regiminis jurare coguntur, sunt astricti. Optandum tamen foret, Imperatori pro sua Majestate facultatem esse concessam, imperium liberiori brachio regendi, ut sub ejus regimine dissoluta & discordantia imperii membra magis ad unitatem & firmamentum patriæ redigerentur; sic Germaniæ robur & potentia undique unita longè esset fortior, & Turcis, Suecis, & Galliis formidabilior, à quibus hostibus sæpissimè affligitur nobilis Germania. Jam tamen per DEI gratiam Suecorum vires & imperium diminui incipit, in totius Imperii Romano-Germanici securitatem ac solatium.

Imperator est caput totius imperii Romano Germanici, & origo omnium dignitatum. ideo omnes Electores & Principes Germaniæ sunt vasalli Imperatoris Germanici; Ratio est, quia omnes ab Imperatore investituram accipiunt, & Imperatori in solenni inauguratione fidelitatem & obsequium jurati promittere coguntur: quæ omnia sunt signa subjectionis *2. feud. 5. l. 7. & 22. §. curia autem.* Electores etiam Imperatori electo sceptrum, coronam, globum aureum, ut præcipuum imperii insigne, gladium & amictum porrigunt *aur. bull. c. 24.* His symbolis & Imperatoriis insignibus inauguratio & coronatio Imperatoris præprimis coruscat &c. Imperator quoad regalia & jurisdictionem maris instar est, quod fluminum concursu neque augetur, neque minuitur: hinc sicuti ex Imperatore, ceu fonte perenni regalia sive jura superioritatis & jurisdictiones immediatè promanant, & ad Electores, Duces, Marchiones, Principes, Comites, Barones &c. per investituram, privilegia, concessiones, & confirmationes transferuntur: ita illa ad eundem, ceu oceanum per appellationes, nullitates, & querelas refluunt, & concurrunt. Solus Imperator in Imperio Reges, Principes, Comites, Barones, & Nobiles creare potest, eosque majoribus feudis regalem dignitatem annexam habentibus investire potest; *Aurea Bulla Caroli IV. tit. 5.*

Imperatoris, Regis, vel Principis autoritas & officia in duobus præprimis consistunt, puta in legibus & armis conservandis & excolendis: quorum alterum belli, alterum pacis tempus concernit. *procemio Institutionum*, Civilis enim vita, inquit, Aristoteles in bellorum & pacis oportunitate est divisa, utrumque cum fructu & prudentia colere convenit. Legibus domi in toga & pace utimur; armis verò in bello opus est *l. un. C. de Justin. Cod. confirm.* quæ duo ita inter se sunt connexa, ut alterum alterius auxilio semper indigeat; cum nec arma sinè legibus consistere, nec leges sinè armis conservari possint: hinc factum, ut Romani legibus & armis conjunctim totum fermè terrarum orbem sibi subjecerint, armis constringendo, legibus conservando. Hic incidenter quæritur, utrum leges armis præferri debeant, vel vice versâ arma legibus? Resp. affirmando prius: nam sicuti aurea pacis serenitas est optabilior belli calamitate *l. un. C. de caduc. tollend.* ita legum observantia armorum præsidio præstat. *Novell. 26. c. 1.* cum bellum ad impetrandam pacem geramus; undè haud incongruè Philosophorum axioma hic quadrat,

drat, propter quod unumquodque tale est, illud magis est tale; sed bellum est tale propter pacem &c. Idcirco leges haud immeritò vocantur dextrum mundi brachium, & legiones sinistrum; quò respexit Cicero, dum dicit: *cedant arma togæ, concedat laurea linguis.*

Imperia terrestria non à fato (ut quidam falsò opinantur) sed à Dei dispositione principaliter dependent, *Roman. 13. v. 1.* ratio est, quia per DEUM omnipotentem cœli & terræ conditorem & gubernatorem Reges regnant, & Principes dominantur, *Proverb. 8. v. 15.* quo intuitu optimè dixit Imperator Justinianus *in l. 1. C. de veter. jur. enucleand.* DEO autore nostro gubernante imperium, quod nobis à cœlesti Majestate traditum est, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus &c. Ideò etiam Princeps dicitur Dei vicarius, *Sapient. 6. v. 5.* & lex animata, *Novell. 105. c. 2. in fin.* Nam à DEO regnorum omnium initium, omnis salus, incrementum, decrementum, & occasus primariò dependent. Hinc ut regna & respublicæ mutentur, vel transferantur in aliam reipubl. formam, aut de uno in alium transferantur imperantem, id divinæ dispositioni est adscribendum.

Imperium Romanum à Romulo urbis Romæ autore conditum est anno mundi 3197. & ante Christi nativitatem anno 751. Hoc Rom. Imperium varias interdum habuit mutationes (1) à condita urbe Româ usquè ad annum 244. imperium fuit regale, habuit 7. Reges sibi invicem succedentes: primus fuit Romulus, urbis & reipublicæ Romanæ conditor; 2dus Rex, & Romuli successor fuit Numa Pompilius, sacrorum apud Romanos autor: 3tius fuit Tullius Hostilius bellis totus deditus: 4tus fuit Ancus Marcius: 5tus Tarquinius primus; 6tus Servius Tullius, & 7timus Tarquinius secundus, qui à superbo suo & malo regimine vocabatur superbus, in Senatores Romanos pro libidine sæviens, omniaquè ad diminuendam populi Romani libertatem malitiosè faciens, stupratâ per vim Lucretia, regno justè pullus est. Hujus Tarquinii crudelitas & impietas populo Romano occasionem dedit, ut formam imperii Romioni pro libertate populi Romani conservanda mutaverit in Aristocratiam, in qua consules & senatores Romani, ceu optimates ad tempus imperabant: tunc temporis maxima fuit senatus Romani autoritas. Haud diu post forma imperii Rom. iterum in Democratiam est transversa, ubi summum consulare imperium etiam plebi communicabatur. Tandem 440. regimen Rom. in Monarchi-

cum

cum statum transiit ob varia civilia bella exorientia, & intestinas quorundam præpotentium civium Rom. (ut Pompei, Syllæ &c.) conjurationes: totus enim populus Rom. Octavianum Augustum, sub quo Christus mundi Salvator natus est, unanimi consensu creavit Imperatorem Rom. Hic Augustus non Rex, sed Imperator ob exosum nomen regium ad ambiendum populi favorem salutari voluit: quoniam regium nomen ob Tarquinii tyrannidem Romanis perquàm invisum erat. Augusti successor erat Tiberius; post hunc Caligula, Claudius, Flavius, Vespasianus, &c. Ab Augusti tempore per tria integra secula Imperatores fuerunt Ethnici, Christianorum gravissimi persecutores. Constantinus Magnus circa finem seculi tertii existens, fuit primus Imperator Christianus; hic sub initio seculi quarti relictâ iniquâ Imperatorum sede Romanâ occidentali, se contulit Bizantium in orientem, ibique sedem Imperatoriam constituit. Hanc urbem Bizantium postea à suo nomine jussit vocare Constantinopolim. Hac occasione imperium successu temporis inter Constantini filios post parentis fata est divisum in occidentale, (quod erat antiquum Romanum Imperium) & orientale, (quod erat novum imperium Bizantii sivè Constantinopoli constitutum.) Sub hac etiam forma Honorius Imperator circa finem seculi quarti occupavit imperium occidentale Romæ, & Arcadius orientale Constantinopoli tanquam distincta regna; utrumque tamen mansit sub communi imperii Romani nomine, acsi adhuc ab uno administraretur. Hæc imperii Romani divisio à Constantini M. obitu duravit 500. annos usque ad Carolum Magnum: interea circa finem seculi quarti Vandali, Hunni, & Gothi miserrimè devastarunt Italiam, eamque diu tenuerunt; sed eos postea anno Christi 526. forti manu indè depulit Imperator Justinianus &c. Cæterùm orientale Imperium Rom. diu quidem floruit, sed anno Christi 1420. à Turca Christiani nominis hoste infensissimo miserè extinctum est: Turca enim armata vi occupando urbem Constantinopolim in oriente 12. regna, & plus quàm ducentas urbes Christianis tunc temporis ademit, inque æternam redegit servitutem &c. Hoc modo Imperatores Græci in oriente exstirpati sunt, cum ingente Christianorum & Christianismi damno.

Imperium Romanum à Carolo Magno anno Christi 800. ad Germanos translatum, vocatur Romano-Germanicum. Hoc imperium con-

constat capite & membris. Caput Imperii R. germanici est Imperator, membra sunt Status, & Proceres imperii, vide *recess. Imp. de anno 1530. §.* dergleichen *rc.* als Römischer Kåyser und Haupt/ & *recess. Imp. de anno 1546. §.* Dieweil aber *rc.* vocantur Status Imperii Glieder des Reichs. Rex Neapolitanus Alphonsus tantam Imperatori tribuit Majestatis venerationem, ut spontè dixerit, nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori, tanquam summo Regi, qui est Caput & Dux Regum; & qui etiam Reges, Electores Principes, Comites, Barones, Nobiles, & Doctores creare potest. Imperium tamen non est purè Monarchicum, cum Electores & Principes tantâ pollent autoritate, ut Imperatori in negotiis publicis gravioribus nihil quicquam facere vel decernere liceat absque Statuum consensu. Ideò Imperium est ex Monarchia, & Aristocratia mixtum, non autem irregulare; prout atheus M. Samuel Puffendorff in diabolico suo jure naturæ pessimè sentit. Status Imperii omnes dividuntur in tres classes. Prima classis est Electorum, quorum recensentur octo, ut (1) Rex Bohemiæ, (2) Moguntinus, (3) Trevirensis, (4) Coloniensis, (5) Dux Bavariæ, (6) Dux Saxoniæ, (7) Marchio Brandeburgensis, & (8) Palatinus. Secunda classis est Principum, tam Ecclesiasticorum, quam Secularium. Inter Ecclesiasticos sunt 4. Archi-Episcopi. 47. Episcopi, multi Abbates, Abbatissæ, Prælati: inter Seculares Principes referuntur Duces, Marchiones, Comites Palatini, Principes, Comites & Barones Imperii. Hic notandum, dantur quidam Principes, & multi Comites, & plurimi Barones, qui neque sessionem, nec votum in Comitiis habent, nec imperio immediatè sunt subjecti; quos aliis dignitate longè minores censent jura &c. Tertia classis est civitatum imperialium numero 64. Hæ civitates vocantur liberæ, quia Principum jurisdictioni non sunt subjectæ, sed Imperatorem immediatè agnoscunt Dominum: Dividuntur in duo scamma, utpote in Svevicum & Rhenanum. Habent quoque propria territoria urbibus suis circumjacentia, & jura territorialia, (die Landes-Obrigkeit; ast non die Landes Fürstliche Obrigkeit; Ratio est, quia civitates liberæ habent jura principum realia, scilicet territorii, non autem personalia; cum in civitatibus liberis nullus sit Dux vel Princeps eas regens, sed Magistratus civicus eligitur è civibus prudentioribus.) Ex istis juribus Principum realibus, civitatibus ab Imperatore gratiosè concessis fluit, quod civitates liberæ sua habeant regimina,

suosque sibi constituant Magistratus, gaudeant jure cudendæ monetæ, & merum ac mixtum habeant imperium, sintque provinciarum instar &c.

Imperitia rei alicujus per se non est culpa, quia non omnes omnia scire possunt; sed eatenus est culpa, quatenus quis profitetur peritiam, sivè scientiam alicujus rei, seque pro artifice gerit, artem tamen ignorat, vel contra artis ejus præcepta ignoranter agit: e.gr. si Medicus ægroto malè subministravit medicamenta, vel judex contra leges & jura aliquem in judicio iniquè condemnavit; quibus casibus uterque contra doctrinam, quam publicè profitentur, gravissimè peccant. Hinc jura dicunt, imperitia culpæ annumeratur *l. 132. ff. de R.J.* de qua in legibus varia afferuntur exempla, ut *in l.8. §.1 l.27. §.29. ff. ad L. Aquil. §.7. Inst. d. t. l.9. §.5. & l.60. §.4. ff. locat.* Ideò si Medicus per imperitiam ægroto medicamenta noxia dederit, verè delinquit *d. §.7.* ratio est, quia contra professionem artis ex ignorantia crassè ac dolosè peccat: quare autem Imperator Judicem imperitum contra juris doctrinam & Justitiam quid iniqui statuentem, quasi saltem delinquere statuat, sive ex quasi delicto duntaxat teneri, solida juris ratio ab Interpretibus juris dari nequit: quia nulla in utroque delinquente est diversitatis ratio; dum uterque inscitiâ verè delinquit, & contra scientiam, quam publicè profitentur, crassè peccant, damnumque inscitiâ sua aliis per fictam & dolosam suam scientiam inferunt. Ob eam rationem Imperator Justinianus in *Novell. 127. c.4.* statuit, quod justum sit, in delicto æquali æquales delinquentibus imminere pœnas: nam quos par facinus coinquinat, eos similis pœna comitetur *l. 31. in fin. C. de Episcop. & Cleric.*

Impossibilia quid præstant? Resp. nemo potest ad impossibilia obligari, *l. 185. ff. de R. J.* quoniam nulla vi & viribus humanis piè, justè & honestè effici potest, ut impossibilia homini fiant possibilia. Hîc observandum, quod impossibile sit duplex, (1) naturâ, & (2) lege tale. Impossibile naturâ tale est, cœlum digito attingere, mare ebibere. Impossibile lege tale, sivè moraliter impossibile est, promittere alicui, se velle Deum abnegare, adulterium vel homicidium committere, crimen læsæ Majestatis in Principem vel rempublicam proditorio & hostili animo perpetrare; facta enim, quæ lædunt pietatem, existimationem, vel verecundiam nostram, ea nec facere nos posse (per juris fictionem) credendum est, *l. 15. ff. de condit.*

condit. instit. Quod primum concernit, si quis in contractu impossibile naturâ promittat, quod velit ebibere totum mare &c. inde non obligatur, sed tale promissum resolvit & annihilat contractum; ratio est, quia contrahentes in tali casu ludere, & non seriò negotium tractare præsumuntur. *vide l. 35. ff. de verb. oblig.* ubi dicitur, si stipuler, ut id fiat, quod natura fieri non concedit, non magis obligatio consistit, quàm cum stipuler, ut detur, quod dari non potest. Alterum lege impossibile nullo planè modo obligat, quia jure naturæ tam absurdum & turpe habetur, ut quilibet bonus sibi ob adjunctam turpitudinem fingere & imaginari debeat, se propter honestatem, pietatem, & illæsam conscientiam hoc facere nullo modo posse, *d. l. 15.* Hîc in fine restringitur regula ratione ultimæ voluntatis, ut si testamento impossibilis conditio sit adjecta, illa habetur pro non scripta, quasi testamento non esset apposita; quod ideò fit, ut ultima testatoris voluntas (si illa modò non fuerit contra leges, *l. 55. ff. de legat. 2.*) quovis modo conservetur, quia testator non præsumitur ludere, sed seriò agere, qui ex ignorantia quadam impossibilem conditionem testamento adjecit. Idem statuitur de matrimonio in ejus favorem *c. fin. X. de condition. apposit. in desponsat.*

Impotentia conjugis quid operatur? Resp. si vir vel uxor impotentiâ coëundi laboret, & alter conjugum ob naturæ fervorem absque coitu haud commodè vivere possit, si is tali in casu cum alienâ personâ extra conjugium illicitam venerem libidinosè exercuerit, & adulterium commiserit, pœna ordinaria non habet locum; sed talis delinquens mitiori pœnâ pro arbitrio Judicis punitur; ratio est, quia is non tam graviter delinquit, qui causâ aliqua commotus vel irritatus delinquit, quàm qui temerè absque ulla causa id perpetrat, *l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. & l. 14. §. 6. ff. de bon. libert.* Quod si impotentia coëundi fuerit incurabilis, ut maritus cum uxore ob corporis aliquod vitium coire nequeat, & matrimonium præcesserit, ac per eam parti sivè personæ innocenti injuria dolosè sit illata, matrimonium non subsistit, sed justè resolvitur, *caus. 33. q. 1. c. 1. & seq.* quia unusquisque ad conjugalem statum & perpetuum istum conjugum convictum afferre debet, quæ faciunt ad consequendum matrimonii finem, cujus causa matrimonium est institutum; si verò dolosè in iis decipiatur alter conjugum, matrimonium habetur irritum. Ast si impotentia alterius conjugis post matrimonium

jam initum supervenerit, illud non rumpit conjugium; attamen conjugem fervoris æstu in adulterii crimen ex carnis imbecillitate incidentem, ab ordinaria adulterii pœnâ excusat. Hæc impotentia coëundi interdum ex causis naturalibus, vulnere, lapsu, vi ponderis, vel vehementi morbo evenire solet, interdum ex ligatura magica; dum conjuges à Sacerdote copulantur, solent malefici vel incantatores in fraudem futurorum conjugum seram vel nodum constringere, additis certis superstitiosis verbis, ut conjugium illud efficiant sterile; quod gravissimum certè peccatum, ac acerbissimâ pœna dignum.

Impubes pubertati proximus censetur doli capax *l. 111. ff. de R. J.* ideò talis ex furto, homicidio, & aliis delictis obligatur *l. 7. C. de pœn.* excepto adulterio, quod ante pubertatem committere nequeunt impuberes; attamen ob teneram ætatem & judicii defectum propter delicta commissa non tam severè puniuntur, quàm majores natu; quoniam ætatis commiseratio in iis est habenda, *l. 108. ff. de R. J.*

Impuberes non possunt facere testamentum *l. 5. ff. qui testament. fac. poss.* quia ob teneram ætatem, & judicii defectum negotia civilia non rectè intelligunt. Ob id meritò ab omnibus officiis civilibus removentur; nam incivile esset, imò contra naturalem rationem, tales, qui propriis rebus validè præesse non valent, & alieno indigent auxilio & consilio, ad res publicè vel privatim gerendas adhiberi, *l. 2. §. 1. ff. de R. J.* quoniam impuberum ætas in crassâ adhuc rerum mundanarum ignorantia versatur, *l. 1. C. de fals. monet.*

Incendium regulariter culpâ inhabitantium exortum præsumitur, *l. 3. §. 1. ff. de offic. præf. vigil.* præprimis si incendium in ipsis ædibus est exortum, & inhabitans non est homo diligens in rebus suis conservandis vel custodiendis; si verò inhabitans sit homo diligens, vel ignis aliundè ortum habeat, vel ab incendiariis, vel tonitru, & fulgure sit immissus, incendium non censetur culposum, sed ratione inhabitantis casuale creditur; nam quæ casu fortuito vel improviso potius, quàm fraude accidunt, fato, non noxæ imputari debent, *l. 1. C. ad L. Cornel. de sic.* Vide Gailium *l. 2. obs. 22.* de his prolixè tractantem, & Carpzovium in praxi criminali *d. l.* Ex dictis colligere licet, quod incendium ex triplici causâ oriri soleat, (1) ex dolo, (2) culpâ, vel (3) casu. Ex dolo, quando incendiarius dolosè

Iosè incendit alterius ædes, quale delictum ignicremio ob criminis atrocitatem meritò est puniendum, *constit. crim. Caroli V. art. 125.* Ex culpa fieri solet, quando inhabitantes, vel alii hospites ignem negligunt, & sic ex eorum negligentia ædes comburuntur. Casu fit, quando fulgure, vel igne cœlitùs demisso ædes comburuntur.

Incestus est coitus illicitus inter consanguineos vel affines, ascendentes (puta parentes) & descendentes (nimir. liberos) vel collaterales perpetratus; hoc crimen censetur adulterio gravius, *l. 38. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. can. adult. 32. quæst. 7.* præsertim si in linea recta ascendenti & descendenti, vel inter fratres & sorores sit commissus. Incestus crimen communiter adulterii pœnâ vindicatur. Ergò si quis in linea recta vel collaterali, & quidem in gradu proximo nuptias contrahat, tales ob arctum sanguinis nexum non subsistunt, sed dissolvuntur, quia ab initio fuerunt vitiosæ, & tales pœnâ gladii puniuntur. Incestæ nuptiæ dicuntur, quæ minimè sunt castæ, à quibus abest pudor & honestas, quibus reverentia sanguinis obstat.

Individuum in jure dupliciter accipitur: nam quædam naturâ sunt individua, quædam lege sunt talia: sic omnia naturâ individua, etiam lege sunt individua: ast non contrà. Prioris generis est servitus personalis mixta, quæ tota à toto prædio & qualibet ejus parte debetur, *l. 9. 26. & 23. ff. de S. R. P.* quæ enim in partes dividi nequeunt, solida debentur singulis. Posterioris generis est homo: nam licet homo physicè in sua membra, caput, ventrem, brachia, pedes, &c. dividi possit, hoc tamen lege non conceditur. Ergò si totus homo promissus, vel in stipulationem deductus non datur, stipulationi non fit satis, *l. 2. §. 1. ff. de verb. oblig.*

Infamia est privatio bonæ famæ sivè existimationis, & indè dependentium jurium, quibus infamis, ob violatam turpibus factis vitæ, morumque honestatem, justè privatur. Quoniam autem turpia quædam facta jus sivè leges expressè notant; quædam verò honestorum virorum censuræ relinquuntur; ideò infamia dividitur in infamiam juris & facti. Infamia juris est, quæ alicui ob turpe factum cum dolo conjunctum, & legibus notatum irrogatur, *l. 20. ff. de his, qui notantur infamia.* Infamia juris iterum dupliciter irrogatur, vel (1) immediatè à jure sivè legibus; vel (2) mediatè per sententiam judicis. Infamia juris immediatè irrogatur sine prævia judicis sententia; ubi leges hominem ob factum turpe satis noto-

torium infamant, e. gr. si quis binas nuptias ex quadam libidine simul contrahit, vel lenocinium instituit, sordidè alendo quæstuarias mulieres, uxorem vel liberos impiè prostituendo, &c. vel si quis lucri causa in scenam publicè prodeat, *l. 1. in fin. & l. 4. §. 2. ff. d. t.* Infamia juris mediatè irrogatur illis, qui per judicis sententiam in judiciis famosis ob dolum publicè condemnantur; & quidem vel primò in judiciis publicis ob adulterium & læsæ Majestatis crimen, &c. *l. 7. ff. de publ. jud.* vel (2) in judiciis privatis, ut furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, *dict. l. 7.* Infamia facti est, quæ alicui ob factum jure sivè legibus specialiter non notatum, quod tamen viri honesti & graves judicant esse turpe, irrogatur, *l. 13. C. de his, qui not. infam.* Ex dictis constat, quod omnis infamia turpe aliquod factum & dolum requirat. Ergò nulli præter meritum cessante dolo infamia irroganda est. Ob eam causam opiliones, molitores, balneatores, textores, chirurgi, tibicines &c. cum suis filiis non sunt infames, *Ordin. Polit. de anno 1577. tit. 30. §. 1.* propter hanc rationem statuta in collegiis opificum vigentia, & contrarium statuentia juri communi & publico nihil quicquam derogare & præjudicare possunt, cum sint contra rationem & naturalem æquitatem. Sic nec illi fiunt infames, qui præter meritum fustibus indignè ceduntur, vel injustè in carcerem conjiciuntur, vel à carnifice injustè torquentur, vel contumeliis indignè onerantur, quia innocentia eos ab infamia eximit: cum non nudus cruciatus, sed causa prægnans infamiam causat. Attamen talia pudorem eorum sugillant. Infamia juris amoveri potest autoritate Principis per plenariam restitutionem in integrum, quia jure saltem imponitur. Ergò per relaxationem & dispensationem Principis Majestate gaudentis removeri potest, ut talis, qui obstante infamia juris neque testis, neque Procurator, nec Clericus, nec Advocatus, aut miles esse poterat, per plenariam restitutionem in integrum ad prædicta officia & honores justè admittatur. Sed infamiam facti, quæ mentibus hominum jam impressa est, removere non potest Princeps mediante suâ autoritate; ratio est, quia Princeps opinionem hominum de bonitate & malitia alicujus jam firmiter conceptam, suâ autoritate removere non potest; nam sicuti Imperator vel absolutus Princeps non potest facere, ut homines credant aliquem esse bonum, quem credunt, & credere volunt esse malum, mendacem, perjurum, &c. Sic ignominiam facti à tali ho-

homine turpiter & dolosè agente plenè removere nequit. Cæterùm infamiæ affinis est levis macula, *l. 27. ff. de inoffic. testam.* quæ ex duplici fonte oritur, vel (1) ex sordido vitæ genere, quod quis exercet; quales sunt excoriatores, castratores suum, lictores, carnifices, &c. vel (2) ex illegitima nativitate oritur; quales sunt spurii, (ex scortatione vel stupro nati) & naturales liberi ex concubina progeniti, *l. 12. C. de natur. liber.* hi non sunt infames, sed levi saltem maculâ notantur, quia ipsi nullum turpe factum & dolum commiserunt, sed parentum delicta indignè ferre coguntur. Causa efficiens infamiæ est turpe factum. Causa impulsiva propter quam quis infamiâ notatur, est dolus; quoniam nulla infamia alicui sine dolo irrogatur. Forma infamiæ ex definitione patet, quod vel immediatè, vel mediatè irrogteur. Finis infamiæ est, ut delicta puniantur, & alii gravitate pœnæ à delictis absterreantur. Effectus infamiæ est varius, (1) repellit infames à dignitate & honore, *l. 2. C. de dignit. l. 3. C. de re milit.* (2) infames non possunt esse testes; quoniam infamium dictis non creditur, *l. 3. pr. ff. de testibus.* (3) nec militare possunt ob ignominiæ notam: nec (4) in consilio Magistratibus assidere possunt, *l. 2. ff. de offic. assessor.*

Infans & furiosus nemini faciunt injuriam; ratio est, quia hic ob rationis exilium, & ille ob judicii defectum doli non sunt capaces; injuria enim ex affectu facientis dijudicatur: ideò injuriam pati, & non facere videntur, *l. 3. ff. de injur.* Quod autem parentes infantes suos propter quasdam inordinatas vel illicitas actiones ab illis commissas increpent, aut verberent, id non faciunt eo fine, acsi in foro humano pœnam condignè meriti essent, sed per modum nudæ emendationis & disciplinæ domesticæ, ut metu virgarum ab ejusmodi pravis actionibus posteà abstinere discant, ne per talia aliis imposterum molestiam vel damnum concilient, aut ne pravam indè consuetudinem sibi incautè contrahant; quoniam infantum animi sunt ceræ instar, quibus juxta Platonis doctrinam & virtutes & vitia facilè imprimi possunt, sicuti ceræ quælibet figura imprimitur.

Ingratitudo est magnum vitium in vita civili præprimis notabile, & legibus punibile, cum homine ingrato nihil sit pejus. Ideò (1) liberi ingrati erga parentes existentes, justè exheredantur, *Novell. 115. c. 3.* Tanta vis est ingratitudinis, ut debitum naturæ tollat; quo fine de ingratitudine juxta S. Bernhardi mentem dicitur: quod sit

ventus

ventus urens, siccans fontem misericordiæ, rorem pietatis, & fructum gratiæ. Sic (2) vasallus ob ingratitudinem amittit feudum, *2. feud. tit. 23. in quib. caus. feud. amittitur & tit. seq.* Item (3) donator potest donationem donatario factam ob ingratitudinem licitè revocare, *l. fin. C. de revocand. donation.* nam grave est, ab illo pati injuriam, in quem antea beneficium est collatum, *l. 1. C d. tit.* Indè factum, ut Patroni olim libertos ingratos erga se existentes in durissimam servitutem revocare potuerint, *l. 2. C. de libert.* Hodiè, proh dolor! tanta mortalium, non dicam plebejorum, sed multorum etiam Magnatum est ingratitudo, ut de iis verè dici possit illud Taciti: beneficia inscribuntur aquæ, ira cedro; quoniam præstita officia facillimo negotio ex illorum memoria effluunt, ac indignè delentur: ast minimus error, vel præconcepta sinistra opinio manet altâ mente reposta, quæ sic eorum mentibus imprimitur, ut vix ac ne vix ex illis exstirpari vel deleri possit. Quod meo exemplo de Suecis testari possum: quamdiù Suecis quà Juris Professor utilis fui, ut primò omnia ad inaugurandam Carolinam Academiam in Schania apud Regem Stockholmiæ solus gratiosissimè impetrarem, & impetrata ipse laboriosè mecum ad Academiam deferrem; deindè cum maxima laude & labore secundus Academiæ Rector anno 1668. existerem, & posteà publicè ac privatim docendo, disputando, ac novum ibidem opus edendo, Academiæ famam extendere, pro viribus laborarem, Professorum omnium habitus sum optimus. Ast ubi ex Suecia contra eorum intentionem ad meos Germanos bonâ cum veniâ discedere paravi, nemo me censebatur pejor, nemo per ficta eorum argumenta & calumnias majori reprehensione dignior. En indignum maximi laboris præmium; qui de residuo meo magno salario nec obulum accepi, cum tamen ipsis 13. rusticorum prædia in salarii mei solutionem brevi ante meum discessum mihi à Rege pro libri mei dedicatione clementissimè oblata, gratis reddiderim, &c. Sed mihi solatio est, quod non tantum mihi, verùm & aliis Professoribus Germanis magni nominis idem præmium in abitu olim exhibuerint, ut Freinshemio, Böcklero, Lipstorfio, &c. Quod si calumniari sufficiat, quis mortalium erit innocens, aut quis mortalium à mordace lingua & calumnioso calamo erit immunis? Jam hoc bello regnandi causâ temerè suscepto in Pomerania, Ducatu Bremensi, Schania & aliis Sueciæ provinciis condignum accipiunt præmium.

Inju-

Injuria specialiter sic dicta (contumelia germanicè eine Schmach oder Verläumbdung) est delictum privatum in alterius contumeliam vel contemtum perpetratum; quo alterius fama vel corpus dolosè & ignominiosè læditur, *l. 7. & l. fin. C. de injur.* Ex hac definitione cognoscimus, Magistratum non committere injuriam, quando delinquentem justâ pœnâ afficere jubet; ratio est, quia ista læsio corporis, vitæ, vel famæ ob delictum commissum dicitur justa, dolo carens. Causa efficiens injuriæ est dolus animi, contumeliam alicui facere conantis. Subjectum injuriam inferens sunt personæ habiles, doli capaces, animum injuriandi habentes. Hinc excluduntur infantes, mente capti, furiosi, &c. qui ob mentis vel intellectûs defectum alii injuriam dolosè inferre nequeunt. Subjectum passivum sunt personæ injuriâ affectæ. Materia sivè objectum circa quam læsio per injuriam versatur, sunt vel corpus, vel dignitas, honor, aut existimatio, *l. 1. §. 2. ff. de injur.* Forma injuriæ consistit partim in contumelia, partim in modo injuriandi, qui vel verbis, factis, aut literis fit, ideò variat. Finis injuriarum est; ut existimatio alicujus lædatur; dolor & contumelia eidem inferatur.

Injuria duplici modo committitur, (1) verbis, & (2) re, *l. 1. § 1. ff. de injur.* ideò omnis injuria est verbalis, vel realis. Illa est, quando alicui convitium dolosè dicitur absque manûs illatione, vocando eum latronem, adulterum, nebulonem, proditorem, spurium, scortatorem, meretricem &c. Quod si verò quis alium per jocum remoto dolo & injuriandi animo nebulonem, &c. vocaverit, tunc injuriam non committit; ratio est, quia dolus & injuriandi animus ad injuriam requiruntur. Ad hanc verbalem injuriam refertur injuria literis sive famosis scriptis commissa; quando quis famosum libellum, vel carmen in alterius infamiam dolosè scribit, vel scribi curat; talis injuria censetur gravissima, quia diutiùs in conspectu hominum permanet; nam vocis indignæ effusæ facilè obliviscimur; ast litera scripta manet, ac per multorum manus longè latèque vagatur, &c. Hæc scilicet realis injuria per manus illationem multis modis committitur, ut si quis culpâ, sive manu, sive baculo, vel alio instrumento injustè percutiatur, *l. 9. ff. de injur.* aut si gladio vulneretur, vel globulo transfigatur; quibus casibus vulnerator obligatur ad interesse; quoniam æquissimum est, ut vulnerator vulnerato resarciat mercedes Medicorum, Chirurgorum, & impensas

in curatione factas; unà cum operis, quibus ipse caruit, & imposterum cariturus est per reliquum vitæ tempus, ob membrorum mutilationem, quod inutilis est factus, *Exod. 21. v. 19. & l. 13. ff. ad L. Aquil.* nulla tamen injuria committitur, & per consequens nulla injuriarum actio competit, quando dolus & injuriandi animus abest, *l. 3. §. 1. ff. de injur.*

Injuria ex intentione dicentis æstimanda est. Ergò si quis verba injuriosa profert, & postea protestatur, se illa non animo injuriandi in alterius, puta, actoris contumeliam dixisse: quo casu illi (si assertionem suam præsumtione quâdam firmare possit) regulariter juramentum purgatorium est deferendum. Si ille tunc juret, ab injuriarum actione absolvitur, *Gail. 2. observat. 106.* quia vitiosa illa qualitas in animo consistens, nec videri, nec tangi potest: ne verba ultra intentionem dicentis iniquè operentur, ac dicenti injustè noceant: ad hoc malum evitandum accusato opus est juramento purgatorio. Quod si verò ex circumstantiis animus injuriandi apertè colligitur, tunc injurianti juramentum non est deferendum; ne judex perjurio det ansam; dum injurians ad evitandam pœnam juramentum contra conscientiam iniquè præstat.

Injuria atrox committitur variis modis; in persona, loco, tempore, aut re. In persona, quando Magistratui, parenti, vel patrono contumelia sive injuria infertur. Loco & tempore, si in theatro, vel templo, vel in conspectu Magistratûs alicui fiat injuria. Re, si vulnus alicui illatum, vel os, (facies) percussum est, *l. 7. §. 8. ff. de injur.* Ideò prudenter dicit Aristoteles *lib. 5. ad Nicomach.* amicitiæ aliæ magis, aliæ minus amicitiæ sunt, (ratio est, quia homo omnibus hominibus ad æqualia officia præstanda jure naturæ non est obligatus:) differunt etiam & jura. Non enim eadem officia sunt præstanda parentibus, liberis, fratribus, sodalibus, civibus, peregrinis, &c. Nam major mihi est obligatio erga patrem, quàm erga civem, sic etiam major erga civem, quàm erga peregrinum. Differunt igitur & injuriæ horum singulorum inter se; quæ tantò sunt graviores, quò amicioribus inferuntur, e. gr. sodalem pecuniâ fraudare, gravius est, quàm civem, & fratri in necessitate non succurrere, gravius est, quàm alieno, & parentem verberare, quàm quemlibet alium.

Injuria quomodo æstimanda? Resp. secundum gradum dignitatis, vitæque honestatem crescit, & minuitur injuriæ æstimatio, *§. 7. in-*

stitut.

stitut. de injur. hinc patet, quod injuria videatur major, si Comes, Baro, Nobilis, vel Doctor contumeliosis dictis vel factis lædatur, quàm si rusticus, opifex, vel alius communis civis, vel gregarius miles contumeliosè tractetur; quia in majori dignitatis gradu sunt.

Injuria alicui illata videtur tacitè remissa, quando injuriatus cum injuriante spontè edit, ludit, bibit, amicè confabulatur, aut dextram ei manum porrigit, *§. fin. Inst. de injur.* ratio est, quia talis injuriæ dissimulatio pro tacito pacto remissionis sive condonationis habetur; hinc iniquum censetur id repeti, quod semel est condonatum. Quod si verò injurians in publico convivio ex quadam honestatis necessitate dissimulare cogatur, ob id injuriarum actio non remittitur, *l. 11. §. 2. ff. de injur.*

Injuria num etiam ad veritatem dicentis se extendat? quæritur: Resp. veritas convitii neminem excusat à pœnâ injuriarum, *l. 5. C. de injur.* ratio est, quia animo injuriandi hoc crimen alteri objicitur. Ergò qui alicui vitia, & defectus naturæ malitiosè exprobrat, dicendo illum esse cœcum, surdum, gibbosum, loripedem, luscum, monoculum, &c. injuriam committere intelligitur; quia veritas convitii non excusat injuriandi animum; cum in actione injuriarum non tàm veritas convitii, quàm libido & voluntas injuriandi consideretur, *l. 3. C. de offic. Rectoris provinc.* ideò jure non permittitur, ut quis alterius labem vel naturæ vitium sine justa causâ calumniosè detegat; nec humanum est, alterius defectus physicos injuriosè detegere. Hinc proverbio dicimus, nævi ethici, & non physici sunt exprobrandi, quoniam illi sanâ ratione corrigi possunt, hi non item.

Injuriarum actio hæredi non competit, *l. 1. §. 1. ff. de privat. delict.* nec pœnales actiones in hæredes dantur, quia pœna debet tenere suos autores, & non innocentes, qui non deliquerunt.

Injuria illata variis remediis vindicatur; præsertim duo decantata moribus introducta sunt remedia contra injuriantes, (1) est retorsio, & (2) palinodia: quarum illud est remedium extrajudiciale: hoc verò judiciale. Retorsio est propulsatio injuriæ verbalis in ipsummet injuriantem, honoris defendendi causa in continenti facta. Palinodia (germanicè ein öffentlicher Wiederruff /) est recantatio verborum injuriosorum, ubi recantator, injuriam inferens juxta perversam hominum opinionem, læso famam quasi restitue-

 re,

re, seque publicè mendacii arguere cogitur: confitendo, falsa esse, quæ in actorem ignominiosè dixit. Quanquam viro honesto honesta fama nec atrocissimis privatorum injuriis eripi possit, dum duo saltem, nimir. lex, & turpe factum delinquentem infamant: attamen sic moris est, ut calumniator famam quasi læsam, aut ablatam læso restituat.

Inquisitorius processus sequenti modo formandus est. Magistratus interdum ob commissum atrox delictum deficiente accusatore, ipse ad inquisitionem contra delinquentes atroces ex officio procedere debet, ut à malis hominibus respublica purgetur, *l. 13. ff. de offic. Præsid.* & ut alij ad delinquendum proclives exemplo deterreantur, *l. 6. §. 1. ff. de pœn.* partim etiam ideò, ne delicta maneant impunita, *l. 51. ff. ad L. Aquil.* Hunc inquisitorium processum tunc instituit Magistratus, quando clamor & rumor validus de delicto atroci commisso, (non autem de levi) ad eum pervenit, ut delinquentes condignâ pœnâ in reipublicæ securitatem puniantur, *dict. l. 13.* quod fieri nequit, nisi de veritate delicti, ejusque autore apertè constet; (wo nicht zuvor redliche Anzeigung der Missethat / darnach man fragen wolte / vorhanden / und beweist würde / so soll niemand gefraget werden / vide *constit. crim. Caroli V. artic. 20.*) Ut autem Magistratus de delicto & delicti autore fiat certior, informationes super delicto per inquisitionem sumere debet. Inquisitio hæc est vel generalis, vel specialis. Inquisitio generalis est, quæ incerto adhuc delicto vel delinquente à Magistratu fit ob clamorem & famam delicti; ubi sedulò inquirit Magistratus, num delictum reverà sit commissum, & quisnam illud commiserit, *c. 25. X. de accusat.* Nam quoties Judici certò non liquet, an & à quo delictum sit perpetratum, generalem saltem instituit inquisitionem super ipsum factum, personas, famam, & alias circumstantias; quoniam inquisitio hæc generalis est quasi præparatoria ad inveniendum delictum, & delicti autorem. Ast quoties Magistratus ex inquisitione generali partim de delicto, partim de autore delicti notitiam aliquam est consecutus, solet adversus illam indicatam personam singulariter, & in specie ex officio inquirere, ne maleficium delinquenti sivè inquisito dimittatur impunè. Hæc postrema inquisitio vocatur specialis, quæ non tantùm ad inveniendum delictum, & investigandum delinquentem, ut generalis inquisitio, sed ad delinquentem condemnandum & puniendum solenniter instituitur,

tur, &c. Inquisitio generalis semper præcedit, & specialis sequitur. Processus autem inquisitorius juxta receptum judiciorum morem contra inquisitum præsentem instituendus est, *l. 6. C. de accusat.* & quidem sine speciali & privato odio, *caus. 11. q. 3. c. 61.* sine sordibus, (h. e. sine precio & prece) *l. 15. §. 1. ff. de judic.* sine præcipitantia judicis, *d. caus. 11. q. 3. can. 77.* sine emendicatis suffragiis, *l. 14. C. de accusat.* & sine ulla injuria, *l. 50. ff. de pecul.* ne Magistratus ad alienum peccatum coërcendum iniquè properet, *l. 1. C. de execut. rei judic.* Interrogatio etiam & examen inquisiti debet esse pertinens, ut ipsum factum, de quo inquisitus fuit inculpatus, ejusque qualitates crimini adhærentes, & ad eruendam veritatem pertinentes articulis inserantur; nam articulos inquisitionales judex sic formare debet, ut omnes delicti qualitates & circumstantias, quæ ad veritatis indagationem, & delicti probationem facere videntur, perspicuè & clarè contineant; quo loco & tempore, quo instrumento delictum quis commiserit, & quibus præsentibus. Inquisitus ad singulos articulos clarè & manifestè respondere cogitur, affirmativè, vel negativè: quia paria habentur, obscurè sivè ambiguè respondere, vel non respondere, *l. 11. §. 7. de interrogat. in jur. faciend.* Ideò responsio inquisiti tres qualitates habere debet; (1) ut sit responsio pertinens; (2) absoluta sivè simplex, (non ambigua) & (3) clara; ne quid ambigui, vel impertinentis contineat. Quod si inquisitus planè respondere nolit, ob contumaciam mediante torturâ ad categoricam responsionem cogi licitè potest: quoniam inquisitus ad articulos respondere recusans, habetur pro confesso, *c. 2. de confess. in 6to.* Hic probè notandum, quod Magistratus nunquam debeat ad specialem inquisitionem contra certam personam descendere, nisi is ex generali inquisitione primò de corpore delicti sit certus, *l. 1. §. 24. ff. ad S'Ctum Sylan.* & deindè, nisi de persona delinquentis ex indiciis & præsumtionibus verisimilibus quadantenus constet, *c. 21. §. ad hoc X. de accusat.* quod exemplo supremi Judicis DEI *in Genesi* patet, dicentis: descendam, & videbo, utrum clamor qui venit ad me, opere compleverint, &c. ut Magistratus quasi denunciante fama, vel deferente clamore de delicto officii sui debitum exequatur, vide *c. 24. X. ibid.* Idem comprobat constitutio criminalis Caroli V. *art. 66. princ.* So jemand einer Ubelthat durch gemeinen Leumuth berüchtiget / oder wegen anderen glaubwürdigen Anzeigungen verdächtig und argwohnig/

 und

und derhalben durch die Obrigkeit von Ampts halber angenommen wurde/ der soll doch mit peinlicher Frag nicht angegriffen werden/ es sey dann zuvor redliche und genugsame anzeigung der Missethat &c. Et licet jus civile Judicem sivè Magistratum ad inquisitionem delictorum ex mero officio non obligaret, utique Sacra scriptura, & naturalis æquitas Magistratum ad inquisitionem compellit, ne ad delicta conniveat; sed eorum punitioni diligenter invigilet, in tantum, ut non excusetur, si dicat, se ignorasse, cum inquirere teneatur Magistratus, *Exod. 2. v. 11. & Rom. 13. c. 1.* Inquisitionem Magistratus non agnoscunt Sveci; hinc etiam è suggestu publicè conqueruntur Sacerdotes Stockholmenses, quod intra 16. annos nullum temerarium homicidium morte vindicatum sit, &c. in tantum ibi viget justitia, ubi pecunia, potentia & autoritas plus valent & ratiocinantur, quàm causæ justitia. Ex perspicuo hoc justitiæ denegatæ fundamento necessariò fluit, quod neque respublica, neque religio rectè florere possint suppressâ justitiâ.

Insignia sivè arma (germanicè Wappen Schild und Helm) ceu nobilitatis adjuncta, vel à Majoribus accepimus, vel ipsi propriâ virtute acquisivimus, vel ea beneficio Principis habemus, quæ sunt varii generis, pro vario personarum statu; (1) quædam saltem sunt vulgaria civium & rusticorum absque apertis galeis, quæ huc propriè non spectant, & exigui ponderis habentur, (vulgo ein stech oder verschlossenen Helm/ und kein offenen oder thürner Helm) (2) quædam insignia sunt Nobilium cum apertis galeis, mit offenen Helm/ qualia non tantum Nobilibus, sed & Juris Doctoribus ob præcellentem juris doctrinam conceduntur, ut inde appareat, eos dignitate aliis longè præstare. Nobiles habent insignia vel ex antiquissima Prædecessorum suorum prosapia, vel ex novissima Principum gratia, qui dum Nobilitatem bene merentibus conferunt, solent simul conferre insignia; ideo quælibet familia nobilis & illustris habet sua propria insignia: nam sicuti nomina inventa sunt ad res & homines distinguendos, ita & arma sivè insignia sunt inventa ad cognoscendas & distinguendas familias, ut per signum cognoscatur signatum. Die eines Namens und Stammes; eines Helms und Schildes seyn. Qui ejusdem familiæ & nominis; & qui iisdem utuntur armis, Majorumque imaginibus; quia eadem insignia gentilitia habent. Ob id nemini licet in præjudicium alicujus Nobilis, Baronis, Comitis vel Principis insignibus ejus pro suis uti. Quod si casu contingat, ut ul-

ut ultimus agnatus familiæ illustris moriatur, insignia franguntur, & simul cum eo sepeliuntur, (3) quædam insignia Illustribus & maximis dignitatibus adhærent, e. gr. sagmina olim fuerunt insignia Legatorum, *l. 8. §. 1. ff. de rer. divis.* falces fuerunt Proconsulum Romanorum *l. 1. & 14. ff. de offic. Proconf.* Mitra & Tiara sunt insignia Episcoporum; Crux & pallium Archi-Episcoporum, *c. 6. X. de autoritate & usu pallij.* Pileus ruber Cardinalium: Imperatoris insignia sunt nigra aquila (quæ avium regina) biceps in campo aureo: summi Pontificis insignia sunt triplex corona: Regis Romani, aquila simplex: Regis Galliæ, tria lilia: Regis Angliæ, tres leones coronati: Regis Poloniæ, aquila alba coronata, expansis alis inhiante rostro: Regis Bohemiæ, leo rubeus coronatus bifurcatæ caudæ: Regis Daniæ, tres leones: Regis Succiæ, tres coronæ &c. Regis Hispaniæ pro diversis regnis diversa sunt insignia, ut crux, vexillum, leo, aquila, castrum &c. Hinc ex insignibus Principis in curia, mœnibus vel aliis publicis locis solenniter pictis regulariter probari solet, dominium civitatis ad eum Principem spectare, cujus insignia & arma ibi sunt depicta: sic etiam insignia Principis in templo egregiè picta jus patronatus indicare videntur *Mascard. conclus. 958. n. 21. de probat.* Ad materialia insignium referuntur (1) Scutum (clypeus) quod etiam campum vocant das Feld im Schild/ cui inhærent insignia. (2) Emblemata, figuræ & colores. (3) Galea aperta, (4) Clenodia sivè ornamenta galeæ imposita; Et (5) ea quæ scutum ac tota insignia sustinent, ut partim splendorem insignibus addant, partim aliquid singulare notent; sic regis Galliæ insignia ab utroque latere angelus expansis alis firmat, qui tanquam custodes excubias circa insignia agere debent; Sic Regis Angliæ insignia ex uno latere leopardus, ex altero draco ornat. Sicuti Romanis scutorum forma fuit triangularis, ita hodie insignium campus triangularem quandam formam habere solet. Videntur antiqui Romani scutum præ reliquis armis elegisse ad insignia sua, quia omnia arma defensiva sub scuto comprehenduntur. Ob id Reges, Principes, Comites, Barones, Nobiles, & alii Viri generosi & fortes scutum sibi elegerunt in signum fortitudinis. Figuræ sivè notæ scutis sivè clypeis impressæ, sunt variæ, varia significantes. Nam si leones scuto imprimantur, vel affigantur, denotat magnanimitatem heroicam, bellicum robur; ast si gallus ei sit impressus, denotat vigilantiam & animositatem; arietes innuunt eminentiam; trabes œconomi-

nominam; columnæ fidelem reipubl. sustentationem. Colores scutorum singularem quoque habent interpretationem; niger color significat potentiam, perseverantiam, & patientiam; aureus color denotat sapientiam, lætitiam, & fidelitatem; cœruleus color pulchritudinem, humilitatem, & sanctitatem; color argenteus puritatem, innocentiam; albus fidelitatem, castimoniam, puritatem; viridis lætitiam, honorem, amorem; purpureus, qui dignitate saltem cedit aureo, denotat liberalitatem, & divitias; rubeus audaciam, & virilitatem &c. Galea aperta sivè perforata est tegmen capitis, faciei, & colli contra hostium læsionem. Quidam supra scutum vel campum in suis insignibus hodie non utuntur galeâ, ut Archi-Episcopi, Episcopi & Abbates ob statum religiosum, sed mitram ejus loco habent positam. Sic Archi-Episcopus habet loco galeæ mitram junctâ cruce; Episcopus lituum einen Bischoffs-Stab/ & Abbas mitram solam aut lituum solum. Dantur Abbates tamen & Prælati, qui interdum etiam mitra & galea simul utuntur, quibus innuere volunt, se duplicem habere jurisdictionem. Nec fœminæ utuntur galeâ; sed Reginæ, Principissæ &c. loco ejus imponunt scutis coronas. Ornamenta galeæ sunt varia; olim habebant milites in galeis apicem plumeum, pennasque puniceas, ut miles equo insidens hosti videretur major & formidolosior; nonnunquam eædem figuræ galeæ imponuntur, quæ scuto sunt insertæ, interdum hominis figura integra vel dimidia, vel brachium galeis imponunt ceu fortitudinis notas &c. Insignium usus est varius, (1) insignia solent annulis signatoriis insculpi; (2) Insignia solent ab Imperatore, Regibus, & Principibus monetæ imprimi; (3) Insignia vexillis appinguntur, & (4) Insignia civitatum portis, curiis, templis &c. affiguntur.

Institutiones Juris sunt breve juris compendium, suntque totius juris scientiæ prima elementa ad altiorem juris scientiam consequendam, *§.4. Inst. in proœm.* dum saltem prima juris principia & fundamenta, non verò perfectum & absolutum juris studiū in institutionibus proponitur: multæ namque materiæ & tituli in Digestis & Codice comprehensi, institutionibus desunt, ut (1) tituli de Magistratuum officiis, (2) de jurisdictione, (3) de pactis, (4) de transactionibus (5) de in integrum restitutionibus, (6) de judiciis, (7) de ædilitio edicto, (8) de evictionibus, (9) de testibus, (10) de re judicata & (11) de appellationibus &c. quas materias omnes ex Digestis &

ſtis & Codice originaliter, & nunc ex mea doctrina juris, exceptis illis antiquis Magiſtratuum Romanorum officiis ſub competentibus titulis pètere convenit.

Interdicta ſunt actiones extraordinariæ de poſſeſſione vel quaſi poſſeſſione *t.t. ff. de interdict.* interdictum alias in genere denotat prohibitionem â quocunquè factam; in ſpecie verò denotat juſſum Prætoris, & ſtrictè poſſeſſorium juſſum inter litigantes. Prætor regulariter in interdictis utitur verbis prohibitoriis, ne quid fiat: ut ſi dicat, vim fieri veto &c. aut ſiquid jubet, verbis ejus vis prohibitionis ineſt *l. 4. ff. de pœn.* Interdicta ſublatis formulis non amplius ſunt in uſu, ut ſpecialiter juxta antiquam interdictionis formulam adhuc hodie interdicatur, & judex detur; ſed datur actio ex cauſa interdicti in factum, quâ agitur de poſſeſſione vel tuenda, vel acquirenda, vel recuperanda, ſalvâ (ſi opus fuerit) quæſtione de ipſius rei proprietate: & licet interdicta ratione poſſeſſionis fiant, ac ad rei proprietatem extendantur, interdicta tamen ſunt perſonalia; ratio eſt, quia vi tendunt in perſonam, vel in id quod jam â perſona factum eſt. Hodiè mandata ſine clauſula pro interdictis valent in foro, & in Saxonia valent inhibitiones. Interdicta variè dividi ſolent, (1) dividuntur ratione formæ in interdicta prohibitoria, reſtitutoria & exhibitoria: quamvis omnia interdicta in genere ſint prohibitoria: aſt propriè & formaliter ſunt ſaltem illa interdicta expreſsè prohibitoria dicta, reliquæ verò duæ ſpecies interdictorum per conſequentiam tantum ſunt prohibitoria, (2) interdicta dividuntur ratione finis & effectus in interdicta adipiſcendæ, retinendæ & recuperandæ poſſeſſionis. *§. 2. Inſt. de interdict. l. 2. §. 3 ff. d. t.* Cauſa efficiens interdictorum remota eſt Prætor; quoniam olim graviſſimæ de poſſeſſione vel quaſi poſſeſſione oriebantur lites & contentiones; ne interea, dum litigantes de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione diſceptarent, ad vim & arma proruerent, utroque litigatorum poſſeſſionem expetente, Prætor æquitate motus ſtatim absque judicii ſtrepitu interdictum ſuum interponebat, vetando, vim fieri, donec in ordinario judicio coram judice pedaneo cauſa plenius diſceptaretur. Cauſa interdictorum propinqua eſt vel jus in re, vel jus ad rem. Hic quæritur, quibus Prætor reddat interdicta? Reſp. illis, qui formatum aliquod jus & intereſſe publicè docere poſſunt. *l. 15. §. 7. & ſeqq. ff. quod vi aut clam.* Sic (1) interdicta competunt creditori in re debitoris ſibi oppignoratâ, (2) uſufructuario

Mm (3) va

(3) vasallo, & (4) superficiario &c. *l. 1. §. 6. 8. & fin. ff. de superf.* Interdicta hæc dantur contra illos, qui vel ipsi in aliorum præjudicium aliquid fecerunt, sive dejecerunt, vel eorum familia, ut servi, mandantibus, jubentibus, vel ratum habentibus dominis. Causa impulsiva, quæ Prætorem ad interdicta hæc reddenda impulit, est, quia nullæ actiones civiles olim ob juris civilis, (sive legum 12. tabularum) simplicitatem de controversiis possessionum fuerunt propositæ: ideo deficientibus actionum civilium circa hosce casus formulis, Prætor interdicta reddere commotus fuit, ut homines de possessione litigantes hoc modo componere posset. Causa formalis est, ut Prætor solus â litigante imploratus sine strepitu judicii summariè procedat, super possessionem litigiosam decernendo, donec plenius fuerit cognitum. Finis internus est, ut interdictis possessionum jura defendantur, & ut sic controversiæ de possessione vel quasi possessione inter litigantes sopiantur; & ne interea, dum litigantes de possessione disceptant, ad vim & arma prosiliant. Finis externus est conservatio publicæ tranquillitatis, quæ haud facilè conservari posset, nisi Prætor suis interdictis & sententia interlocutoriâ tamdiu componeret litigantes, alterutri litigantium possessionem litigiosam ad tempus saltem adjudicando, donec plenius in petitorio judicio proprietatis causa examinetur: alioquin cessante hoc interdicto litigantes ut plurimum ad perpetuas rixas, tumultus, seditiones, arma, vulnera, & cædes pervenirent.

Interdictum uti possidetis datur possidenti (h. e. qui eas non vi, nec clam, aut precariò possidet) res immobiles sivè soli (ædes vel fundos) pro tuenda possessione, quam habet possessor, qui in illa turbatur; & datur contra eum, qui sibi hanc possessionem arrogat, aut possidentem quovis modo turbat, ut reus â turbatione desistat, ac cautionem de non amplius turbando præstet, & damna illata cum perceptis fructibus restitutis resarciat. *l. 1. §. 1. 4. & seqq. & l. fin. ff. de interdict.* Hoc interdictum suum sortitur nomen â primis verbis edicti Prætoris, uti possidetis, ita possideatis: Prætor enim voluit ob tranquillitatem reipubl. conservandam, & turbas evitandas, ut unusquisque tamdiu rem occupatam quietè possideat, donec in judicio convincatur, rem ad se non spectare, sed ad alium; & per consequens eam non justè possidere. Ex dictis colligere licet, quod is, qui violentam, clandestinam, vel precariam habet possessionem, non

non possit judicem jure implorare, ut se in possessione conservet; ratio est, quia non habet justum possidendi titulum.

Interesse est damnum emergens & lucrum cessans ob moram vel culpam debitoris, quantum mihi (creditori) abest, quantumque lucrari potui, *l.13.ff. rem. rat. hab.* quæ duo sunt diversa; ratio est, quia damnum emergens dicitur, quoties alicui damnum infertur, & is de vitando damno agit. Contra, lucrum cessans est, quando de lucro captando quis agit: e.g. si quis mercatori, ut creditori pecuniam negotiationi expositam definito tempore non solvat, quo casu mercatori lucrum, quod ex pecunia mutuata percipere poterat, cessat ob moram debitoris, *l. ult. §.1. C. de codicill.* Interesse damni multis modis probari potest; e.gr. si creditor ob pecuniam suo tempore & loco sibi non solutam, necessitate coactus est, ab alio mutuum sub usuris accipere: hoc damnum debitor jure sustinere debet

Interrogatio stulta quale mereatur responsum? Resp stultè interroganti rusticè respondendum est, attestante *Bartolo in l.27.ff. qui testam, fac. poss.* Ergo haud inconvenienter virgo quædam juveni nasutulo cum venia interroganti, an non esset meretrix? Respondit, Domine mi, cum venia, es ne nebulo? qui honestæ virgini tam ignominiosam proponis quæstionem. Dignum patella operculum. Qualis interrogatio, talis responsio.

Interrogatoria sunt interrogationes quædam, quas pars adversa super negotii controversi circumstantiis, propositis articulis contra se formatis, & testibus contra se productis format, ac concipit; ut testes pro eruenda veritate de super interrogentur. Nam quando terminus probatorius litigantibus à Judice est designatus, tunc actor articulos probatorios transmittere, & offerre debet, quibus intentionem suam probare vult; ex his articulorum circumstantiis & qualitatibus, ut & ex testium personis format reus interrogatoria, ad quæ testes tempore testimonii ferendi æque respondere coguntur, quàm ad articulos. Interrogatoria sunt vel generalia, vel specialia. Interrogatoria generalia (gemeine Fragstück) sunt, quibus fides & integritas testium à judice exploratur, e.g. cujus conditionis & ætatis sit testis, num dives? an testis cum producente de testimonio ferendo antea locutus fuerit? an testis productus sit ejus consanguineus, affinis, vel inquisiti inimicus? item num ei quid à producente sit donatum. (Germanicè) wes Namens/ Alters/ Hand-

 werckß/

wercks/Reichthum/ Standes und Wesens Zeuge sey? woher er bürtig/ wo er wohnhafft/ und wie lang er daselbst seßhafft gewesen? was Handel und Wandel er treibe/ und wom:t er sich ernehre? Ob zeuge auch zuvor in dieser Sache von jemand unterrichtet/ was er sagen soll? ob er auch zuvor mit den andern Zeugen hiervon geredet? Ob zeuge auch mit beklagten Feindschafft habe? Ob er nicht gerne sehe/ daß Kläger diese Sache gewinne ꝛc. Examinator sivè judex in testium examine primum super interrogatoriis generalibus, deindè demum super articulis, & post singulos articulos super interrogatoriis specialibus examinare debet testes. Interrogatoria specialia (sondere Fragstück auf die Hauptsache) sunt, quibus notitia & certitudo dictorum testium à judice investigatur; ut is ratione officii sui testes super ipso negotio controverso circumstantialiter interroget, num res ita se habeat observatis omnibus negotii circumstantiis. E.g. undè testis sciat, rem ita se habere, prout refert, quo tempore, loco, & quibus præsentibus hoc factum sit? nam impertinentia & inutilia interrogatoria judex prudens resecare & rejicere debet; idcircò interrogatoria formanda sunt super ipsis articulis, causæ meritis, & negotii controversi substantialibus; non autem de his, quæ à causâ controversa sunt aliena vel diversa; quoniam testes extra articulos interrogati nullam fidem faciunt suis assertis; nec ad talia respondere coguntur: ob eam rationem interrogatorium criminosum testem concernens non meretur responsum; ratio est, quia nemo testium tenetur propriam allegare turpitudinem, e. gr. si quis testem contra se productum interrogaret, an non adulterii crimine esset pollutus? vel an esset scortator, perjurus, aut homicida? Hic probè notandum, quod parti producenti articulos copia interrogatoriorum ante examen testium non sit danda; ne ille super interrogatoriis testes suos in præjudicium adversarii malitiosè instruat, sicque falsitati ansam subdolè præbeat. Interrogatoriorum effectus est, ut testes ad variationem assertorum & contraria inducantur. Hæc interrogatoria regulariter ex ipsis articulis formanda sunt. Hic plurimum juvat ad causæ dilucidationem, quando examinator, sivè judex articulos propositos describi curat, relicto pro numero testium circa quemlibet articulum spatio, ut singulorum testium dicta statim articulo subjiciantur, unà cum interrogatoriis; sic statim absque difficili indagatione apparet, quid circa quemlibet articulum sit probatum. Ubi sciendum, quod interrogatoriorum exhi-

bitio

bitio non sit necessitatis, sed liberæ voluntatis; nam citatur is, contra quem producuntur testes, ad videndum jurare testes, & ad dandum interrogatoria sua, si velit. Ob id potest pars adversa juramento testium adesse, si vult, & exhibere interrogatoria; si verò horum neutrum facere velit, judex nihilominùs testes recipere, eosque parte adversâ citatâ absente examinare, & ex officio interrogationes pro arbitrio proponere potest ad eruendam veritatem. Cœterùm prudens JCtus vel Advocatus interrogatoria cautè conscribere debet, ut omnes negotij controversi circumstantias probè advertat, ne interrogatoriis suis clienti suo magis noceat, quàm prosit.

Investitura (die Belehnung der Lehnschafft) est species quædam contractûs, quæ ideò sic vocatur, quia sicuti homo vestitur vestibus, ita vasallus quodammodo vestitur feudo per feudi traditionem. Investitura fit duplici modo, (1) propriè, & realiter, & (2) impropriè sivè abusivè. Investitura propriè dicta fit per corporalem apprehensionem possessionis feudi; ubi Dominus feudi, vel ejus nuncius vasallum in possessionem rei feudalis introducit; quo vasallus utile dominium, & possessionem rei feudalis immediatè consequitur. Investitura impropriè talis fit verbis, accedente aliquo actu seu signo corporeo, e. gr. quando Dominus feudi vasallo dicit: investio te de tali prædio, annulo, ense, hasta, pileo, sceptro, vel alia re porrectâ vasallo juxta loci consuetudinem. De his prolixius agit Schneidewinus & JCtus Struvius. Hodiè super novo feudo accepto, vel super antiqui feudi renovatione dominus feudi vasallo suo literas feudales (Lehnbriefe) dare solet.

Investituræ renovatio non debet negligi, quoties persona vasalli vel domini mutatur: nam si vasallus intra legitimum tempus, puta, intra annum & diem renovationem investituræ non petit, tunc à domino privatur feudo, quasi dominum indignè contempsit, *c. quæ fuit prima causa benefic. amitt. 2. feud. 24.* Excipe, nisi vasallus se ob justam causam excusare potest, *l. un. princ. de capit. corradi. 2. feud. 40.* ideò hoc tempus annale non currit, nisi à tempore scientiæ mortis domini.

Ira quomodo in jure consideranda? Resp. quicquid calore iracundiæ fit, vel dicitur, id regulariter non prius censetur ratum, quam si perseverantia apparuit, judicium animi fuisse, *l. 48. ff. de R. J.* quia ea, quæ repentino quodam calore, aut subitâ animi perturbatione ac-

cidunt, non ex proæresi, aut datâ operâ deliberatè fieri creduntur. Ira enim furor brevis est, quæ consilio inimica, & rationi contraria esse solet: cùm nullus affectus rationi magis obstet, quàm ira; ea de causa dicit Ennius, quod iratus ab insano saltem differat tempore. Ergò quicquid iratus agit, (intellige absque læsione corporis vel vitæ,) vel loquitur, tanquam ab insano profectum æstimari debet. Hinc qui in rixa inconsulto animi calore lapsus alicui maledixit, aut crimen alicui temerè objecit, non validè obligatur, nisi posteà injurias ex animi perseverantia malitiosè iteraverit, *cauf. 2. quæst. 3. can. 5. & l. 19. ff. de inoffic. testam.* Datur hîc exceptio à regula in delictis gravioribus, in quibus ira per pœnitentiam regulariter non excusat: ut si quis per iracundiam occidit hominem, pœnitentia posteà superveniens homicidium calore iracundiæ commissum non excusat, *l. 7. §. fin. ff. ad L. Jul. repetund.* sed eundem capite plecti jubet; alioquin delinquentium nullus facilè puniri posset, quia delictum commissum regulariter pœnitentiam conciliat. Hîc sciendum, quod non omnis ira sit illicita, nam Magistratui licet irasci justitiæ causa ad puniendos sontes, sivè delinquentes, & exstirpanda vitia; sic & patri irasci licet filiis delinquentibus, eosque modicè castigare, verberare, & punire; sunt enim justæ quædam causæ, ob quas irasci licet: sic ad defensionem cultûs divini, & ad defensionem patriæ, parentum, conjugum, liberorum, legum, libertatis, famæ & existimationis nostræ, & nostrorum irasci licet; quoniam hæc omnia tàm sancta & inviolabilia nobis habenda sunt, ut eadem ab aliis violari non permittamus.

Judæis primum lex DEI est revelata, ut ex 5. libris Moisis patet. Hâc occasione Judæi primùm philosophati sunt, qui apud Indos Brachmanni, & apud Syros Judæi à loco originis sic nominati sunt. A Judæis Pythagoras suam philosophiam ad Græcos transtulit, indè ad Romanos. Plato eruditionis gratia in Ægyptum est profectus, ut Moisis gesta, legis oracula, & Prophetarum dicta cognosceret; ideò quidam asserunt, Platonem ex Moisis libris & Hebraicis multa hausisse: idem de Aristotele Philosopho dicunt, qui assiduè cum Judæo quodam conversatus est; à quo multa ex Divinis legibus hausit, plura didicit. Hac de causa ipse moribundus de pœnis & præmiis, de immortalitate animæ discipulos suos multa docuit; & Seneca dicitur cum Apostolo Paulo conversatus. Ultimò notandum, quod tribus populis, utpote Hebræis, Græcis, & Romanis ad-

adscribatur, quod jus naturæ magis magisque excultum sit, studiaq; hodiè floreant. Rempubl Hebræam DEUS ipse instituit, Græcia bonarum artium fuit Gymnasium: (quò respexit Cicero, dum filium Athenis studia excolentem sic alloquitur: Mi fili, Athenas tanquam ad mercatum bonarum artium abiisti, inanem redire, & mihi probrosum, & tibi exitiosum foret) & Italia vocatur una omnium gentium in orbe patria, ac summum eruditionis & veræ Catholicæ religionis capitolium.

Judæi officium publicum gerere non possunt, sed absque dignitate vivere coguntur, *l. fin. C. de Judæis.* quod ipsis sit in pœnam, quia Christum DEI Filium, & generis humani redemptorem non tantùm crucifixerunt, sed eundem perpetuis contumeliis malitiosè contemnunt.

Judex est, qui jurisdictioni præest, vel qui publicam habet de causis controversis cognoscendi & judicandi potestatem. Judex debet esse vir bonus, juris dicendi peritus, ad id munus publicâ autoritate vocatus. Judicis officium est duplex, (1) nobile, & (2) mercenarium. Illud est, quod judex propriâ autoritate, proprioque motu absque partium litigantium imploratione exercet, licet nulla actio vel accusatio sit instituta; quod ut plurimum fieri solet in delictis publicis, nullo existente accusatore; ubi judex ex officio procedit; quod fit ob publicam utilitatem, cujus rationem accuratam habere debet judex, ne respublica quid detrimenti sentiat, *l. 13. ff. de offic. præsid.* & ne delicta atrociora maneant impunita. Hoc scil. mercenarium judicis officium est, quod judex ob implorationem partis litigantis impertit: nam judex regulariter officium suum nisi imploratus impertire non solet, nec debet, juxta vulgatum illud: Wo kein Kläger ist / da ist auch kein Richter; intellige in causis civilibus. Contrarium in causis criminalibus atrocioribus observatur in favorem reipubl. ut tranquillitas salusque civium tantò meliùs conservetur.

Judex idoneus & probus ex 4. requisitis cognosci potest, (1) requisitum est, ut autoritate publicâ judicio præsit, hoc est, ut vel ipse habeat jurisdictionem, vel datus sit ab eo, qui judicis dandi licentiam habet, *l. 1. ff. de jurisdict. & l. 12. §. 1. ff. de judic.* (2) ut is constitutus sit judex, qui secundum leges dari vel constitui potest, ne sit infamis, impubes, furiosus, mente captus, vel judicio carens, *d. l. 12. §. 1. &c.* tales enim officio Judicis fungi prohibentur, (3) ut sit

sit judex competens in ea causa, de qua agitur: quoniam secularis de causa Ecclesiastica cognoscere nequit, & vice versâ, nec judex Ecclesiasticus de causa civili judicare potest: (4) ut non sit ex justa aliqua causa suspectus, ob quam justè recusari & rejici possit; sed sit vir, qui remoto omni personarum & affectuum respectu jus suum cuique tribuit, qui postposito omni privato interesse ut vir bonus & conscientiosus justitiam gratis administrat: nam justitia non debet agnoscere patrem, vel matrem, sed secundum leges cœcis oculis judicat; ne injusto amore, vel indigno odio, aut sordido lucro corruptus iniquam ferat sententiam: hinc justitiam clausis oculis depingere solent pictores.

Judex pro veritate indaganda omnia rimari debet, & rei qualitatem plenâ inquisitione discutere: utramque partem remotis pravis vel privatis affectibus sufficienter debet audire, causamque controversam tamdiù ventilare, ac litigantes & testes interrogare, donec ad rei veritatem plenè perveniat, *caus. 30. quæst. 5. can. 11.* ne ex quadam mentis præcipitantia uni parti iniquè noceat, vide *caus. 2. q. 1. can. 20.* Idcircò judex circa merita causæ diligenter observare debet, num illud, quod narratur, verum, vel falsum sit, quod ex confessione partis adversæ, ex præsumtionibus, instrumentis, aliisque probationibus, & circumstantiis satis colligere potest. Num verò factum controversum sit satis probatum, judicis arbitrio relinquitur.

Judex pretio aut gratia depravatus malè judicando notatur infamia, & ei, quem læsit, omne damnum illatum resarcire, h. e. litis æstimationem & refusionem expensarum solvere cogitur, *l. 2. C. de pœn. jud. qui malè judic.* Ast si per imperitiam malè judicat judex, pœnâ saltem pecuniariâ mulctatur ob commissam latam culpam, dum jura ignorat, quæ omnes judices scire debent. Jure Canonico per annum saltem ab officio suspenditur judex, si malitiosè judicaverit, & insuper parti læsæ litis æstimationem refundere cogitur, *c. 1. de sentent. & re judicata in 6to.*

Judex acta legendo sententiam laturus, duo præprimis attendere debet. Primum est, ut processum judicialem accuratè observet, ne judiciorum substantialia omittantur, vel causa controversa confusè tractetur. Alterum est, ut ipsius causæ merita ad unguem consideret; quoniam judici probo & prudenti convenit, remoto omni affectu pravo circumspectam industriam circa causam controversam

ſam adhibere, ut cautè conferat inter ſe productas actoris & rei rationes, probationes, & jurium allegationes; inſuper ut probè ſcrutetur, uter litigantium meliores & firmiores rationes & probationes pro ſe pugnantes habeat. Genus etiam actionis inveſtigare debet judex, quod ex libelli concluſione colligere poteſt; intellige ſi actio ſit civilis; quod ſi verò actio ſit criminalis, poterit genus actionis ex delicti qualitate ſtatim cognoſcere. His omnibus probè cognitis & obſervatis, prudenti judici non erit difficile ſcire, quid in cauſâ controverſa ſit pronunciandum, & quid de expenſis litis ſtatuendum, num compenſandæ, vel refundendæ ſint.

Judex tenetur ſecundum acta & allegata vel probata judicare, *l. 6. §. 1. ff. de offic. præſid.* & non ſecundum conſcientiam; ratio eſt, quia judex eſt legis ſaltem miniſter, non autem moderator & arbiter, qui pro ſuo beneplacito & privato arbitrio judicare poteſt; ne ſub prætextu privatæ ſuæ ſcientiæ, (& non conſcientiæ) affectibus nimium indulgendo iniquè judicet: judex enim ſub hoc ſpecioſo prætextu, (ſe judicare ſecundum conſcientiam) poſſet ſpe lucri, amore, odio, &c. ex pravis affectibus iniquiſſimam ferre ſententiam. Quod ſi verò judex rem aliter ſciverit, quod rariſſimè accidit, amore veritatis detegendæ alteri judici cauſam hanc decidendam committere debet, ut ipſe ſit in hac cauſa teſtis; quoniam nimis execrabile foret malum, ſi aliud noſſet conſcientia, aliud lingua decerneret, vid. *de hac re egregium textum in cauſ. 3. q. 7. can. 4.* nam quidquid eſt contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, &c. Ex dictis patet, judicem Bononienſem non potuiſſe ſecundum acta & probata abſolvere Titium homicidii accuſatum, quem ſtans ad feneſtram viderat malitiosè occidere Sejum: licet Titius coram eo tanquam ſuo judice neque teſtibus convictus ſit de homicidio perpetrato, neque ipſe ad confitendum ex certis rerum circumſtantiis adigi potuerit: quo caſu judex ad detegendam rei veritatem ſuum potius ſuſpendat judicium; cauſamque ad ſuperius forum devolvendo, induat perſonam teſtis, ne perſonam judicis & teſtis ſimul confundere videatur; ſic privatæ ſuæ conſcientiæ & officio & charitati proximi prudenter ſatisfecit. Aſt ſi judex ex oculari inſpectione propriâ rem controverſam ſufficientiſſimè ſciat, quod tamen à parte adverſa defectu probationis plenè demonſtrari nequit; peſſimè facit judex, (prout ſuperius diximus) ſi in tali caſu ſecundum acta & probata judicaverit, cum læſam indè habuerit conſcientiam; ſed pruden-

ter agit, si hanc causam ad aliud forum, vel alium judicem dimittat, induendo ibi personam testis, ne veritas negotii ipso tacente iniquè supprimatur.

Judex an possit de proprio negotio controverso ferre sententiam? Resp. nemo regulariter debet esse judex in propria causa, *l. 10. ff. de jurisdict. & t. t. C. ne quis in sua causa judicet.* ratio est, ne in sui favorem & adversæ partis præjudicium contra jus sententiam iniquè ferat; amor enim sui plerosque mortales transversos agit, cæcosque reddit in rebus propriis. Ideò à tali judice nihil aliud exspectandum est, nisi quod perversum & iniquum sit. Hinc haud absurdè ratiocinatus est rusticus, à Nobili suo domino in jus vocatus, quærendo, quis me in jus vocavit? respondit Nobilis, ego: quis erit meus judex? respondit, ego. Ergò per DEUM contestor, inquit rusticus, quod ceciderim causâ; sic sæpè miseri rustici injustè condemnantur. Ab hac regula excipiuntur (1) supremæ potestates, ut Imperator, Reges & Principes, præter DEUM & gladium neminem superiorem agnoscentes; hi in causis propriis judices esse possunt, & volunt, *l. 41. ff. de hæred. instit.* & quod illi interdum ex corpore juris, vel doctrina canonum probare non possunt, vi *canonum* (sivè tormentorum) & triginta, vel 40. millium armatorum testium per viam facti, Præside Marte, probare conantur; ubi læsis non datur ad majus tribunal provocatio, sed sint sorte suâ contenti, humillimè accipiendo leges à victoribus datas & latas, (2) exceptio est, quod quis possit contra regulam debitorem in fuga comprehensum propriâ autoritate apprehendere, eique pecuniam secum ferenti sine judice in sui securitatem statim auferre: ratio assertionis est, quia creditor in hoc periculoso casu tantùm temporis salvo suo jure non habuit sibi reservatum, ut Magistratum prius adiret; quoniam nihil esset certius, quàm, si creditor id faceret, (h. e. adiret Magistratum) debitum suum debitore aufugiente iniquè amitteret.

Judex regulariter non debet litigantibus impertiri, (h. e. communicare vel deferre,) officium suum, nisi imploratus, ne quid contra demandatum officium & conscientiam in favorem unius, & præjudicium alterius agere videatur, *l. 4. §. 8. ff. de damn. infect.* Ab hac regula datur exceptio, nisi publica utilitas, vel reipublicæ salus id exposcat; quo casu officium judicis nobile proprio motu, nulla etiam proposita accusatione, nullo accusatore existente exerceri potest:

est: ratio est, quia bono & prudenti Præsidi sivè judici congruit curare, ut pacata ac quieta sit provincia, quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat; & prout quisque deliquerit, in eum animadvertat, *l. 13. ff. de offic. præsid.* Sic pij & probi judicis est, sollicitè curare, ut debitæ solennitates in judicio observentur, sine quibus judicium redditur elusorium; & ne lites reddantur immortales, quibus subditorum facultates iniquè exhauriuntur; cum reipublicæ intersit, subditos habere divites.

Judex suspectus recusari potest, *l. 16. C. de judic.* intellige, si justa suspicionis causa allegata probetur, e. gr. si judex litigatori sit inimicus aut amicus, cognatus vel affinis, vel donis corruptus: res enim periculosa est, & tristissimos solet sortiri eventus, sub judice suspecto, vel affectibus dedito litigare, *dict. l. 16.* hinc dicit jus canonicum, quod judex cupidus citò vendat judicium, quodque auro citò violetur justitia, *caus. 11. q. 3. can. 72.* ratio est, quia xenia & dona obcoecant oculos sapientum, *Ecclesiast. 20.* & subvertunt verba justorum, *Exod. 24.* &c. Judicia humana à quatuor judicum passionibus regulariter pervertuntur, nimirum timore, cupiditate, amore & odio, &c. Quod si judex sit suspectus, & pars litigans contra suspectum judicem ante litis exordium sivè litis contestationem non exceperit; tunc litigantes litem contestando, judicem suspectum reddunt competentem.

Judex non debet esse clementior lege, *Novell. 82.* Ergò si lex delinquenti infamiam irrogat, judex infamiam damnato remittere nequit; ratio est, quia judex non tantâ pollet autoritate, ut juris autoritatem directò infringere possit: hic nota, judicis officium in tribus potissimum consistit, (1) in solida causarum cognitione, ut causam controversam plenè cognoscat, (2) in justa sententiæ definitione & pronunciatione, & (3) in executione sententiæ, *l. 1. ff. de sentent. & re judic.* quoniam sententia sine executione est quasi campana sine pistillo, quæ nihil operatur.

Judex sententiam à se latam regulariter postea mutare vel corrigere nequit, *l. 55. ff. de rei vindicat.* quia res non amplius est integra; semel enim officio suo functus, sivè benè, sivè malè, desinit in eadem causa esse judex. Ne autem quis judicis injustâ sententia iniquè lædatur, ideò beneficium appellationis introductum est, ut in superiori tribunali causa controversa iterum exami-

nari possit, & si sententia ab inferiori judice lata ibidem deprehendatur iniqua, corrigitur; sin verò sit justa, approbatur. Interdum etiam judex inferior ob dolum vel latam culpam commissam condignè punitur.

Judex laicus sivè secularis de causis Ecclesiasticis vi jurisdictionis suæ judicare non potest; ratio est, quia causæ ecclesiasticæ ad forum ecclesiasticum spectant, *c. 2. X. de jud.* Ex opposito, Clericus non debet se negotiis secularibus immiscere: quoniam indecorum est, Sacerdotes & Clericos, qui Ecclesiæ inservire debent, in foro civili dijudicandis causis secularibus occupari: imò opprobrium sit Sacerdotibus, si se velint negotiorum forensium peritos ostendere; prout piè & prudenter asserit Imperator in *l. 23. C. de testam.* Cæterùm in causis fori mixti, puta partim ecclesiastici, partim secularis is est judex, ad quem causa primum à litigantibus est delata, ita ut in tali casu locus sit præventioni jurisdictionis.

Judex ob denegatam justitiam, vel injustam hominis incarcerationem justè conveniri potest, non quà judex, sed quà privatus; quia hoc fecit contra expressas leges, & officium sibi demandatum: judici enim sivè Magistratui nihil injuriosè facere licet, *l. 32. ff. de injur.* Sic in judicis potestate & arbitrio non est, litem sic abbreviare, ut probationes necessariæ & defensiones legitimæ omittantur, *clement. sæpe. 2. de verb. signif.*

Judices DEI & legum timore debent proferre sententias de causis controversis, *Novell. 23. c. 3.* si enim dolosè judicaverint, DEUM vindicem & leges in se armatas experientur. Caveant ergò, & prudenter attendant judices, ut in causarum processibus nihil sibi vindicet odium, vel favor usurpet; timor exulet, præmium aut exspectatio præmij justitiam malitiosè non evertat; sed stateram gestent in manibus judices, lances religiosè appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causa controversa fuerint agenda, præfertim in concipiendis & ferendis sententiis præ oculis habeant solum DEUM, ut sic judicent, sicuti in extremo judicio ipsi judicari expetunt, *c. 1. de sentent. & re judic. in 6to.* Ergò pessimè fecit Pilatus, qui non juxta conscientiam, sed secundum falsa testium allegata Christum injustissimè condemnavit; nam Pilato innocentia Christi satis erat perspecta; quod apertâ suâ protestatione satis declaravit, dum inter alia publicè dixit: innocens sum à sanguine hujus justi, &c. Hic probè notandum, quod judex in ferenda sententia

tentia dupliciter peccare possit, vel (1) ipso delicto, & doloso suo proposito, vel (2) per imprudentiam sivè ignorantiam malè judicando. Hinc quoties judex ex doloso proposito, gratiâ, amore, odio, vel pecuniâ corruptus iniquam fert sententiam, longè gravius puniendus censetur, quàm si hoc fecerit per imprudentiam: ratio est, quia id sciens, prudens, ex proæresi, & datâ operâ contra jus in maximum alterius præjudicium & dolosè facit: ob id notatur infamiâ, ac amissâ dignitate condemnatur ad veram litis æstimationem refundendam, *l. ult. C. de pœn. jud.* Ast quando judex per imprudentiam vel ignorantiam malè judicat, tunc pœna est lenior; attamen quia judicis imprudentia vel ignorantia est species culpæ, (dum artem, quam profitetur, scire debeat) & culpa est pars delicti; sic ex quasi delicto obligatur, & per consequens pœnam arbitrariam subire cogitur, quantum superiori Judici æquum videbitur, *l. 5. §. 4. ff. de obligat. & act.* Plausibile & exoptandum sanè foret argumentum, si (1) omnes judices ubique locorum ob corruptum & dolosum animum iniquam ferentes sententiam, infamiâ notarentur, cum damni illati refusione in terrorem aliorum, & (2) si omnes asinini cerebri judices (prudentes hic excipio) inter equum & bovem saltem distinguere callentes, ob crassam & tenebrosam ignorantiam arbitrariæ superiorum judicum saniori sententiæ essent obnoxii, tunc utique multa in republica mala, multæ querelæ, suspiria, planctus & maledictiones subditorum justè tollerentur, ad majorem in republ. tranquillitatem conservandam.

Judices & Medici munere quadantenus inter se comparantur, nam sicuti Medici morbos corporis, ita judices vitia animi curant. Ob eam rationem Medici boni morborum corporis, & ægrotorum constitutionis cognitionem habere debent; & judices ingeniorum, morum & actionum civilium periti esse debent.

Judicium generaliter acceptum vel est in homine, vel extra hominem; judicium in homine accipitur pro discretione animi, sivè pro facultate mentis, quâ homo res & negotia mundana à se invicem rectè distinguit. Judicium verò extra hominem accipitur iterum dupliciter, (1) minus propriè pro loco, in quo causæ controversæ exercentur, quo sensu quis dicitur in judicio comparere, *c. 1. de judiciis in 6to.* & eo sensu forum sive locus litium exercendarum dicitur judicium; & (2) judicium accipitur propriè pro omni illo actu, quo de facto vel negotio controverso apud judicem publicè agitur. In

honoribus, aut (3) de existimatione, vel (4) de criminibus *l. 5. pr. ff. de extra. cognit.* Forma sivè modus in judiciis solennis est, actor offert imprimis jûdici libellum, petitque citationem; deinde partes litigantes litem contestantur, exceptione à reo proposita, quam actor replicatione diluere intendit; hanc reus duplicando iterum supprimere studet; & sic consequenter, donec omnibus allegationibus propositis, factis cognitis & probatis causa conclusa judici committitur: Sic tandem sententia definitiva sequitur. Finis judiciorum est, ut quisque præsidio juris publico fruatur. *l. 5. C. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*; lites terminentur, & ut quilibet jus suum in judicio consequatur mediante autoritate Magistratus *l. 13. ff. quod metus caus.*

Judicium est vel ordinarium sivè solenne, vel summarium. Judicium ordinarium est, in quo causæ controversæ pleno & solenni juris processu cognoscuntur, ac deciduntur. Judicium summarium est, in quo de simplici & plano cognoscitur, omissis quibusdam, quæ aliàs in judicio ordinario requiruntur. Nota hîc, judicia summaria fiunt quidem absquè solennitatibus simpliciter, & de plano; necessariò tamen requirunt ea, quæ sunt juris naturalis & gentium; quæ verò sunt juris civilis, præscisè non requirunt; ideo 6. sequentia in iis omitti nequeunt, utpotè (1) citatio, (2) brevis rei controversæ narratio, (3) petitio, (4) probationes necessariæ, (5) cognitio causæ brevis, & denique (6) sententia cognitionem causæ sequitur. Ex dictis colligi potest, quod sequentia, quæ juris civilis sunt, & in judiciis ordinariis observantur, possint in judiciis summariis omitti vel negligi; qualia sunt (1) libelli oblatio, (2) articulorum compositio, (3) feriæ in honorem hominum indictæ: ut dies natalis Principis, (4) dilationes, (5) publicatio attestationum, (6) jusjurandum calumniæ, (7) conclusio in causa, & (8) recitatio sententiæ ex scripto, à judice pro tribunali sedente facta.

Judicium possessorium & petitorium contrarias habent naturas; petitorium est ipsa rei vindicatio contra possidentem competens: ergo non competit habenti possessionem. Hinc dum civilis & naturalis ratio facit, ut alius rem possideat, & alius eandem à possidente petat *§. 4. Inst. de interdict.* ideo hæc duo judicia, puta, possessorium & petitorium non possunt inter se conjungi, & cumulari *l. 13. C. de rei vindicat.* & *l. 3. C. de interdict.*

Judi-

tus est dubius. Cicero judicia, inquit, aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta & instituta sunt.

Judicium sivè forum humanum multum autoritatis habet. Judiciorum dignitas, autoritas, & Majestas non aliundè magis colligitur, quàm ex eo, quòd ex omnibus rebus humanis nihil est, quod Divinitatem magis repræsentat, quàm judicia. Nam sicuti Deus omnium rerum creator, gubernator, & Judex summus judicia semper à condito mundo exercuit, ut ex Angelorum lapsu, & Judæ Apostoli, ac infinitorum aliorum exemplis patet; ita homines Judiciarii muneris participes reddere voluit, & ordinem judiciorum in genere humano instituit, conservat, ac tuetur. Quod exemplo suo comprobat *Genes. 3.* dum protoplastos primos nostros parentes propriâ voce in jus vocavit, Adam ubi es? quæ est citatio; subsecuta deinde comparitione rei, (scil. Adami) instituta est accusatio & probatio criminis. Huic proxima fuit responsio rei, quæ litis contestationem continet, annexâ quadam exceptione, quâ Adam perpetratum crimen in alium transferre conatus est, quamvis frustrà. Verùm quia crimẽ secundum quid stimulante conscientia agnovit, reus est factus, confessio enim proprii oris fortissima est probatio. Ob id aufugit, sequè abscondidit. Præviâ sic plenaria causæ cognitione sententiam condemnatoriam & pœnam Adamo temerè delinquenti pronunciavit Deus, ut ex paradiso expelleretur, & quidem ipsis Angelis Divini judicii & sententiæ executoribus constitutis. Quo factum, ut Adam beatissimo vitæ statu justè privatus, miserias & calamitates ad nos innocentes ceu posteros suos iniquè transtulerit; quod contra juris regulas: pœnæ debent saltem tenere suos autores, *l. 22. C. de pœn.* & innocentes non gravare. Sed propter delicti atrocitatem pœna se quoquè in Adami posteros extendit. Duram hanc conditionem feramus æquo animo, exclamantes cum S. Augustino, O Deus! hic ure, hic seca, modò in æternum nobis parcas; quoniam nobis peccatoribus, nostrisque animabus longè salutarius est, per breve tempus hic ærumnas & afflictiones mundanas condignè pati, quàm æternum cruciari, & cœlestibus gaudiis privari.

Judicium omne suas solennitates requirit. Ergo in nullo judicio adeò summariè est procedendum, ut substantialia processus à jure naturæ inducta omitti possint; qualia sunt probationes, necessariæ & defensio-

fensiones legitimæ. Has judex nemini legitimè præscindere potest *clement. sæpe.2.de verb.signif.* Ea de causa dicunt JCti, quod si ipse diabolus in judicio compareret, inauditus non esset condemnandus: quia ille toties non est in culpa, quoties à delinquentibus temerè accusatur. Exemplum est in promtu. Puella quædam ruri vivens è suo pago circa vesperam abiit ad alium pagum proximum, ut nuptiis ibi celebratis, ad quas antea erat invitata, interesset, seque cum juvenibus more solito saltando recrearet; in via puellæ obviam processit diabolus in forma viri senis, prævià salute ex illa amicè quærendo, quorsum? illa respondit ad nuptias; recede quæso, dixit diabolus, aliàs virginitate tua dolosè privaberis; ad hæc fervidè regessit puella, abi in malam rem furcifer, virginitatem meam facilè conservabo illæsam; quid factum, illa neglectis diaboli monitis nuptiis interfuit; sed inter pocula, confabulationes, saltationes, oscula & juveniles amplexus à juvene quodam præter spem impraegnata est. Elapsis aliquot mensibus Magistratui ecclesiastico innotuit, hanc puellam esse gravidam; ideo illa vocata est in jus, & publicè interrogata, quo pacto se ad tanta mundi opprobria, & virginitatis deflorationem pessimè deduci permiserit. Vah, inquit illa, diabolus me seduxit; cui diabolus ad suam in hoc casu innocentiam demonstrandam in conspectu Magistratus sub specie viri impegit colaphum, dicendo: pessima & calumniosa meretrix, quid garris? nonne tibi antea fideliter dissuasi libidinosum hoc negotium, cum te in campo sub specie viri senis comparens, de futuro tuo infortunio satis admonui; quare ergo mihi libidinem tuam contra conscientiam & fidele meum monitum scelestè imputas? Ad hæc contremuit mulier, remque se ita habere spontè confessa est. Hinc videmus, quod etiam ipse diabolus, licet sit totius generis humani abjuratus hostis, ac mille fraudum artifex, toties delictorum non sit autor vel suasor, quoties à delinquentibus accusatur. Sed propria hominum malitia, libido, ebrietas, superbia, crudelitas &c. est causa peccati.

Judicium quotuplex ex delictis formatur? Resp. ex omni delicto duplex judicium nascitur, unum civile, & alterum criminale. Civile est, per quod non ad vindictam, sed ad rem familiarem & privatam agitur: v. gr. cum actor petit, rem sibi restitui, pœnamque pecuniariam sibi, ut parti læsæ applicari. Judicium criminale est, per quod agitur ad publicam vindictam & pœnam alicui imponendam, quo vel corpus

pus delinquentis punitur, vel pœna pecuniaria fisco applicatur *l. 9. §. 5. ff. de publ. & vectigal.* In hoc criminali judicio potest reus simultaneo processu, ac unico judicio simul ad pœnam & damni illati reparationem criminali & civili actione conveniri, ac condemnari *l. 23. §. 9. ff. ad L. aquil.* Hic observandum, quando utraquè actio in uno libello proponitur, tunc criminalis actio principaliter, & civilis actio incidenter sivè accessoriè proponitur, *l. 56. §. 1. ff. de furt. & l. 4. §. 4. ff. finium. regund.* quia illa est majoris ponderis & præjudicii.

Judicii sunt tres partes principales, (1) est litis contestatio, (2) probationes, & (3) sententia judicis. Dantur adhuc duo alia, quæ ad judicium requiruntur, ut (1) citatio, quæ litem antecedit, & (2) executio, quæ sententiam subsequitur; si enim executio non sequeretur, judicium esset illusorium; quis judicis sententiam curaret, nisi eam in effectum deducere posset: idcircò dicunt JCti, sententia sinè executione est instar campanæ sinè pistillo.

Judicium (sive actio) communi dividundo instituitur inter eos, quibus res aliqua particularis ex societate, vel extra societatem ex justa causa est communis, ut illa inter eos dividatur. Hoc judicium à judicio familiæ erciscundæ distinquitur tribus modis, (1) respectu causæ efficientis; nam judicium communi dividundo oritur ex dominio, vel alio jure in re, præter jus hæreditarium. Judicium verò familiæ ercifcundæ saltem oritur ex jure hæreditario &c. (2) respectu subjecti: illud omnibus rem communem habentibus competit, hoc saltem coheredibus *l. 2. pr. ff. comm. divid.* (3) respectu objecti sivè materiæ: illud versatur circa divisionem rerum singularium; hoc verò circa divisionem rerum universalium sivè hereditariarum.

Judicium solvitur quinque modis, (1) per sententiam definitivam *l. 1. ff. de re jud.* (2) per mortem rei conventi in crimine suspecti *§. 8. Inst. de susp. tut.* ut & in omnibus criminibus publicis, excepto perduellionis, repetundarum, peculatus, & residui, *l. 20. ff. de accusat.* (3) per mortem accusatoris in accusationibus *l. 19. ff. de accusat.* (4) per partium litigantium à lite discessum, vel transactionem *l. 4. C. de pact.* & (5) per solutionem rei petitæ & satisfactionem *§. fin. Inst. de perpet. & tempor. act.*

Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur, *l. 8. ff. de legib.* ita ut omnes in orbe Romano viventes ad obedientiam vel

pœnam obligent. Ergò quandò subditus non vult juxta legum normam vivere, tunc ob inobedientiam justè punitur.

Juramentum est religiosa rei controversæ asseveratio legitimè facta, quâ quis pro animi sui conscientia Deum in Judicem, vindicem, & testem vocat ad firmandam suam fidem, Divinamque pœnam in se religiosè deposcit, nisi verum dicat. Idcircò juramentum censetur maximum litium expediendarum remedium; quod pro veritate habetur, & facit ex non debito debitum *l. 1. ff. de jurejur.* præstito enim juramento non amplius de causæ veritate disceptatur, *l. 5. §. 2. ff. d. t.* sed pars adversa acquiescere cogitur; nec deferens amplius auditur, si contra præstitum juramentum contrarium pro intentionis suæ defensione probare velit, *d. l. 1.* quia sufficit alterum jurasse; & si malè id fecerit, in sui damnationem æternam fecit, de quo Deus cordium scrutator in extremo judicio judicabit. Ob eam rationem juramentum præcedat severa admonitio, ne temerè jurent testes, Deumque perjurii ultorem provocent; cum testis perjurus obnoxius sit (1) Deo, quem temerè contemnit, (2) judici, quem falso testimonio ad iniquam sententiam ferendam decipit & (3) innocenti, quem contra conscientiam impiè lædit. Juramentorum varia in jure sunt genera, quæ loco probationis succedunt, suntque probatio extraordinaria: de his in sequenti titulo tracto.

Juramenti species regulariter sunt triplicis generis, (1) est juramentum voluntarium, (2) necessarium, & (3) judiciale. Illud extra judicium pars parti litiganti defert. Istud inopiâ probationum â judice litigatori imponitur. Hoc est, quod pars litigans parti adversæ in judicio defert: ad has tres juramenti species reliqua sequentia juramenta referuntur. Sic in limine judicii (1) est juramentum calumniæ, quod omnes litigantes (ut actor & reus) post litis contestationem ad evitandam calumniam præstare coguntur, si ab iis exigatur *auth. principalis C. de jurejur. propter. calumn.* quo jurant, se non fovere litem animo calumniandi, & adversarium malitiosè vexandi, sed justâ causâ fretos agere, *l. 2. C. d. t.* Quod si verò actor juramentum calumniæ præstare recuset, cadit causâ; ratio est, quia præsumitur temerarius litigator; ast si reus id recuset, habetur pro confesso, *c. fin. X. de juram calumn* quia is, qui litigare pergit, & juramentum calumniæ recusat, habetur pro temerario litigante; juramentum enim calumniæ sivè malitiæ eo fine inventum est, ut litigantes timore Sacramenti ab iniquo litigio deterreantur. Vocatur etiam juramen-

mentum credulitatis, quod litigantes præstant de conscientia & bonitate causæ, quam habere opinantur, *d. l. 2. C.* Juramentum hoc calumniæ est duplex, generale & speciale. Generale est, quod statim in exordio post factam litis contestationem ad totam causam controversam præstatur, *c. 1. & c. pen. X. de jur. calumn.* Speciale juramentum calumniæ est, quod in qualibet parte judicii usque ad causæ controversæ conclusionem exigente adversario præstari solet, &c. (2) Est juramentum subjectionis (quod propriè vocatur homagium) quod subditi præstant Domino ad subjectionem, obedientiam & fidelitatem præstandam. Ab hoc differt (3) juramentum fidelitatis, quod præstat vasallus Domino feudi de obedientia, obsequio, servitio, & fidelitate, pro accepto beneficio præstandis; sed vasallus non est subditus. (4) Est juramentum conventionale, quod ex conventione sivè consensu partium præstatur *l. 1. ff. de jurejur* quod est duplex, vel extrajudiciale, vel judiciale. Juramentum extrajudiciale est, quod pars parti extra judicium ex conventione defert, & spontè præstatur, *l. 28. §. fin. ff. ibid.* quia nemo præcisè cogitur hoc præstare, sed ex nuda partium voluntate dependet; ideo etiam vocatur voluntarium. Juramentum judiciale est, quod in judicio pars parti ex conventione defert Judice approbante, *l. 12. §. 1. Cod. de reb. credit.* ad quod præstandum, vel referendum quis in judicio cogi potest; ratio est, quia manifestæ turpitudinis & confessionis nota est, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre *l. 38. ff. de jurejur.* quia per hoc videtur causæ suæ diffidere, malamque fovere causam. (5) Est juramentum necessarium, quod ipse judex in causis civilibus dubiis ob inopiam probationis uni ex litigantibus defert veritatis explorandæ causa, *l. 31. ff. d. t.* ubi si actor semiplenè probavit, judex actori defert juramentum suppletorium, ut actor mediante hoc juramento semiplenam probationem suppleat, *dict. l. 31.* Ast si actor plenè probavit, reus statim condemnandus est: sin nihil probavit, reus absolvendus est absque juramento, *l. 4. C. de edendo.* Quod si verò actor reum suspicionibus & præsumtionibus saltem oneret, quo casu judex reo juramentum purgatorium defert, ut conscientiam suam purget, ac innocentiam suam mediante juramento publicè indicet, *c. fin. X. de purgatione canonica.* (6) Est juramentum in litem, quo actor ob intervenientem dolum vel contumaciam adversarij rem non restituentis, rem suam, quam in judicio petit, consensu judicis ipse præstito juramento pro suo arbitrio

trio æstimat, seu rem tanti sibi esse solenniter contestatur, *l. 1. 2. & 4. pr. §. 1. ff. de in litem jur.* hoc tamen taxationem & moderationem judicis admittit, quæ moderatio judicis meritò juramentum præcedere debet, *l. 4. §. 3. & l. 5. §. 1. & 2. ff. de in litem jurand.* Juramentum hoc in litem est duplex, vel (1) est juramentum affectionis, vel (2) veritatis. Quod autem quis ultra verum rei pretium rem suam ablatam pro privato suo affectu æstimare possit; hoc fit eo fine, ut puniatur dolus & contumacia rei, rem non restituentis, *l. 1. & 2. §. 1. & l. 8. ff. h. t.* Hîc probè notandum, quod lis hîc non significet ipsam litem sivè controversiam, sed rem, de qua controversia est; quo sensu dicunt jura, litem æstimare, hoc est rem controversam, *l. ult. ff. de condict. tritic.* In jure dicitur, quod in litem juranti & æstimanti liceat in infinitum jurare, ultra verum rei pretium: hoc in sensu civili & morali est intelligendum, *§. 4. Inst. de hæredib. institut.* intellige, quatenus jurantis potestas legibus & æquitati naturali non est contraria. Hic porrò nota, omnia juramenta per solum & verum DEUM ut testem & vindicem fieri debent; ubi jurans se ad pœnas æterni exitij spontè & solenniter obligat erga DEUM, si datâ opera falsò juret. Ergò non licet jurare per creaturas, nec per cœlum, nec per genium, aut salutem Principis, ut olim factum est, *caus. 22. q. 1. can. 8. & seq. & Matth. 5. v. 34.* nam qui per membra DEI, per ejus capillum, vel ejus caput jurat, pro commissa blasphemia ut blasphemus gravissimè vel capitaliter puniendus est, *d. caus. 22. q. 1. can. 10.* Romanis olim maximum & sanctissimum erat juramentum per Jovem lapidem jurare, hâc formulâ: si sciens fallo, ita ejiciat me Jupiter urbe, arce, bonisque meis, ut ego hunc lapidem, quem statim, quâ poterat vi, projiciebat. Causa efficiens juramenti regulariter est duplex, (1) est consensus contrahentium sivè litigantium, & (2) est autoritas judicis, quoties ob defectum probationis, necessitate sic suadente, ad juramentum purgatorium, vel suppletorium, ceu ultimum refugium perveniendum est, *Novell. 73. §. 4.* Materia circa quam versatur juramentum, sunt res honestæ & licitæ; ratio est, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Forma juramenti ex definitione patet, ubi jurans non simpliciter saltem aliquid affirmat, vel negat; sed in majorem assertionis suæ fidem DEUM adducit testem, seque ad pœnas æternæ damnationis spontè obligat, si falsò juret. Hîc probè notandum, quod ad formam

mam juramenti essentialem non spectet, ut tactis sacrosanctis Evangeliis mares erectis prioribus digitis,& fœminæ iisdem appositis ad sinistrum pectus jurent: quoniam hæc inter adiaphora referuntur, quæ tutò adesse, vel abesse possunt; dum DEUS in juramenti præstatione non consideret ceremonias externas, sed cor jurantis, quâ mentis puritate, quâvè intentione juret. Causa finalis juramenti est, ut veritas detegatur,& tollantur controversiæ. Hîc quæritur, an omne juramentum sit illicitum? Resp. negando, quia ipse DEUS per se juravit, *Genes. 22. v. 16. & seq.* extant etiam piorum juramenta, *Genes. 14. & Josue 14. vers. 9.* & passim in sacris literis. Mens etiam Christi Salvatoris non est, ut quis omninò non juret ob fidem faciendam, salutem publicam promovendam, vel ob nostrum aut proximi nostri commodum observandum: nam in talibus casibus juramentum licitè permittitur; sed in iis saltem casibus jurare non licet, quoties quis dolosè, vel incassum, & vanum temerè jurat.

Juramentum non temerè præstandum est. Ergò ad juramentum non debet quenquam inducere spontanea voluntas, sed necessitas importuna eum ad id trahat, ne temerè, inconsultò, vel improbè juret; quo casu potest sine culpa & conscientiæ maculâ jurare; dummodò juramentum ejus tres comites sibi adjunctos habeat, (1) veritatem, (2) judicium, & (3) justitiam, quorum uno deficiente juramentum existit iniquum. Ergò furiosi & extremè ebrii juramentum ob judicii defectum censetur nullum. Jurans etiam probè animadvertere debet, an sint justa, quæ jurat, & an vera juret, ne ejus juramentum veritati repugnet, vide *cap. 26. X. de jurejur.* Hîc attendendum peto, prout in superiori titulo petij, quod juramenti ritus & ceremoniæ inter adiaphora connumerentur, quæ salvâ juramenti substantiâ abesse, vel adesse possunt: sic perinde est, an quis juret in judicio accensis candelis, vel tacto Evangelio; vel num mulier juret erectis prioribus digitis, vel iisdem ad pectus sinistrum appositis; sufficit, si essentialis juramenti forma adsit, quæ in eo consistit, ut quis præviâ severâ adhortatione sanctè juret, quod velit absque personarum respectu veritatem dicere: So wahr ihm Gott und sein heiliges göttliches Wort helffen soll.

Juramentum omne, quod absque salutis æternæ dispendio servari potest, nec vergit in alterius detrimentum, servandum est, *c. 8 & c. 28. X. de jurejur.* hinc si quis vi cogatur, vel dolo inducatur jurare super

per facto nullo jure prohibito, benè facit, qui juramentum tale adimplet; nisi id juranti gravissimè noceat: e. gr. siquis jurat vi, metuvè coactus, vel dolo inductus, quod rem suam bonis conditionibus vendere velit, jurans meritò obligatur; ratio est, quia Deum in testem & vindicem sanctè advocavit. Hinc juramentum jure canonico confirmat actum, vel contractum jure civili invalidum, modò talis actus, vel contractus non sit principaliter contra publicam salutem, vel bonos mores, & conscientiam; quale juramentum non est servandum, nec obligatorium *c. 58. de R. J. in 6to.* e. gr. si quis contrahat cum alio de flagitio, adulterio, homicidio, vel incendio scelestè committendo, tale juramentum contractui adjectum non obligat; quia non debet esse vinculum iniquitatis & malitiæ. Cæterùm juramentum ut confirmet actum invalidum, requirit hanc conditionem; ut sponte præstitum sit, non vi, nec metu, vel dolo expressum, *c. 2. de pactis in 6to.* Ergò datur exceptio, si jusjurandum vi, metu, dolovè extortum sit, quibus casibus, si indè gravissima, & non lævis læsio juranti nasceretur, potest à juramento licitè petere absolutionem; quâ impetratâ juramentum id nullius amplius est momenti, nec obligatorium, *c. 58. de R. jur. in 6to.* ne sit vinculum iniquitatis. Hinc JCti secundum jura statuunt, quod juramentum vi, metuvè extortum in foro quidem externo sivè civili non obliget, *auth. Sacramenta C. si adverſ. vendit.* ast in interno & in ecclesiastico quoad Deum obliget. Ideò si læsio ex juramento tali oriatur gravis, necessaria est absolutio & remissio ejus, pro quo DEUS ut testis & vindex intercesſit, *c. 2. X. de jurejur.* Si verò læsio sit levis, promissio adimplenda est, ne quis temerè juramentum rumpat.

Juramentum nemini regulariter deferendum est, nisi aliis legitimis probationibus deficientibus, *t. ff. de jurejur.* & *l. 17. ff. eod.* in defectum probationis sub conscientiæ violatione duntaxat admittitur. Ergò qui probationibus, hoc est, testibus idoneis, vel instrumentis, (sivè documentis) causam controversam demonstrare potest, jurare non tenetur.

Juramentum delatum quid operatur? Resp. quando actor reo juramentum in judicio legitimè defert, jurare cogitur; aut si jurare nolit, datur reo regulariter facultas jusjurandum actori ceu parti adversæ referendi, *l. 34. § 6.* & *7. ff. de jurejur.* Excipe, nisi actor facti & & circumstantiarum sit ignarus, reus contra gnarus; quo casu reus

non

non potest referre juramentum; qui verò juramentum sibi in judicio delatum præstat, is in causa controversa existit victor, *l. 1. pr. ff. quar. rer. actio.* hæc juramenti delatio habet vim rei judicatæ; dum deferens adversarium suum in propria causa constituit judicem: qui si pejuraverit, conscientiam quidem & animam suam gravissimè lædit, causam controversam nihilominus hoc malo remedio obtinet. Hic probè attendendum juranti, quod juramentum præstari non possit secundum restrictiones suas mentales in fraudem deferentis, prout nonnulli contra decalogum & conscientiam diabolico spiritu astutè docent; sed ad mentem & sensum illius, qui id defert, cum quo juranti controversia est, ingenuè præstare convenit; cum DEUM hujus rei habeat testem & vindicem, quem fallere dolosè nequit. Huc congruè refertur illud Plutarchi in Lysandro: qui juramento hostem dolosè circumvenit, is ostendit, â se hostem metui, sed Deum contemni, qui causam ultionis sibi semper habet reservatam.

Jurisconsulti in genere sæpissimè à suis osoribus pessimè describuntur, quod jura solummodò pervertere, omniaque contra conscientiam & juris doctrinam in proprium commodum malitiosè interpretari studeant, addito iniquo hoc elogio: Die Juristen seynd böse Christen. Si hoc de uno, vel altero subjecto dicatur, lubens concedo; quia & inter 12. Apostolos fuit unus Judas; quidni inter aliquot millia JCtorum invenirentur mali, spe lucri consequendi fas in nefas, jus in aliorum injuriam diabolicè pervertentes, ac summa imis in causarum tractatione miserè confundentes. Ast si de toto nobilissimo Jurisconsultorum ordine, deque jure Romano, ejusque doctrina idem asserere velint, instantissimè negatur; quoniam plurimi in Imperatoris, Regum, & Principum Aulis, Tribunalibus & Academiis reperiuntur cordati & sinceri JCti, DEI magis, quàm hominum gratiam ambientes, de quibus juxta *Matth. c. 5. v. 6.* verissimè dici potest; beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, &c. Juris quoque doctrina in se adeò est honesta, laudabilis, bona & pia, in jure naturæ & gentium quoad maximam sui partem fundata, omnia ad tria juris principia referens, puta, (1) honestè vivere, (2) neminem lædere, & (3) suum cuique tribuere, malos pœnis, & bonos præmiis afficiendo. Idcircò quæ jura hisce principiis resistunt, nomen juris non merentur, cum omnis lex rationabilis esse debeat. Quàm calumniosè ergò à quibus-

dam juris & JCtor. osoribus arte rudibus corpus juris dicatur meris nequitiis refertum, apertè patet; ostendat mihi quis, jus nostrum Romanum in certis saltem casibus hodie correctum, aliquid vel contra naturalem æquitatem, vel contra bonos mores, aut Jus Divinum directò præcipere; vel JCtos generaliter consideratos in suis publicis operibus & scriptis quicquam contra DEI verbum, vel Christianam charitatem publicè docere: certè nihil invenies mi Juris & JCtorum osor, attestante ipso Grotio in libro suo de jure belli & pacis, qui antiquos Romanos JCtos æquitatis studiosissimos meritò vocat. Forsan ideò ex crassa tua ignorantia tàm rigorosè ac calumniosè invehis in totum nobilissimum JCtorum ordinem, & in optimam juris doctrinam, quia usucapio, usura, concubinatus, & circumventio in contractibus jure Romano fuerunt impunè permissa; quorum duo priora non absolutè, sed secundum quid saltem censentur illicita: tertium ob majora mala, (nimirum ob adulterium & sodomiam in republica piè evitanda) olim fuit concessum, hodie verò correctum; & quartum ad lites amputandas in republica Romana sub certo temperamento civili est toleratum, quatenus absque dolo & fallendi studio ad statum œconomicum honestè augendum fiat, ne homines ob minimum prætensum dispendium statim ad lites & perpetuas rixas temerè prolabantur, ac continuò in foro versentur; quoniam reipublicæ interest, lites diminui. Quod primum concernit, usucapionem Imperatores in reipublicæ tranquillitatem ad tollendas lites prudenter invenerunt, ut si quis in rebus suis custodiendis & conservandis usque adeò esset negligens, ut intra longa tempora eas quasi pro derelicto haberet; res illæ haud iniquè cedebant cuivis bonâ fide occupanti eas; ne rerum dominia semper manerent in incerto. Ergò suæ potius negligentiæ, quàm alterius perfidiæ ascribat verus rerum Dominus, quod res suas supinâ quadam negligentiâ post longum annorum lapsum ad alios transferri passus sit, vide *t. ff. de usucap.* in hac tamen materia JCti hodie sequuntur jus Canonicum, quatenus jus civile ad peccata evitanda piè corrigit. Nec alterum nimirum usuras (mordaces & immoderatas cum Imperatore Justiniano excipio & damno) moderatas, quas Jus Rom. hodie duntaxat admittit, simpliciter rejicere licet, cum & jure Divino & naturæ sint permissæ, *Deuter. 23. v. 20.* si modo pecuniam mutuans â paupere vel egeno non acceperit usuras; pauperem enim nemo in suis

S 2 neces-

necessitatibus deprimere, sed eundem potius adjuvare debet. Excepto hoc paupertatis & necessitatis casu quid æquitati naturali magis foret contrarium, quàm si ego ex officio humanitatis tenerer mercatori diviti 1000. imperiales mutuò dare, & is meâ pecuniâ 300. 400. vel quingentos imperiales negotiando lucraretur, ut is solus omne id lucrum ex meâ pecunia absque ulla lucri participatione perciperet, fieretque inde locupletior, nec mihi pro illo dispendio, quod ego ipse interea pecuniâ meâ mutuò datâ uti non potuerim, (vel in coëmendos fundos non collocaverim) quicquam compendii tribuit; ut mutuatarius saltem gratum suum animum erga me contestaretur, exiguam lucri partem benevolè offerendo; utique mercator in tali casu fieret locupletior cum meo damno, qui idem forsan lucrum, vel non nihil minùs nummis meis benè utendo lucrari potuissem; stultus sanè foret, qui sic alteri mutuò daret pecuniam in sui dispendium, & alterius magnum commodum. Ne autem planè supprimantur commercia ob lucri ex parte participandi denegationem, consultius est, ut pecuniam sub modica usura mutuò dare liceat, quia illud non vergit in proximi, sivè mutuatarii oppressionem, sed in ejus potius promotionem, cui alioquin nihil mutuò daretur. Eo fine hodie in Imperio Romano quincunces usuræ, h. e. 5. pro centum prudenter sunt permissæ ad facilitanda commercia, *Recessus Imperii de anno 1530. tit. 26.* von wucherlichem Contract. Ex suprà dictis fluit, Ulpianum JCtum non errasse, dum dicit: meritò quis nos juris Sacerdotes vocat: Justitiam colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes, veram, non simulatam philosophiam affectantes. Hinc optimo jure proscribimus indoctos aut semidoctos Jurgistas, rabulas forenses, (in quibus multum clamoris, & parum prudentiæ & juris) ut & quosdam JCtos sordido lucro corruptos, qui cupidine sordidi lucri ad negotia potius confundenda, & jura saniora dolosè pervertenda, vel evertenda sunt aptiores, quàm ad justitiam excolendam, & defendendam. Ex indubitatis hisce argumentis vides, quàm iniquè JCti & jus Rom. à malevolis sit accusatum &c. Quod si verò omnia saniora jura, & JCtos promiscuè propter quorundam perversorum hominum malitiam aut ignorantiam culpare, reprehendere, vel eadem è medio planè per entia moralia cum

Magiſtro Samuele Puffendorffio tollere velis, nihil hoc conamine eſt iniquius & pejus: tolle duntaxat abuſum, ſalvo rerum licitarum uſu; ſic virtutem à vitio rectiſſimè diſtingues; cum nihil tam ſanctum, tàmq; juſtum & utile, quod abuſu ſupervenientе corrumpi nequeat: aſſertum hoc exemplis erit clarius. Quid ſacris literis ſanctius & verius? aſt cujus major in ſuperioribus & præſenti ſeculo eſt abuſus? unde tot damnandæ hereſes ſucceſſivè propullularunt, dum quilibet ſpretâ autoritate & interpretatione Eccleſiæ Catholicæ pro ſuo privato ſpiritu S. Scripturam captioſè interpretari conetur, &c. Quid juriſprudentiâ civili in communi hominum ſocietate juſtius, rectius & verius? ſed quoties illa à perverſis & malitioſis quibusdam mortalibus publicè ac privatim impiè corrumpitur, & in ſiniſtrum ſenſum perversè detorquetur. Quid ipſis judiciis & tribunalibus in republica eſt ſalutarius, & ad tranquillitatem in ſocietate communi conſervandam utilius? aſt quoties illa in cauſarum tractatione & diſceptatione peſſimè corrumpuntur & pervertuntur: e. g. dum judices interdum contra juſtitiam & æquitatem aliquid iniqui in actoris, vel rei præjudicium doloſè definiunt; vel dum litigantes in judiciis falſas cauſas fovendo, per calumnias vel ſubornatos teſtes adverſariis ſuis victoriam cauſæ ſubdolè extorquere machinantur; aut cauſas in ſui favorem, & aliorum damnum juſto diutius malitioſè differre, liteſque mortalibus immortales reddere, ſceleſto animo conantur: ob id tamen judicia non omninò tollenda ſunt, cum hæc mala non ipſis judiciis, ſed malitiæ & vitio hominum principaliter ſint adſcribenda, &c. Quid pecunia ſivè nummis in ſocietate humana ad neceſſaria vitæ ſubſidia procuranda, & commercia exercenda eſt utilius; verùm quid abuſu ejus eſt deterius, dum ſordida & inſatiabilis auri fames tot mortalium pectora peſtifero ſuo veneno invadat ac corrumpat; ut hoc malo nihil ſit potentius, nihil gratius, nihilq; vulgarius. Quid vino mortalibus eſt melius & jucundius, ſi modicè ſumatur; aſt ipſius abuſu quid pejus & periculoſius? unde tot jurgia, vulnera, cædes, adulteria, homicidia, & ſcandala, &c. Hinc priora repeto, tolle omnium rerum licitarum abuſum, ſalvo earum uſu, tunc nihil mali inde provenier, nihilq; turpe & vituperio dignum inde progerminabit; nec jura & JCti in hiſce terminis ulla cenſura & reprehenſione digni cenſendi ſunt; ſed potius omni honore, promotione ac gratia Imperatoris, Regum & Principum digni æſtimandi.

Jurisconsulti olim magni æstimati sunt ab Imperatoribus. (1) vocantur nobiles *in l. 2. § fin. ff. de excusat. tutor.* (2) vocantur nobilissimi, *in l. 4. §. 1. ff. ibid. & l. 7. C. de postul.* (3) Egregii & Illustres, *in l. 2. §. fin. ff. qui pet. tut. l. 2. §. 9. C. de veter. jur. enucl.* (4) vocantur gloriosi & Magnifici *l. 17. ff. de jur. patronat.* (5) Imperator Alexander vocat JCtum Ulpianum amicum suum *l. 4. C. de contrah. stipulat.* imo (6) vocat eundem patrem respectu ætatis, prudentiæ, & juris doctrinæ *l. 4. C. de locat. & conduct.* Utinam Reges & Principes hisce Imperatorum antiquorum vestigiis laudabiliter insisterent, non tot Lipsii, Lehmanni, Hippoliti, Puffendorffii &c. impunè existerent JCtorum osores & jurium Rom. destructores, qui omnia ex principiis Philosophicis & fictis suis conceptibus decidere volunt, quod in republ. commodè fieri nequit. Nam sicuti in omni arte, ita in jurisprudentia judicium peritorum magnam inducit probabilitatem, quia artifici in sua arte credendum. Ergo sicuti Medico in Medicina, ita Jurisconsulto in Jurisprudentia suus manet honos, autoritas, & fides.

Jurisconsultus consulenti officium suum justè denegare non potest; sed etiam invitus & coactus in casibus dubiis & causis controversis respondere cogitur. *Bartolus ad L. 7. C. de in integr. restit.* nam sicut Medicus juxta professionem suam ægrotantibus scientiâ sua Medica in casu necessitatis succurrere debet, ita JCtus litigantibus scientiâ juris inservire & opitulari debet, quoties patrocinium ejus honestè imploratur.

Jurisconsultus non tam considerat rerum substantiam, aut earum intrinsecam & naturalem qualitatem, quàm ipsum jus, quod quilibet circa rem habet; quoniam JCtus non considerat res mundanas physicè, prout Medici & Physici faciunt; sed res considerat moraliter & civiliter: cum nihil fermè in tota juris disciplina absolutè consideretur, sed omnia ferè, quæ in jure proponuntur, ad aliud relata intelliguntur, quatenus circa res mundanas justitia, æquitas, honestas sunt observanda, remotâ omni injustitiâ & vitiosis qualitatibus. Jus hoc in genere dividitur in jus in re, & jus ad rem *l. 30. ff. de noxal. action.* Jus in re est jus circa rem, quo jure rem nobis devinctam habemus; hujus sunt quinque species, (1) dominium, unde descendit rei vindicatio. (2) possessio, undè actio publiciana &c. (3) servitus, undè actio confessoria & negatoria. (4) hypotheca, undè actio hypothecaria, & (5) hereditas, quatenus pro jure succeden-

 di su-

di sumitur; undè hereditatis petitio oritur, (de his vide plura in titulo jus quod homines.) Jus ad rem est jus, quo non rem ipsam nobis devinctam habemus, sed personam, ad aliquid dandum vel faciendum. Ex hoc jure ad rem nascitur obligatio, quæ ex contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto originem trahit. Ex dictis patet, quod ex jure in re oriatur actio realis, & ex jure ad rem actio personalis.

Juris conservatio semper quærenda est; quoniam melius est, intacta jura conservare, quàm post vulneratam causam remedia quærere, *l. 1. Cod. quando licet unicuique sine judice se vindicare.* Ideo consultius est, ut quis rerum suarum possessionem quovis modo contra aliorum insultus conservare studeat, quàm ut ex iis depulsus per juris viam restitutionem quærere cogatur. Beati possidentes!

Jurisdictio toti societati humanæ summopere necessaria est. Cum respublica sit ordo imperantium & parentium, necesse est, ut forma reipubl. sit certa, à qua denominentur imperantes. Illa est potestas publica imperandi vel regendi, quæ iterum est duplex, vel (1) summa & independens, vel (2) subordinata & dependens à summa potestate. Illa scil. summa est penès eum, qui summo imperio præest. Hæc scil. dependens est, quæ ab eo, qui summum imperium habet, derivatur in alios. Potestas publica dependens à summa potestate regulariter versatur circa causas, de quibus in judicio controvertitur. Hæc potestas in jure Romano duobus actibus constat, & exercetur; (1) jussione, & (2) coërcitione. Illa dicitur jurisdictio, hæc verò vocatur imperium. Jurisdictio à jure dicendo dicta est basis & fundamentum judicii: ideo nemo potest jus dicere, vel judicare, qui potestatem jus dicendi non habet, *l. 1. §. fin. ff. quod quisque juris in alium statuit, ut ipse eodem utatur.* Jurisdictio simplex dicitur illa, quæ non est posita in coërcendo, sed simpliciter tantum in jure reddendo; ergo sola & nuda jurisdictio sine mixto imperio non habet sufficientes nervos; quoniã modica illa coërcitio ex mixto imperio descendẽs jurisdictionẽ firmare debet, ut judex condemnatum inobedientẽ sic cogere possit. Jurisdictio generaliter accepta, uti hodie accipitur, est potestas publ. dijudicandarum causarum civilium, & vindicandorum criminum Magistratui concessa, adeoquè imperium in utrisque coërcendi sub se criminalem & civilem jurisdictionem comprehendens: quoniam omnis jurisdictio Magistratuum vel ad causas controversas civiles tollendas, vel ad puniendos delinquen,

quentes est inventa, & introducta. Jurisdictio verò specialiter accepta secundum leges Romanas est potestas dijudicandarum causarum civilium autoritate publicâ stabilita; vel est notio causæ civilis jure Magistratus competens: quo sensu solam jurisdictionem civilem sub se complectitur; estque duplex, contentiosa & voluntaria. Jurisdictio contentiosa decernit causas litigantium in judicio. Jurisdictio verò voluntaria autoritatem superaddit negotiis inter duos consentientes celebrandis, ut in adoptionibus, manumissionibus, emancipationibus, in apertura testamenti, oblatione pecuniæ in judicio, confirmatione hypothecæ &c. Potestas jus dicentis in cognoscendo sive judicando, & imperando sivè exequendo consistit: indè duo principalia jurisdictionis formantur membra, quibus reliqua jurisdictionalia accensentur. (1) est explicativum, & (2) est executivum; ad primum referuntur omnia, sinè quibus jurisdictio sivè causarum cognitio & dijudicatio explicari ac confici nequit, *l.2.ff. de jurisdict.* Ad secundum scil. executivum referuntur omnia, quæ ad efficienda & tuenda judicata ejus, qui jurisdictioni præest, necessaria sunt: explicativum denotat jurisdictionem: & executivum significat imperium, cui etiam jurisdictio inest, cum imperandi & exequendi necessitate &c. Imperium pro diversitate causarum, scil. civilium & criminalium dividitur in mixtum & merum *l. 3. ff. de jurisdict.* mixtum est potestas exequendi judicati in causa civili, ut res restituatur, vel ut aliquid detur aut fiat, *l. 1. & seq. C. de executione rei judicatæ.* Imperium hoc non eo sensu dicitur mixtum, acsi cum jurisdictione ita sit confusum, sicuti aqua cum vino; sed quod ita cum jurisdictione est conjunctum, ut alterum sine alterius opera expediri vix possit; quia jurisdictio sæpius in reluctantes & invitos exercetur; ideo aliqua coërcitione opus est, ut adversus refractarios effectum sortiatur, *l. ult. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd.* quæ coërcitio dicitur mixtum imperium, quod jurisdictioni est admixtum, eique cohæret; vel mixtum imperium est potestas modicè coërcendi refractarios, cohærens jurisdictioni ad eam tuendam, & jus redditum exsequendum, *l. 1. §. fin. ff. d. t.* vocatur imperium, quia in imperando & coërcendo præcipuè consistit, & jurisdictionem defendit. Mixtum hoc imperium competit omni Magistratui, quia nullus potest esse Magistratus, qui non habet aliquam coërcitionem sibi reservatam, quâ delinquentes coërcere possit. Hic notandum, Jurisdictio inest mixto imperio per modum antecedentis; nam coër-

coërcitio in causis civilibus præsupponit jurisdictionem ut antecedens necessarium. Sed mixtum imperium cohæret jurisdictioni per modum accidentis consequentis, ita ut per illud effectum sortiatur jurisdictio, quoties coërcitione opus est; ne jurisdictio sinè coërcitione & imperio existens reddatur elusoria. Tria sunt præcipua mixti imperii remedia, quibus jurisdictionis autoritas conservatur. (1) est mulctæ dictio (2) pignoris captio,& (3) corporis prehensio & retentio, *l. 9. §. fin. ff. ad L. Jul. pecul.* Merum imperium est potestas gladii animadvertendi in facinorosos *d.l.3.* quod ita dicitur respectu mixti, quia cum jurisdictione non est mixtum, sed separatum, & purum: attamen non eo sensu dicitur merum, quasi nulla in criminalibus causis sit cognitio, & per consequens jurisdictio à mero imperio planè sit removenda; acsi merum imperium consisteret in sola executione, quæ saltem est facti nudi; aliàs carnifex haberet merum imperium, quod absurdum: sed merum imperium consistit in jure pœnam delinquentibus inferendi, quod in se cognitionem, processum criminalem, & condemnationem delinquentis complectitur; hiscè præmissis demum ad executionem pervenitur. Merum hoc imperium in se tres pœnarum gradus complectitur, (1) pœnarum gradus vitam naturalem tollit, operâ carnificis, mediante gladio, igne, rotâ, fune, aqua &c. (2) pœnarum gradus tollit vitam civilem perpetuâ relegatione, *l. 8. & 17. ff. de pœn.* vel affligit corpus delinquentis membrorum mutilatione, dum delinquēti oculus eruitur, manus vel aures, aut digiti amputantur. (3) pœnarum gradus continet fustigationem, relegationem & existimationis privationem; &c. *d. l. 8. & 9. ff. de pœn.* Populus Romanus sibi soli totum illud jus meri imperii reservavit, noluitque permittere, ut alius de capite civis Romani, quàm totus populus sententiam diceret, vel judicaret, *l. 2. §. 16. ff. de orig. jur.* idcirco etiam merum imperium olim non ad jurisdictionem spectabat, ut jure Magistratus competeret, sicuti mixtum imperium; sed à Magistratuum officio erat separatum; (hodiè vero annexum est) quia erat de reservatis totius populi Romani ceu Majestatis, quod populo Romano in statu populari unicè, & postea in statu Monarchico Principi Majestatem habenti reservabatur; ideo nemini competebat, nisi cui id specialiter SCti, vel Principis constitutione deferebatur *l. 1. ff. de offic. ejus, cui mandat. est jurisd.* Hodiè jus gladii & merum imperium jurisdictioni cohærent, & jure Magistratus competunt. Ex dictis

colli-

colligi poteſt, quomodo antiqua Romana jurisdictio ab hodierna Romano-germanica diſtinguatur; illam Magiſtratus habebat ſaltem ad tempus, non ſuo, ſed alieno nomine. Hanc hodiè Magiſtratus perpetuò habent, eamque ad hæredes transferunt, quia vi territorii vel caſtri Statibus imperii ſuo nomine competit; nec criminalem, ſed civilem ſaltem jurisdictionem habebat Magiſtratus Romanus; hodiè utramque regulariter habet Magiſtratus. Hæc jurisdictio hodiè dividitur in majorem ſivè altam, vel ſupremam, & baſſam ſivè inferiorem. Illa continet merum imperium, vocatur das Obergericht. Hæc continet jurisdictionem ſimplicem, & mixtum imperium, das Niedergericht. Hanc diſtinctionem jus Romanum ignorat. Mixtum imperium in modica coërcitione conſiſtit, & merum imperium graviorem animadverſionem continet, animadvertendi in facinoroſos *l. 3. ff. de jurisdict.* Quis ergo non videt, Magiſtratus Romanos, *quorum officia à titulo 10. libr. 1. ff. usque ad finem libri exponuntur*, ab hodiernis imperii Statibus longè differre; quia illi provinciam, & jurisdictionem non ſuo & proprio jure in ſui utilitatem adminiſtrarunt, ſicuti Status imperii hodiè faciunt, quibus jurisdictio eſt patrimonialis & propria. Camera imperialis ſaltem civilem, non criminalem habet jurisdictionem (Germanicè ein peinliches Gericht/ Halß-Gericht/ Blut-Bann / Maleſitz-Recht) ideò etiam vocatur judicium civile. Cauſa efficiens jurisdictionis eſt Majeſtas, quæ vel penes populum, vel Principem: cum omnis jurisdictio radicaliter & virtualiter ſit in Principe, in cæteris inferioribus ſaltem per participationem. Materia in qua eſt jurisdictio, ſunt territoria & Magiſtratus: nam in territorio eſt jurisdictio paſſivè & materialiter, veluti in rè inanimata; in Magiſtratu autem formaliter & activè, tanquam in ſubjecto animato; quia ſolus Magiſtratus habet jurisdictionem. Materia circa quam verſatur jurisdictio, ſunt perſonæ & res, *l. 1. & ſeqq. ff. de jurisd.* attamen non licet de rebus ad ſuam jurisdictionem non pertinentibus jus dicere, ſed quæ jurisdictioni ſubſunt *l. 16. & l. fin. ff. d. t.* Forma jurisdictionis exercendæ eſt vel ſolennis, quæ in loco editiori, & pro tribunali à Magiſtratu ſedente exercetur, *l. pen. ff. de juſt. & jur.* vel fit de plano & quaſi ſtante pede, *l. 9. §. 1. ff. de offic. Proconſ.* Finis jurisdictionis eſt, ut finiantur lites, ſuum cuique tribuatur, & reipubl. tranquillitas conſervetur, *l. 13. ff. de offic. præſid.* omnis enim Magiſtratuum jurisdictio introducta eſt, vel ad tollendas controverſias, vel ad ma-

leficia punienda; & per consequens, ut Magistratus sivè Principis autoritas & mandata validè conserventur: idcò jurisdictio hodiè generaliter in duas species dividitur, ut in civilem & criminalem. Effectus jurisdictionis est jus in re ad modum servitutis. Cæterum hic in Franconia & Palatinatu jurisdictio simplex hodie dividitur in Centenam & Vogteiam. Centena jurisdictio, quæ propriè est merum imperium, est noxarum sivè rerum capitalium animadversio & coërcitio. Casus ad centenam spectantes vocantur Germanicè Zentbare Fälle. Centena jurisdictio regulariter 4. atrociora delicta commissa vindicat. Die 4. hohen Rugen / quales sunt 4. seqq. (1) Homicidium. (2) Furtum. (3) Stuprum violentum, & (4) incendium. Hujus Judicii Centeni Judex vel Præses est Zentgraf/ qui reum capitalem legitimè condemnatum ad supplicii locum operâ lictorum solenniter deducit, eumque carnifici puniendum recitatâ prius sententia legitimè tradit. Tales judices criminales à Romanis olim vocabantur Triumviri capitales; item quæstores parricidii, qui à populo Romano constituebantur, *l. 2. §. 23. ff. de origin. jur.* Vogteia jurisdictio (quæ propriè est mixtum imperium, jus cognoscendi & modicè puniendi delinquentes) est levium delictorum animadversio, quæ exercetur wegen Scheltwort; braun und blau geschlagen / Haar ausrauffen / stossen / kratzen 2c. qui exercent Vogteiam, vocantur advocati causarum civilium &c.

Jurisdictio circa regiones & maria cui competit? Resp. omnes Reges & Principes, qui habent territorium & jurisdictionem territorii supereminentem in terrâ, eandem jurisdictionem habere creduntur in mari propè eorum terras, *l. un. Cod. de classic.* Sic Britanni circa littora sua imperium maris habere dicuntur, & Rex Galliæ circa sua littora & territoria, & Rex Daniæ circa Norwegiam & Daniam, & Veneti sunt maris Adriatici Domini, in quo miraculosè exstructa est eorum civitas Venetiæ. Aliud de immenso Oceano statuitur, quod dominii ob immensum magnitudinis spatium non est capax.

Jurisdictio intra fines imperii saltem exercenda est. Nam extra territorium jus dicenti impunè non paretur, *l. fin. ff. de jurisd.* h. e. si Magistratus jurisdictioni suæ non subjectos, & extra territorium ejus viventes velit cogere ad comparendum in suo foro, eosque sibi obedientes reddere, ei parere non obligantur, sed ejus mandata licitè negligere possunt; quia tali Magistratui nullo obligationis vel

sub-

subjectionis vinculo sunt obstricti, h.e. neque ratione domicilii, neque intuitu bonorum. Ergo nullus Germanus extra Suecorum ditiones habitans tenetur in Suecorum foro comparere, etiamsi millies ab iis citetur: ratio est, quia illis non est subjectus, nec ibi ullo honesto juris titulo habet forum competens; secus se res habet, si ibi bona immobilia habeat, tunc ratione horum ibi convenitur.

Jurisdictionem mandatam sivè delegatam habens, eandem alteri mandare nequit, *l. fin. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd.* Ratio hujus assertionis exprimitur *in l. 1. §. 1. ff. ibid.* qui enim mandatam jurisdictionem habet, is proprium nihil habet; nam quicquid habet, alienum est, & solum exercitium alienæ jurisdictionis ipsi est commissum: ideò talis propriè non est Magistratus quoad proprietatem jurisdictionis, sed saltem pro Magistratu habetur, quia vice & partibus tantum magistratus fungitur.

Jurisdictio quomodo licitè proroganda est? Resp. partes litigantes per expressam vel tacitam conventionem & consensum non possunt ita prorogare jurisdictionem, ut is eorum sit Judex in causa controversa, qui nullam habet jurisdictionem; quoniam hujus hominis sententia ob defectum jurisdictionis non habet rei judicatæ autoritatem, *l. 3. C. de jurisd.*

Jurisprudentia sivè civilis sapientia est res sanctissima, quæ pretio nummario non est æstimanda, nec dehonestanda, *l. 1. §. 5. ff. de extraordinar. cognit.* Jurisprudentiam hanc JCti sic definiunt; quod sit Divinarum & humanarum rerum scientia, justi & injusti notitia, *l. 10. §. 2. ff. de justit. & jur.* Causa efficiens jurisprudentiæ sivè juris remota est DEUS, autor & fons omnis boni; nam ut oculus videat, & auris audiat, utrumque à summo rerum Creatore & legislatore unicè dependet. Proxima causa est legislator Justinianus, cujus autoritate Jurisprudentia à Triboniano, Dorotheo, Theophilo & aliis JCtis est conscripta. Materia in qua, sivè subjectum est voluntas humana, cui jurisprudentia inhæret. Materia circa quam versatur jurisprudentia sunt omnium virtutum objecta; leges enim de omnibus virtutibus loquuntur; quomodo quis virtuosè, justè, temperanter, fortiter, mansuetè & prudenter &c. vivere debeat. Hic tamen probè attendendum, quamvis res divinæ & humanæ sint jurisprudentiæ objectum; attamen Jurisconsultus res divinas & humanas non eo modo tractat, quo Theologus & Physicus; sed quatenus circa res divinas & humanas justum & æquum observantur, vel quatenus justi-

tia circa eas probè administranda est. Ergo diverso modo Theologus, Physicus, & JCtus circa idem objectum operantur, diversumque operationum suarum habent finem: Jurisprudentia enim versatur circa omnes virtutes, ut (1) circa fortitudinem *t. ff. de re milit.* (2) circa liberalitatem, ut in *tit. ff. de donat.* (3) circa castitatem in *t. ff. ad L. Jul. de adult.* Ideò etiam lex Julia de adulteriis vocatur lex Julia de pudicitia custodienda *l 8. C. d. t.* (4) circa prudentiam, ut quis cautè & prudenter agat, ne ab aliis circumveniatur & lædatur in contractibus &c. Ob id primum juris præceptum honestè vivere, in se continet omnem virtutis usum. Forma jurisprudentiæ consistit in eo, ut justum ab injusto separemus, & licitum ab illicito secernamus. Finis jurisprudentiæ intermedius est justitia, seu potius exercitium & administratio justitiæ; inventa est namque juris disciplina, ut jus applicemus ad singulares actiones humanas, & sic suum cuique justè tribuamus. Finis jurisprudentiæ ultimus est salus publica & tranquillitas reipubl. Quod autem Jurisprudentia notitiam injusti simul inculcet, ac doceat, non facit eo fine, ut JCti injustè agant, juraque saniora dolosè pervertere discant, ac doceant, sed ut justitiam & iniquitatem in causis civilibus præcavere sciant &c. Cæterum sicuti finis Jurisprudentiæ sivè juris civilis est bonum publicum, sivè publica civium tranquillitas, quam vi legum & metu pœnæ conservat Magistratus: ita Juris Divini & Juris Canonici finis est felicitas animæ, & vita æterna; nam quicquid in jure Divino & Canonico proponitur, id omne primariò refertur ad æternam hominum salutem; ast secundariò ad singulorum commodum ac reipublicæ tranquillitatem. Hic porrò quæritur, cum tota Jurisprudentia rationem habeat pro fundamento, & communia justi & injusti principia hominibus naturâ sint indita ac nota, an non quilibet civis ratione præditus jus & Jurisprudentiam satis intelligat, ut JCtis & juris explicatione non sit opus? Resp. quod non; ratio est, quia ad Jurisprudentiam rectè intelligendam non sufficiunt communia justi & injusti principia, sed major deductio & clarior juris explicatio est necessaria, ob tot diversos & infinitos actionum humanarum casus, quos non simplex & naturalis ratio, sed accurata & instructa ratio per ratiocinationem & conclusiones ex primis justitiæ principiis deductas assequi potest. *de his vide plura in titulo subsequenti.*

Jurisprudentia non subsistit in nuda cognitione & speculatione, (h. e. non acquiescit in nuda justi & injusti scientia, sed in negotiis civilibus justè administrandis semper est occupata) ut Philosophia Theoretica, & habitus speculativus; sed applicationem juris ad actiones civiles intendit, (h. e. sollicita est, ut in negotiis civilibus probè observetur & distinguatur, quid æquum & iniquum, quid justum & injustum sit, ut prævià hac juris & facti cognitione cuique suum rectè tribuatur.) ideò optimo Jure Jurisprudentiam dicimus esse habitum practicum: nam sicuti viri probi non ideò quærunt, quid sit virtus in genere & in specie: quid justitia, fortitudo, temperantia, modestia, liberalitas &c. ut tantùm has virtutes morales cognoscant, deque illis accuratè discurrere possint; verum ut excolendo eas, boni & virtuosi efficiantur; ita quoque se res habet cum jurisprudentia, quam JCti non eo tantum fine sibi molestè acquirunt, ut solummodò sciant, quid justum, quid injustum, quid Dominium, quidvè contractus sit; quænam actio ex civili, & quænam ex criminali negotio competat; sed ut ex hisce & aliis ad juris doctrinam spectantibus probè cognitis, de obvenientibus casibus rectè judicare possint.. Ideò JCtus Ulpianus jurisprudentiam veram & realem, & non simulatam vel imperfectam philosophiam vocat, *l. 1. §. 1. ff. de just. & jur.* Illos intelligit simulatam excolere Philosophiam, qui inutilibus vel nudis saltem speculationibus & argutiis intenti, ea, quæ ad virtutem verè colendam faciunt, negligunt; quoniam tales eum in finem duntaxat addiscunt, quid virtus, quidvè vitium sit, quid verum, quid falsum, quid justum & injustum, ut argutè de iis rebus discurrere & disputare queant; non verò ut ipsam virtutem sedulò exerceant: unde tales nec reverà virtuosi dici possunt; quia illi tantum sunt virtuosi, qui non modò virtutes cognoscunt, verùm etiam secundum eas constanter operantur: nam practicarum disciplinarum finis est, non cernere, ac nosse modò singula, sed eadem constanter agere, h. e. consistit in operatione, & non in nuda cognitione. Multi hodiè, proh dolor! ejus sunt dementiæ & impudentiæ, ut eos contra veritatem publicè dicere non pudeat, jurisprudentiam mortalibus esse inutilem, & JCtos non esse necessarios, quemlibet ex lumine naturæ, & rectæ rationis dictamine absque juris doctrina, & operosâ legum evolutione posse inter æquum & bonum, (sed meo judicio potius & verius inter equum & bovem) justum & injustum accuratè distingue-

 re;

cam de rusticis, opificibus, mercatoribus, vel aliis juris doctrinâ non instructis) in applicatione juris ad facta interdum præter intentionem fallatur, cum non sit cordium scrutator; sed qui juxta externa & allegata judicat. Ob eam rationem beneficium appellationis in foro humano est introductum, ut ibi iterum de controverso facto, & facti qualitatibus disceptetur; si forsan judex in inferiori judicio injustam sententiam tulerit, ut illa in superiori judicio corrigatur, *t. ff. de appellat.*

Jus generaliter & per se consideratum est certum; intellige in thesi, & quoad juris doctrinam, *l. 2. ff. de jur. & facti ignorantia.* ast jus incertum & controversum est in hypothesi, quatenus applicatur ad factum controversum in judicio propositum, ubi circumstantiæ negotii controversi probè sunt considerandæ; nam minima negotii sive rei controversæ circumstantia jus variat. Hinc jus sic se habet ad factum, sicuti thesis ad hypothesin, quia autem facta (actiones) hominum sunt infinita, quorum omnium scientiam perfectam nullus mortalium habet; indè fit, ut litigantes semper de facto, aut facti qualitatibus inter se disceptent, nisi factum planè sit notorium, aut sit in confesso, *l. 1. ff. de confeß.* Contrà, de jure, quod certum est, in judicio nunquam disceptatur, licet applicatio juris ad factum plerumque sit incerta, & eatenus etiam disceptationem admittat, *l. 79. in fin. ff. de judic.* Ex illo principio omnes quæstiones juris judici, juxta præsumtiones pro judice pugnantes, sunt notæ & cognitæ; quoniam judex artem, quam profitetur, scire præsumitur, &c. Contrà, quæstiones facti per negationem rei sivè delinquentis judici tamdiù sunt dubiæ, donec vel plenè, vel semiplenè probantur: ob id asserunt Jurisconsulti, quod judicia ad facti solummodò informationem sint inventa; rationem addunt, quia jus in se est certum & clarum, probatione non indigens; sed facta hominum sunt probanda, ad quæ jus accuratè est applicandum: hic labor, hoc opus est, in quo casu accurata juris doctrina maximè est necessaria.

Jus aggratiandi est, quando Imperator, Rex, vel Princeps delinquentibus ex singulari gratia veniam delicti concedit, *l. 4. in fin. ff. de pœn.* ideò hoc jus inter regalia & jura Majestatis maxima refertur. Ubi maximoperè observandum, quod nec Imperator, aut Rex vel Princeps de jure possint doloso homicidæ, vel alii contra jus divinum capitaliter & mortaliter delinquenti pœnam capitalem absq;

peccato mortali remittere; ratio est, quia nullus hominum, sivè potentiâ Alexander Magnus, vel sapientiâ Salomon fuerit, potest legem DEI corrigere, vel tollere; dum illa à legislatore DEO unicè dependeat: ob id Principi quidem impunè licet, in hac mortalitate gratiam delinquentibus facere, si delictum non sit capitale, jure divino notatum: ast si delictum sit capitale, non licet gratiam facere delinquenti; ratio est, quia lex DEI sine crimine læsæ Majestatis Divinæ, ab humano Magistratu corrigi, vel restringi, aut limitari nequit in casu recto. *De his vide plura in titulo Delictum, sivè pœna.* Ab hac regula datur in certo casu exceptio; si enim ob publicam salutem, necessitate & utilitate reipublicæ sic suadente, capitaliter delinquentibus venia sit concedenda, tunc gratia Principis in tali casu licitè habet locum; quoniam pro pace publica consequenda etiam Jus tertii violare fas est, cum publica salus semper præferenda sit privatæ: e. gr. si alter belligerantium pacem aliàs inire non vult, nisi certis personis carceri inclusis remittatur pœna capitalis.

Jus & jurisprudentia propriè loquendo sunt Synonima, quod enim in *§. 1. Inst. de just. & jur.* vocatur jurisprudentia, illud in *§. 2. ibid.* appellatur jus: idem fit in *l. 10. §. 1. ff. d. t.* Hinc jus in genere sic congruè describitur; quod sit commune præceptum, omnibus civibus sufficienter notificatum, obligans eos omnes ad agendum id, quod bonum est, & omittendum id, quod malum est.

Jus Canonicum ob æquitatem seculo 13. in Germania florere cœpit. Hoc jus Canonicum in foro Ecclesiastico, & jus Civile in foro seculari regulariter observantur; promiscuè tamen utroque jure in utroque foro uti licet, quando hæc duo jura sibi invicem non sunt contraria. Secus se res habet, si illa sibi sint contraria, ubi tres sequentes regulæ accuratè sunt observandæ; prima regula est, quoties res obscura vel dubia est jure civili, jure autem canonico clarè definita, tunc jus Canonicum sequimur tàm in foro civili, quàm canonico. Contrà, quando aliquid jure civili expressè est definitum, & non jure canonico, standum est juri civili etiam in foro canonico, subintellige, nisi æquitas vel pietas contrarium justè suadeat. Secunda regula est, quando jus civile & canonicum inter se pugnant in causis conscientiam non concernentibus, tunc jus civile in foro seculari, & in terris Imperij Romano-Germanici; & jus canonicum in foro ecclesiastico, & in terris Ecclesiæ strictè observantur. Tertia regula est, quando causa est spiritualis, vel animam

mam & conſcientiam concernit, ſi tunc hæc duo jura inter ſe diſcordant, jus canonicum ſemper ſequimur, ut piè evitetur peccatum; quia animæ ſalus omnibus rebus eſt anteponenda; juris autem canonici principalis finis & intentio eſt, ut probè conſulatur animarum ſaluti. Contrà, jus civile non habet reſpectum ad animarum ſalutem, ſed ſolummodò bonum commune & tranquillitatem reipublicæ reſpicit. Salus populi ſuprema lex eſto. Ergò ubi agitur de uſuris, juramentis, matrimoniis, præſcriptionibus, teſtibus, piis cauſis, &c. ſemper ſequimur jus canonicum, in quantum in hiſce caſibus à jure civili recedit, vide *c. 13. X. de judic.* Hinc licet jus civile ſtatuat, quod malæ fidei poſſeſſor rem alienam per longiſſima tempora in veri Domini præjudicium ſibi acquirat, *t. t. C. de præſcript. 30. vel 40. annorum.* attamen jus canonicum id piè negat, nec permittit, ut malæ fidei poſſeſſor ullo tempore præſcribat, *c. 2 de reg. jur. in 6to.* ratio eſt, quia malâ fide poſſidens eſt continuò in peccato mortali; nam quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt, *c. fin. X. de præſcript.* Ideò non permittit jus canonicum, ut talis contra propriam conſcientiam & dilectionem proximi, ſub æternæ ſalutis periculo rem alterius etiam per longiſſima tempora præſcribere poſſit, *cauſ. 32. q. 2. can. 5.* ob naturalem æquitatem, quâ jus canonicum ſemper nititur. Tantæ jam in Germania eſt autoritatis, ut in omnibus Academiis publicè doceatur, Doctoresque juris non minùs in jure canonico, quàm in jure civili ſimul creentur, h. e. ut utriusque juris, civilis & canonici Doctores publicè promoveantur & fiant. Ubi porrò attendendum, quod Pontifices librum decretorum voluerint æſtimare loco digeſtorum, & decretales epiſtolas loco codicis, ſextum Bonifacij, Clementinas, & extravagantes loco Novellarum.

Jus Canonicum à canone ſivè regula dictum eſt jus regulare, quod civium actiones ex regulis ſanctorum Patrum ad rectam vivendi normam & finem æternæ ſalutis dirigere, piè intendit, *c. fin. X. de præſcript. & c. 28. X de jurejur.* Hoc jus canonicum generaliter dividitur in 5. partes, (1) in decreta, (2) decretales, (3) in ſextum decretalium, (4) in clementinas, & (5) in extravagantes. Decreta partim ex ſanctorum Patrum, puta S. Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Chryſoſtomi & aliorum ſcriptis, partim ex Conciliorum decretis, imò etiam ex Pandectis, Codice & Novellis ſparſim collecta ſunt à Gratiano Monacho anno 1151. quoniam totus canon

five capitulum 19. *de pœnitent. distinct.* 1. verbotenus ex lege 16. Pandectarum ff. de pœnis est desumtum, & infinita alia loca; quod etiam ex frontispicio juris canonici, five distinctione primâ colligere licet. Hæc decreta iterum dividuntur in tres partes, quarum prima continet 101. distinctiones, quæ singulæ in se continent capitula sive canones; sicuti tituli in jure civili Rom. in se continent leges, & paragraphos; ideò dicuntur distinctiones, quia canones discordantes conciliant. Secunda pars decretorum continet 36. causas; singulæ causæ continent aliquot quæstiones, & quæstiones singulæ continent capitula. Vocantur causæ, quia sunt argumenta, ex quibus eliciuntur quæstiones. Circa quæstionem tertiam causæ trigesimæ sextæ observa, quod illa sub se iterum comprehendat septem novas distinctiones de pœnitentia, ut ex inscriptione patet. Tertia pars decretorum agit de consecratione, inprimis de Sacramentis, baptismo, confirmatione, Cœnâ Domini, de consecratione Ecclesiarum & altarium, &c. Hæc pars tertia in se continet 5. distinctiones, & quælibet distinctio habet sua capitula sive canones; his tribus decreti partibus adjunguntur canones pœnitentiales, & canones Apostolorum. Secunda juris canonici pars sunt decretales, (scil. constitutiones) quæ sunt epistolæ, rescripta, & edicta Pontificum, usque ad Gregorium nonum, qui per Raymundum Capellanum & pœnitentiarium suum eas collegit, inque libros 5. distribuit anno Christi 1227. Tales epistolæ decretales ad consultationem sive interpellationem alicujus à Pontifice scriptæ sunt. Tertia pars juris canonici est sextus decretalium, qui itidem 5. libris constat, quem tres magni nominis Viri, Archi-Episcopus, Episcopus, & Vice-Cancellarius Ecclesiæ Romanæ autoritate Pontificis Bonifacij octavi collegerunt anno 1294. Quarta pars juris canonici sunt clementinæ (scil. constitutiones) à Pontifice Clemente V. anno Christi 1305. consarcinatæ. Quinta pars juris canonici sunt extravagantes (constitutiones) quarum viginti sunt à Pontifice Johanne 22. editæ. Reliquæ sunt communes, in 5. libros distributæ, & quilibet liber in certos titulos anno 1516. Has constitutiones Pontifex eo sensu sic vocat, quo sensu Imperator Justinianus vocat Novellas, (scil. constitutiones) &c. Jus Canonicum principaliter versatur circa personas Clericorum & res spirituales, consequenter verò, sive accessoriè etiam circa res temporales, in quantum illæ sine his esse, inque statu suo diù manere

non possunt. Contrà, jus Romanum versatur circa personas, res, & actiones. Hîc tandem nota, jus canonicum accipit lumen à jure civili propter generalem juris doctrinam, quam jus Romanum præ aliis tradit: ideò Itali dicunt, legista senza capitulo vale poco, ma lo canonista senza legge vale niente, h. e. legista sine capitulo (jure canonico) aliquid valet, sed Doctor juris canonici sine cognitione juris civilis nullius est pretii, quoniam tali Doctori vera & solida juris doctrina deest.

Jus omne dividitur in scriptum, & non scriptum. Jus scriptum quasi præscriptum, est publicè sancitum & promulgatum, continet seqq. 6. species, (1) legem, (2) senatusconsultum, (3) plebiscitum, (4) Principum placita, (constitutiones) (5) Magistratuum edicta, & (6) responsa prudentum, *§. 3. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* Legem specialiter dictam tulit populus Romanus in statu democratico, cum rerum summa penes populum esset. Senatusconsultum est, quod senatus populi Romani jussit & constituit; nam aucto in tantum populo Rom. ut ob ingentem multitudinem in unum locum amplius commodè convenire vix potuerit, senatus vice populi consuluit, *§. 5. d. t.* Plebiscitum est plebis decretum; hæc plebiscita ob Patrum, hoc est, Senatorum Rom. sævitiam nata sunt; nam plebe ob Senatorum iniquitatem à populo Rom. secedente, ac creato sibi Tribuno plebis, ceu Magistratu suo, plebiscita tanquam leges condiderunt. Principum placita (intellige, animo condendarum legum, quoniam non omnia, quæ Principibus placent, sunt Principum constitutiones, sed ea saltem, quæ animo condendi leges faciunt) sunt constitutiones Principum, quæ vim obligandi omnes subditos habent. Magistratuum sivè Prætorum edicta olim etiam habebant vim obligandi cives; nam Prætor urbanus, ceu Magistratus ordinarius de causis privatorum civilibus jus dicebat; ideò in tabula dealbata edicta sua publicè proponebat. Responsa prudentum (h. e JCtorum) vim legis olim habebant autoritate Imperatorum, *§. 8. Inst. dict. tit.* Jus non scriptum dicitur consuetudo, quam populus sine ullo suffragio, publicâ sanctione, & promulgatione tacitè approbavit ipsis rebus & factis, *l. 32 ff. de legib.* Huc refertur *l. 40. ff. de legib.* Omne jus aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo. Illud est jus civile scriptum, sub quo omnes 6. species juris scripti comprehenduntur. Istud est jus gentium; quia usu exigente & humanis necessitatibus

efflagitantibus gentes quædam jura sibi constituerunt, *§. 2. Inst. de jur. natur. gent. & civil.* ut circa commercia, venditiones, locationes, bella, captivitates. Hoc scilicet jus consuetudinarium ex interpretatione prudentum sivè JCtorum fluxit, *l. 2. §. 5. ff. de orig. jur.* Ex dictis perspicuè constat, quod non omne jus dicatur statim propriè jus scriptum, quod in scripturam est redactum; quale jus sunt consuetudines feudales; sed id demum jus propriè vocetur jus scriptum, quod publicè sancitum, & voce legislatoris promulgatum est, velitis, jubeatis Quirites. Indè necessariò sequitur, quod scriptura non sit juris scripti forma substantialis, sed saltem accidentalis; cum non faciat ad ejus simpliciter esse, sed ad melius esse: mediante enim scriptura jus melius & facilius ad subditorum notitiam perveniri potest; & in eorum recenti memoria fidelius hæret: potest etiam lex scripta melius ad posteros transferri. Si hæc thesis non esset vera, tunc Lacedæmonij nullum jus scriptum habuissent, qui leges latas memoriæ saltem mandabant, *§. 10. Inst. de jur. nat. gent & civil.* cum tamen jus eorum publicè esset sancitum & promulgatum; indè colligere licet, quod non scriptura, sed publica sanctio & promulgatio sint de legis essentia.

Jus per se neminem lædit, quoniam rationem habet pro fundamento. Ergò qui jure suo legitimè & convenienter utitur, nemini facit injuriam; nam quod fit legum permissione, id legitimè & sine dolo malo factum præsumitur, *l. 55. ff. de reg. jur.* exempli gratia, Titius in fundo suo fodiens, dum sibi ad necessitatem familiæ puteum exstruere vult, præscindit venas vicini putei, & sic præter intentionem vicino aquam avertit; quo casu de damno dato non tenetur: quia jure suo utens absque dolo damnum intulit vicino, *l. 1. §. 12. ff. de aqua pluv. arcend.* ast si quis jure suo utendo modum injustè excesserit, vel dolosè egerit, utique alteri facit injuriam, ut si animo nocendi saltem id fecerit, ut vicino aquam adimat, vel ædes suas in vicini detrimentum altius malitiosè ædificet, ad adimendum vicino lumen, &c. vel prædium suum rigat, ut vicino prædio noceat; quod est contra charitatem proximi, & regulam juris in naturali æquitate fundatam, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.

Jus deliberandi est potestas hæredi concessa intra certum tempus consultandi ac inquirendi, num hæreditatem sibi delatam adire, an verò eandem repudiare velit: quoniam non est prudentis, sed temerarij

rarij hominis, sine prævia deliberatione adire hæreditatem, vid. *tit. ff. de jur. delib. in Medulla mea Justinianea Parisiis impressa*; ne quis se per imprudentiam immergat in damnosam hæreditatem; aut lucrosam hæreditatem repudiet; nam quamprimum hæres hæreditatem adit, statim ex tacito contractu obligatur omnibus creditoribus, licet hæreditas non sit solvendo. Causa efficiens est voluntas hæredis. Objectum est hæreditas defuncti. Forma est, ut hæres à Magistratu competente impetret certum tempus deliberandi, *l. 1. §. 1. ff. hoc tit.* Finis est, ne hæres nimium properando se per aliquam mentis præcipitantiam immergat in hæreditatem damnosam.

Jus gentium non est nobiscum natum, sed ex jure naturali ob necessarias & prægnantes rationes à gentibus introductum. Nam dum delinquentibus jure naturali simplici nulla definita erat pœna, & per consequens eo jure non puniebantur; ideò jus gentium ob necessarias rationes delinquentibus certam pœnam constituit, ne delictis fenestræ aperirentur, & delinquentes communem societatem gravissimè perturbarent ac læderent. Eapropter dico, quod præcepta generalia vel leges sibi primum tulerint gentes ad tranquillitatem & pacem inter se conservandam, ut (1) res esse dividendas, & (2) sontes esse puniendos, ut lites, rixæ, vulnera & cædes inter homines præcaveantur. Ex primo juris præcepto fluunt sequentia: (1) gentes esse discernendas, (2) regna esse condenda, (3) dominia distinguenda, (4) agris terminos ponendos, (5) ædificia extruenda, &c. unde etiam (6) fluunt omnes fermè contractus, ad victum & amictum tranquillè acquirendum: quo fine una gens alteri concedit libera commercia, liberumque transitum per terras suas. Ex secundo præcepto juris gentium fluunt seqq. (1) judicia esse formanda, ad tollendas in societate lites & querelas, (2) bella esse gerenda, ad propellendas injurias, & amovenda illata damna, (3) captivitates esse permittendas, ut & (4) servitutes, (5) fœdera esse pangenda, (6) legatos esse inviolabiles, ut mediante hac securitate pax inter hostes concilietur. Ast cum sontes sive delinquentes commodè puniri nequeant ob commissa delicta, nisi constituantur certæ personæ, quibus puniendi facultas committatur, indè oritur Magistratus, qui delinquentes præviâ causæ cognitione pro delicti qualitate condignè punit; unde manarunt judicia, & processus juris, quibus hodiè in foro ordinariè utimur.

Jus in re censetur longè fortius, quàm jus ad rem, *c. pen. de præb. lib. in 6to.* ratio est, quia is jus in re habere intelligitur, qui jus proprietatis, vel aliud jus reale & firmum habet; Gallis vocatur le droit en la chose. Ast jus ad rem is habet, cui res pignori saltem obligata est, Gallis dicitur le droit pour acquerir la chose.

Jus quod homines circa res mundanas sibi reservatum habent, dividitur à JCtis generaliter in duas partes, ut (1) in jus in re, & (2) in jus ad rem *l. 30. ff. de noxal. act. & l. 19. pr. ff. de damn. infect.* Jus in re est potestas legitima homini in re competens propter externam qualitatem, quâ ipsa res ex Dei, vel hominum dispositione est affecta, (sivè homini devincta) vel ab homine occupata, aut ei tradita; undè ipsa res homini obnoxia est; ejus species in jure accensentur *5. vid. l. 13. §. 1, C. de jud. & l. 9. ff. de hered. petit.* (1) species juris in re est dominium *§. 4. Inst. de usufruct. & l. 2. § 1. ff. si servit. vind* unde oritur rei vindicatio *l. fin. C. rer. amot.* (2) species est possessio *l. 12. §. 1. ff. de acquir. possess.* unde descendit actio publiciana. *tit. ff. de public.* (3) species est servitus *l. 1. §. 2. ff. ad SCt. Syll.* undè actio confessoria & negatoria *§. 2. Inst. de act.* (4) species est hypotheca *l. 11, ff. de dam. infect.* undè actio hypothecaria, *l. 17. ff. de pign. & hypoth.* (5) species juris in re est jus hereditarium *l. 4. ff. comm. divid.* undè hereditatis petitio. Ex dictis liquidò apparet, quod ex jure in re non una saltem actio realis, puta, rei vindicatio oriatur, sed plures: nam prout jura realia à se invicem sunt distincta, sic diversas juris in re species constituunt: graviter ergo fallunt & falluntur illi, qui præter dominium nullum aliud jus in re agnoscere volunt; licet quidem negari haud possit, dominium esse inter jura realia primarium & potissimum; indè tamen non sequitur, reliqua jura realia non esse verè realia &c. Jus ad rem est, quod non ipsam rem afficit, ut res nobis sit devincta, sed personam saltem astringit ad aliquid dandum vel faciendum, quod fit ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto; inde nascitur obligatio, & per consequens actio personalis. Hinc sicuti Jus in re tribuit actionem realem, sic jus ad rem producit actionem personalem ex obligatione ortam. Confer hic titulum actiones in genere.

Jus naturæ & gentium sunt jura omnibus hominibus usu rationis quadantenus nota. Jus naturæ est jus ab ipso DEO hominum mentibus mediante ratione inditum, quo quis ex lumine naturæ & dictamine rectæ rationis statim scire potest discrimen honestorum & turpium

pium absque ullo vel difficili mentis discursu *Paul. ad Rom. 2.* Jus hoc naturæ obligat omnes homines ad honestum faciendum, & ad turpe fugiendum; contrarium faciens, ad pœnam obligatur, h. e. qui honesta non facit, & turpia non fugit, jure puniendus est ob præcepti contemtum, quia hæc principia nobiscum nata sunt, bona & honesta esse facienda, & mala vel turpia fugienda. Sic homo absque prolixa ratiocinatione scit, DEUM esse colendum, parentibus & patriæ esse obediendum, *l. 2. ff. de just. & jur.* liberos à parentibus esse educandos & alendos, vim vi esse propellendam, *l. 9. ff. ibid.* honestè esse vivendum, suum cuique tribuendum, neminem esse lædendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne facias &c. Hoc jus naturale suâ naturâ est immutabile, cum Divinâ quadam providentia sit constitutum, *§. 11. Inst. de jur. natur. gent. & civil.* Ideo jus naturæ & Romæ, & Parisiis, & Athenis, & in Anglia, Polonia, Dania, ac Suecia, & alibi locorum semper est idem. Ob eam rationem dicunt Canonistæ, quod ipse Pontifex nihil possit, nec velit facere, quod directò & immediatè est contra jus naturæ, & jus Divinum morale, quæ duo divinâ quadam constitutione sunt immutabilia, *dict. §. 11.* Hinc fluit, quod Pontifex usque ad animam & sanguinem obligetur, legem Divinam defendere, *caus. 25. quæst. 1. can. 6.* Jus gentium est jus, quod non ex simplici ratione hominibus notum est, sed id gentes mediante ratiocinatione sivè ulteriori mentis discursu practico ob urgentem necessitatem & communem hominum utilitatem, non diu post conditum genus humanum, crescente hominum multitudine introduxerunt, ad evitandas in vitâ humanâ & communi societate confusiones, & per consequens rixas, *l. 5. ff. de just. & jur.* nam communio rerum discordias excitare solet. Ast non ita introductum est jus gentium, ac si gentes longissimis etiam spatiis inter se remotæ in unum locum convenerint legis sanciendæ causa, jusque illud unanimi omnium consensu expresse condiderint, ac promulgaverint; sed quod diversissimæ gentes, necessitate cogente, & publicâ utilitate suadente, per ratiocinationem & tacitum mentis discursum tacito quasi consensu idem jus unanimiter constituerint, & confirmaverint, e. gr. creare Magistratus, condere regna, dominia distinguere, agris terminos ponere, judicia habere, commercia liberè excolere, legationes admittere, bella ad defensionem patriæ & religionis esse licita &c. hæc omnia gentes jure gentium tacitè approbant, ad evitandas in mundo lites & confusiones

l.4. & *l.5. ff. d. t.* item fœdera inire, quæ faciunt gentes ob securitatem, ne à potentioribus iniquè opprimantur: sic bellum gerere pro defensione bonorum, & patriæ censetur jure gentium justum, ducto argumento à minori ad majus sequenti modo: Si privati injuriam vel damnum passi, per actionem coram Judice legitimè institutam mediante sententiâ Judicis suum consequi possint, *l. 13. ff. quod metus causa:* utique & summæ potestates, hoc est, Reges & Principes suum injuriâ vel vi ablatum quovis licito modo consequi debent. Verùm, quoniam hi cum paribus disputantes superius tribunal in terris non inveniunt, quo læsi confugiant, suumque beneficio juris & tribunalis consequantur, *l. 13. §. 4. ff. ad SCtum Trebell.* Idcirco id vi belli armatâ manu licitè consequi possunt, ne deterioris habeantur conditionis ipsis privatis, aliorumque injuriis inulti exponantur: naturaliter enim æquum est, rem meam ab alio injusto titulo occupatam vindicare, eamq; malæ fidei possessori iterum eripere, ne cum meo damno fiat locupletior, *l.206. ff. de R. J.* Jurisconsulti Romani solent aliàs distinguere inter jus naturæ & gentium. Illud vocant jus gentium primævum, sivè jus rationis, quod cum primis nostris parentibus statim introductum, comprehendens honesta & turpia per se. Hoc vocant jus gentium secundarium, sivè jus ratiocinationis, quod demùm multiplicato genere humano & crescente hominum malitia, à gentibus postea est introductum; nam cum homines viderunt, solum jus naturæ ob corruptos hominum mores, & depravatam humanam naturam regendis hominum moribus non sufficere, omniaque pro conservandâ justitia, salute publicâ, & tranquillitate fore frustra, nisi invalescentibus hominum vitiis, & crescente malitia, validiora adhiberentur remedia; bella enim orta sunt, & captivitates secutæ &c. Ideò jus gentium necessariò est introductum ex naturali ratione, quod est quasi conclusio quædam generalis & ratiocinatio, sivè ratio composita, ex usu & necessitate hominum orta. Hinc profecta videtur communis illa ad judicium orbis & saniorum gentium provocandi formula. Man wolle es der gantzen ehrbaren und vernünfftigen Welt zu erkennen geben/und die darüber urtheilen lassen. rc. quoniam omnes moratiores populi ubique locorum rectæ rationis usu gaudere, idemque justum vel injustum, honestum vel turpe æstimare creduntur. Hîc probè notandum, quod accuratè loquendo, non rectè distinguatur inter jus gentium primævum & secundarium; nam per jus gentium primævum

mævum intelligimus jus naturæ, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud illos peræque custoditur; sivè quod nullâ humana necessitate cogente cum ipso genere humano rerum natura prodidit, *§. 11 Inst. de rer. divis.* hoc jus naturale primis mundi temporibus nim: Adami, Caini, & Abelis jus gentium non est vocatum, nec ita vocari potuit; ratio est, quia tunc temporis gentes nondum extiterunt. Ergo jus naturæ non formaliter & ratione causæ efficientis jus gentium dici potest, quasi gentes id introduxerint; sed materialiter, scil. ratione usus ita impropriè dicitur, quia gentes omnes jure naturæ utuntur. Sed jus gentium secundarium est propriè jus gentium, quod gentes humanæ usu exigente & humanis necessitatibus sibi constituerunt: sic *in §. 1. Inst. de jur. nat.* describitur jus gentium impropriè: & *in §. seq.* describitur propriè. Jus naturæ à DEO immediatè introductum est, & jus gentium ab hominibus sivè gentibus; ideò illud est immutabile, hoc quadantenus est mutabile. Jus naturale differt à jure gentium ut antecedens & consequens. Jus naturale proponit propositionem sequentem loco antecedentis. Publica hominum societas est conservanda: indè concludit jus gentium per necessarium consequens, ergo mali ob tranquillitatem in societate communi conservandam è medio tollendi sunt, efflagitante sic humanâ necessitate & tranquillitate Reipubl. Cæterum quas leges DEUS sub initio mundi per naturam hominum mentibus indidit, non ideò minus leges sunt, quia eas non verbo revelavit; sufficit aliunde constare de voluntate DEI; sic Cain occidens fratrem suum Abel cum tremore exclamavit; majora sunt peccata mea, quàm ut mihi dimitti possint; sic Pharao, antequam leges darentur per Moisen, stimulatus lege naturæ, sua crimina sponte confessus est, dicendo: Dominus DEUS justus est, ego autem & populus meus sumus impii. Porrò observandum, quod DEUS ante diluvium non aliud populorum regimen constituerit, quàm conscientiæ judicium, solamque rationem pro rectore reliquit, suoque spiritu instruxit & excitavit. Cum autem homines rationi amplius obsequi noluerint, sed peccata peccatis impiè cumularint, ideò DEUS omnes præter unum virum Noa cum sua prole probum, & in virtute & pietate constantem diluvio extinxit. Cæterum ut ut jus naturæ in se sit immutabile; attamen ratione circumstantiarum mutari potest; e. gr. (1) jus naturæ vult, hominem non esse occidendum; ast si latro hominem occidere velit, eundem la-

tronem in casu necessitatis impunè occidere licet, de quo in titulo homicidii prolixius egi. (2) Jus naturæ vult, nos nemini debere esse onerosos & noxios; sed hæc regula in Republica non semper observari potest: nam tempore belli, vel incendii possum in obsidione urbis impunè evertere suburbium, vel in casu magni incendii destruere alterius ædes, ad plurimas alias conservandas; ratio est, quia longè melius & salutarius est, majorem ædium partem in casu necessitatis cum unius vel alterius ædificii destructione tempestivè conservare, quàm omnia simul negligere & perdere &c. Contra, jus gentium est mutabile, quod in utilitate principaliter est radicatum. Hinc fluit, sicuti ipsa utilitas est mutabilis, quæ non semper eadem esse solet, ita & ipsum jus gentium est mutabile, e. gr. servitus olim fuit in usu, ut in bello capti fierent servi; ast hodie servitus inter Christianos est sublata; quia tutius hodie censetur, si captivi lytro se redimant, vel cum aliis commodè permutentur; quàm ut rempubl. servorum multitudine repleant: undè plurima reipubl. incommoda. Attamen adhuc hodiè certis in locis servitus Christianis est concessa, sed valdè restricta, quæ cum Romana servitute nullatenus comparari potest &c. Causa efficiens juris naturæ est DEUS: hinc cum naturam naturantem dico, DEUM dico; quoniam ipse est opifex & conditor naturæ. Materia juris naturæ sunt bona & mala, hoc est, honesta & turpia, quorum priora sunt appetenda, posteriora verò fugienda. Forma juris naturæ est, quod jus hoc omnium hominum cordibus inscriptum & implantatum sit: sic lex naturæ à Deo lata & promulgata est. Causa finalis est commune totius generis humani, omnium & singulorum hominum bonum, & salus: quoniam omnis lex, ergo & lex naturalis commune bonum habet pro suo fine & scopo. Proprium naturæ est, esse immutabile, sicuti ignis proprium est, ubique urere: hanc immutabilitatem nullus juri naturæ auferre potest, & ne quidem ipse DEUS, ut bonum non sit amplectendum, & malum fugiendum. Ergo DEI sanctitas & justitia Divina mutationem juris naturalis non permittunt. Hic in fine quæritur, num homines leges civiles, an naturales religiosius observent? Resp. leges civiles; ratio est, quia leges civiles metu pœnæ accuratè observare coguntur, ne à Magistratu ob earum neglectum sivè contemtum puniantur: ob naturalium verò sivè moralium legum neglectum non tam facilè puniuntur, sed harum violatio Deo vindi-

vindicanda relinquitur; inde fit, quod plures reperiantur boni cives, quàm boni viri.

Jus naturæ à nonnullis Philosophis vel aliis viris doctis solet interdum brutis animantibus tribui: quod autem jus naturæ brutis animantibus propriè tribui nequeat, ex sequentibus rationibus clarè demonstro. (1) quicunque non potest distinguere inter honestum & turpe, inter justum & injustum, inter licitum & illicitum, is juris naturæ non est particeps; Ast bruta animantia id ob rationis exilium facere nequeunt; Ergo juris naturæ non sunt participia. Major per se patet, quia jus naturæ suis cultoribus absque difficili mentis operatione suppeditat discrimen honestorum & turpium, quod bruta animantia ratione destituta planè ignorant, quæ saltem inter grata sivè delectabilia, & odiosa sivè noxia distinguere sciunt, mediante appetitu sensitivo. Minor non indiget probatione. Ergo assertum meum manet firmum. (2) Examinemus rem nonnihil altius juxta generalem & genuinam juris naturæ definitionem. Jus naturæ est lex universalis hominum (non brutorum) cordibus sivè mentibus à summo legislatore DEO impressa, secundum quam, tanquam infallibilem & immutabilem normam nostras actiones examinare & dirigere debemus, ne quid contra DEUM, contra proximum, & conscientiam nostram temerario ausu impiè committamus. Sic quis mortalium adeò stupidus, qui ex lumine naturæ & dictamine rectæ rationis non sciat, DEUM esse colendum, homicidium, & adulterium non esse malitiosè perpetrandum, proximo suum non esse auferendum, parentibus esse obediendum, cum hæc omnia sint naturâ probra & damnanda, *l. 42. ff. de verb. signif.* Si hæc omnia brutis animantibus accuratissimâ methodo Aristotelicâ ad vitæ finem diligentissimè explicaveris quasi alter Ulpianus, frustra laborabis; cũ horum nihil incurrat in sensus, sed ad intellectum & rationem primariò referantur. Verum si brutis exhibueris appetitui vel palato eorum grata & delectabilia, per naturalem instinctum eadem appetent; contraria verò & odiosa pro viribus aversabuntur. Undè hoc percipiunt? quæso mihi dicas, forsan ex jure naturæ, nego; quoniam ad appetenda grata, & aversanda mala sivè noxia non indigent ratione, quam nec habent; solus appetitus sensitivus illis ad hoc sufficit, *docente Aristotele.* (3) ut eò firmior reddatur mea thesis, scias, quod jus naturæ totum decalogum materialiter in se complectatur. Ergo si velis brutis animantibus propriè tribuere jus naturæ, per neces-

necessariam consequentiam fateri cogeris, bruta animantia jure naturæ obligari, moraliter vivere, & decem præcepta quadantenus observare, quod absurdum. Nam quis Theologorum, JCtorum, & Philosophorum salvâ conscientia, teste experientiâ, optimâ rerum Magistrâ verè affirmare audet, bruta jure naturæ diligere DEUM, homicidium & adulterium (elephantorum fabulam hic prætereo) tanquam vitiosos quosdam actus ex lumine naturæ aversari, cum bruta non habeant libertatem agendi moralem sicuti homines &c. Ut paucis me expediam, quis ignorat, bruta animantia ob rationis exilium præcepta moralia & virtutes planè negligere, nihilque curare. Idcirco non video, quo pacto jus naturæ brutis propriè tribui possit: ubi enim bruta circa actiones suas neque justitiam observare sciunt, neque inter virtuosas & vitiosas actiones rectè distinguere callent, hoc est, non examinant actiones suas moraliter, sed saltem omnia physicè juxta naturalem instinctum & appetitum tractant; utique juris naturæ non sunt participia; sic se alere, procreare sui similem, conservare partum suum, sequè contra vim quovis modo defendere &c. hos actus naturales bruta quidem cum hominibus habent communes, considerando eos physicè; ast si eos moraliter, sivè in sensu civili consideremus, planè negatur; quatenus de actuum bonitate & malitia, justitia & injustitia quæritur; nam eatenus soli homini, qui sanâ ratione regitur, tribuuntur. (4) qui jus naturæ brutis animantibus per mentis subtilitatem tribuere, exercitii gratia tentat, eos nihil planè adjuvat Imperatoris Justiniani impropria juris naturæ definitio, *in principio tituli Inst. de jur. nat. gent. & civil.* proposita: Jus, inquit, naturale est, quod natura omnia animalia docuit; quoniam Imperatoris mens non fuit, hic describere vel definire jus naturæ propriè sic dictum, sed improprium & analogicè tale, hoc est, naturæ instinctum, quatenus natura omnibus animantibus impressit naturalem impetum sivè appetitum sui conservandi, & ad debitum finem perveniendi; quatenus verò jus naturæ ad justitiam & æquitatem refertur, eatenus est hominis proprium; ob id asserit Imperator in *l. 2. ff. de stat. hom.* omne jus hominum causa est constitutum, (qui omne dicit, nihil excludit) nam inter quos jus propriè est, vel quibus jus naturæ propriè tribuitur, inter eos & ratio, & æqvum & bonum, & justitia & lex, & societas sit, necesse est, *teste Aristotele 5. Ethic. c. 10.* quæ omnia à brutis sunt aliena, quia intellectu & ratione carent, *l. 1. §. 3. ff. si quadrup. pauper. fe-*

eisse dicatur. Ne rem ad nauseam prolixius extendere videar, paucissimis Imperatorem pro me pugnantem adhuc adduco. Expressè dicit in §. 11. *Inst. de jur. nat. gent. & civil.* jura naturalia apud omnes gentes (non apud bruta) peræquè observari, esseque firma ac immutabilia, ubi brutis non tribuitur jus naturæ. Nec tria juris naturæ generalia præcepta nobiscum nata, (honestè vivere, neminem lædere, & suum cuique tribuere) in §. 3. *Inst. ibid.* declarata, hominibus & brutis promiscuè præscripsit Imperator, sed saltem hominibus: quoniam bruta suas actiones juxta tria hæc juris præcepta ob rationis exilium formare & instituere nesciunt; idcircò sic concludo; quod bruta cum hominibus commune habent, non jus, sed vis naturæ, sivè instinctus naturalis est: hinc quæ bruta faciunt instinctu naturæ, vel cæco impetu, sine ratione & judicio, hoc faciunt homines cum ratione, quam veluti ducem & lucem sequuntur, suasq; actiones juxta jus naturæ & præscriptas leges, seu vitæ normam cautè instituunt, ne à virtutis tramite temerè deflectentes, pœnis condignè afficiantur. Ut verbo dicam, cum bruta animantia nec proæresin, nec liberum arbitrium habeant; ideò nec justè, nec moraliter agere possunt, & per necessariam consequentiam juris non sunt perita. Sapienti sat.

Jus naturæ est lex universalis non scripta, quam DEUS, ut naturæ autor, omnium mortalium cordibus implantavit, ad discernendum honestum à turpi; illud (scilicet honestum) jubendo, hoc (scil. turpe) prohibendo: sic homo jure naturæ omnes virtutum actus, ut bonos, debet facere, & ad eos vi legum in conscientia obligatur. Ex opposito, omnes vitiorum actus, ut malos, debet fugere: quo fine S. Augustinus de lege naturæ dicit: nulla anima est, quæ ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur DEUS; quis enim legem naturæ in cordibus hominum scripsit, nisi DEUS; quod juxta Pauli Apostoli dictum: Gentes, inquit, ostendunt opus legis in cordibus suis scriptum. Hinc cum jus naturæ sit dictamen rectæ rationis, prout communiter à JCtis describitur, ergò jus naturæ cum recta ratione semper concordat, & nunquam cum illa pugnat; unde necessariò sequitur, quicquid à recta ratione recedit, non est jus naturæ, sed prava dispositio, corrupta voluntas & corruptela. Ut autem jus naturæ hominibus tantò magis patesceret, DEUS per Moisem Decalogum, ceu vitæ regulam conscribi jussit, ut homines juxta hæc decem præcepta divina omnes suas actiones, consilia &

studia accuratè instituere possint, ac debeant: quoniam DEUS, ceu supremus Decalogi Legislator vult, ut omnia nostra negotia, dicta & cogitata cum ejus sapientia, justitia & voluntate optimè conveniant; ob eam rationem DEUS hominibus, ad imaginem ejus conditis, noticias legis divinæ & naturalis veluti radios suæ sapientiæ & justitiæ naturâ indidit, & voluntatem suam Decalogo insuper declaravit, ut tantò magis actiones nostras secundum DEI legem & voluntatem piè ac prudenter dirigere possimus. Hîc occasionaliter quæritur, dum jus naturæ dicitur immutabile, omniumq; cordibus inscriptum; an nonergò ab omnibus populis strictè sit observandum, & ubique religiosè observetur? Resp. quod jus naturæ ab omnibus populis semper strictè observandum sit, est extra omnem controversiam; sed quod illud à quibusdam gentibus barbaris in quibusdam casibus non observetur, fit ob ferinam & brutalem earum naturam, ac barbaram educationem, quibus lumen rectæ rationis in illis miserè obfuscatur: sic (1) Lacedæmoniis & Ægyptiis contra jus naturæ furta fuerunt permissa: sic (2) ipsis Persis contra naturalem pudorem matres, sorores & filias uxores ducere, easque carnaliter agnoscere impunè licebat: sic (3) Cypris, Lydis, Babyloniis, Indis, &c. permissum erat, virgines ante nuptias promiscuè prostituere: sic (4) Massagetis, Scythis & aliis barbaris gentibus consuetum fuit, parentes & cognatos senio confectos jugulare, eosque devorare, &c. Ex his irrationabilibus barbararum gentium consuetudinibus jus naturæ minimè infringitur: nam sicuti una hirundo non facit ver, ita unius, vel alterius barbaræ gentis belluini mores jus naturæ non infringunt, multò minùs tollunt; sed sufficit, quod plerique excultiores & moratiores populi idem ex insita ratione & dictamine honestorum & turpium religiosè observent.

Jus naturæ haud immeritò vocatur rectæ rationis lumen, quod hominibus quasi face ardente clarè ostendit, quid ipsis in vita communi sit agendum, quid fugiendum. Ob id solent JCti jus naturæ vocare fontem juris civilis, ex quo jus civile ceu rivulus juris naturæ profluit: hinc dicimus, sicuti rivulus per multas ambages & circuitus interdum longius à fonte recedit, virtutem tamen suam & actionem à fonte habet; ita etiam jus civile per varias ac scrupulosas rerum, causarum, & negotiorum ambages ac anfractus excurrit, se dilatat, & à fonte juris naturalis longius interdum recedit;

atta-

attamen virtutem, robur, & efficaciam suam à jure naturæ ceu fonte purissimo consequitur: quicquid igitur in thesi est contra jus naturæ, illud nomen juris non meretur. Secus est, si in hypothesi: sic jus naturæ dicit, depositum esse reddendum, jus civile interdum negat; si deponens vel furere incipiat, & gladium depositum petiverit, vel si fur rem furtivam apud aliquem deposuit, eamque postea simul fur & dominus à depositario petant, tunc depositum furi justè denegatur, & traditur vero rei domino, *l. 31. ff. depofit.* Hic probè notandum, quod natura generaliter accepta dividatur in naturam naturantem, quæ est ipse DEUS, & in naturam naturatam, quæ est creata; & in hoc sensu iterum accipitur vel pro universitate totâ rerum creatarum, sive pro collectione causarum naturalium, quæ secundum inclinationem & exigentiam naturæ operantur: vel accipitur pro cujusque rei temperamento; sic dicimus Paulum naturâ esse sanguineum, Petrum cholericum, Mævium naturâ melancholicum, & Titium phlegmaticum, &c. qui omnes naturâ sive temperamento inter se differunt.

Jus Romanum variè dividitur, (1) ratione causæ finalis dividitur in publicum & privatum, *§. fin. Inst. de just. & jur. & l. 1. §. 2. ff. d. tit.* Jus publicum Rom. est, quod ad Statum reipublicæ Rom. primariò spectat: de quo in principio primi libri Codicis, & in tribus ultimis libris, puta in libr. 10. 11. & 12. C. agitur: ab hoc jure publico Rom. hodiè ob mutatum Reip. R. statum differt jus publicum, in aurea bulla Caroli quarti, & Recessibus Imperij fundatum, in quibus Imperij & Imperatoris jura, Cæsaris Majestas, Electorum eminens dignitas, & reliquorum Statuum privilegia, & cujuslibet Status sessio & prærogativa distinctè explicatur. Jus privatum est, quod primariò spectat ad singulorum utilitatem: ast per consequentiam spectat etiam ad reipublicæ utilitatem. (2) Jus Roman. ratione causæ efficientis dividitur in tres principales partes, ex quibus constat, ut (1) in jus naturale, (2) jus gentium, & (3) jus civile in specie sic dictum; nam ex triplici hoc jure omnia legum præcepta sunt desumta; quoad maximam tamen sui partem ex jure naturæ & gentium est haustum. Antiquissimi enim JCti Papinianus, Ulpianus & alij, quà Ethnici ex lumine naturæ, & dictamine rectæ rationis magna illa jurium Rom. oracula maturo judicio depromserunt. Idcirco Hugo Grotius meritò vocat antiquos JCtos & juris Justinianei Conditores, æquitatis studiosissimos, qui justitiam

tiam continuò excolendo, æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere, accuratè noverunt, vide *Grotium libr. 2. c. 7. §. 9. de jure belli & pacis.* hinc est, quod nullus liber in toto terrarum orbe unquam extiterit, in quo plures & insigniores casus de omnibus materiis & actionibus humanis proponuntur ac deciduntur, quàm in jure Romano. Nec minimum est juris Rom. ornamentum, quod lingua Latina tàm comptè in eo sit observata, ut de illo haud iniquè dicatur; quod si lingua Latina per temporum injuriam in meram verteretur barbariem, ex solo corpore juris restaurari posset. (3) Jus Rom. dividitur in quinque partes, (1) pars sunt Institutiones, sive prima elementa juris, (2) pars sunt Digesta, quæ sunt quasi Commentarius Institutionum, (3) Codex, (4) sunt Novellæ (scil. Constitutiones,) & pars (5) est Jus Feudale. Hæ 5. juris partes diversis temporibus compositæ & editæ sunt. Imp. Justinianus duplicem Codicem & Digesta diversis temporibus conscribi curavit per JCtos Tribonianum, Dorotheum, Theophilum & alios. Priorem Codicem partim ex anteriorum Principum triplici Codice, puta, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano colligere curavit, (Gregorianum Codicem JCtus Gregorius ex Principum constitutionibus usque ad Valerij Imperatoris tempora collegit. Hermogenianum JCtus Hermogenes ex reliquorum Imperatorum Constitutionibus usque ad Constantinum Magnum compilavit: & Codicem Theodosianum Imperator Theodosius per JCtos colligere curavit) partim Justinianus Imp. priorem suum Codicem ex suis constitutionibus per Tribonianum, Dorotheum, Theophilum & alios magni nominis JCtos collegit, & concinnavit anno Christi 529. postea anno 530. Digesta ex antiquorum JCtorum libris per eosdem JCtos cum maxima lucubratione colligere & concinnare, sed nondum edere curavit Imp. Justinianus; & Institutiones juris demum anno 533. editæ sunt, & paulò post ipsa etiam Digesta edita sunt & confirmata. Tandem ad multas JCtorum controversias & varias opiniones in jure tollendas, alterum Codicem repetitæ prælectionis edi jussit anno 534. qui priore longè perfectior & correctior est: nam 50. decisiones, & alias adhuc novas constitutiones huic Codici novo inseri jussit, quibus maximæ JCtorum controversiæ sunt decisæ. Hoc novo Codice, quem repetitæ prælectionis vocant, adhuc hodiè utimur. Novellæ (scilicet constitutiones) quoad maximam sui partem origine fuerunt græcè

græcè conſcriptæ; quædam tamen originaliter latinè, ut Novella 9. 11. 23. 62. 143. & 150. Novellæ demum poſt mortem Imp. Juſtiniani in unum corpus collectæ ſunt, inquè novem collationes diſtributæ; & ſunt numero 168. novellæ. Has Novellas in orientali imperio Rom. conſcriptas per aliquot ſecula ignoravit Italia, ceu occidentale imperium Rom. ubi lingua græca ſeculo 6. & ſequentibus non floruit; quo factum, ut Romani ſæpè dicere conſueverint, hæc græca ſunt, quæ neque legi, neque intelligi poſſunt; poſtea verò ſeculo 12. in linguam latinam translatæ ſunt Novellæ. Ex his Novellis tanquam authenticis integris ſummatim deprompſit Irnerius JCtus excerptas authenticas, easque Codici Juſtinianeo repetitæ prælectionis inſeruit, ac ſingulas plerumque annexuit illis conſtitutionibus, quibus per Novellas (ſcil. conſtitutiones) derogatur, vel etiam aliquid additur, vel quædam omninò abrogantur, &c. Jus Feudale (ſive conſuetudines Longobardicæ) privato ſtudio eſt conſcriptum ex prudentum obſervationibus, & ſeculo 12. anno 1168. à JCto Hugelino corpori juris Romani annexum eſt. Hoc jus feudale ſemper manet jus non ſcriptum, licet jam in ſcripturam redactum corpori juris ſit inſertum; ratio eſt, quia nunquam expreſſo Majeſtatis ſive Imperatoris conſenſu eſt introductum, vel approbatum, & promulgatum; ſed ſaltem tacito Imperatoris conſenſu, ut in Imperio ob utilitatem vigeat: ſicuti hæ 5. juris partes diverſis temporibus ſunt elaboratæ, ita diverſa methodus & ordo tractandi in ſingulis partibus eſt obſervatus; nam alius ordo & methodus in Digeſtis, alius in Codice, alius in Novellis, alius in Inſtitutis, & alius in jure feudali invenitur, prout ex diverſis harum partium diviſionibus cernere licet; dum (1) Digeſta dividuntur in 50. libros, & quilibet liber in certos titulos, & ſinguli tituli in paragraphos. (2) Codex dividitur in 12. libros, & libri in titulos, & tituli in paragraphos. (3) Inſtitutiones dividuntur in 4. libros, &c. (4) Novellæ confuſo ordine tractantur, ſuntque 168. & (5) jus feudale regulariter in 2. libros dividitur, quamvis aliàs numerentur quinque.

Jus non poteſt conſtare, niſi ſit aliquis Juris peritus, per quem poſſit quotidiè in melius produci, *l. 2. §. 13. ff. de orig. jur.* & qui ſingulas actiones humanas rectè ad jus applicare ſciat: quoniam nemo niſi JCtus ob juris Romani amplitudinem & ſubtilitatem hoc accuratè præſtare valet.

Jus patronatus est jus præsentandi Sacerdotes Ecclesiæ idoneos, ab Episcopo instituendos: hoc jus patronatus acquiritur ex dotatione, fundatione, & ædificatione Ecclesiæ, ut si quis universam Ecclesiam fundavit, aut eam exstruxit, vel dotavit, *c. 25. X. de jur. patronat.* Hoc jus patronatus translatum est à profanis ad sacra, à personis ad res, *l. 29. ff. de oper. libert.* nam libertus olim patrono, à quo erat manumissus, operas præstare obligabatur, in signum gratitudinis pro accepto manumissionis beneficio; quod hodiè cessat, exspiratâ inter Christianos servitute antiquâ.

Jus patronatus generaliter consideratum tripliciter accipitur, (1) jus patronatus datur patronis erga libertos propter beneficium manumissionis, *t. ff. de obseq. parent. & patron. præstand.* (2) jus patronatus competit Advocatis erga clientes, ideò Advocati dicuntur causarum controversarum patroni, *caus. 15. q. 2. can. 2.* & (3) sumitur maximè proprium, prout superius descripsimus.

Jus permittens, quod nihil expressè jubet, vel vetat, versatur circa actus indifferentes, qui in se turpitudinem moralem non continent, sed hominum arbitrio impunè sunt commissi; quales actus sunt maris & fœminæ conjunctio, testamenti factio, libera rerum suarum administratio & alienatio, &c. *l. 7. ff. de legib.*

Jus quæsitum nemini regulariter, ne quidem à summo Principe, justè auferri potest, *l. 13. §. 1. ff. commun. prædior. & l. ult. ff. de pact.* ratio est, quia id, quod nostrum est, sine facto nostro (sive sine voluntate nostra) ad alium transferri non debet, *l. 11. ff. de reg. jur.* Quod si verò reipubl. salus vel necessitas interdum contrarium suadeat, vel jubeat, aliud dicendum est; salus enim populi suprema lex esto. Idcircò tempore belli potest Princeps ex urgente causa totum suburbium, vel quasdam civium ædes extra, vel intra civitatem ad defensionem urbis licitè diruere, vel concremare; quia ex duobus malis inevitabilibus minus est eligendum, ne urbem occupet hostis. Sic etiam tempore pacis potest Princeps pro dilatandis fossis civitatis, vel exstruendo propugnaculo, unius vel alterius civis ædes destruere, ut civitas eò firmior & securior reddatur, *l. 14. C. de operib. publ.* pretium tamen civibus pro destructis suis ædibus in tali casu est refundendum, ne præter omne meritum ad incitas injustè redigantur, *l. 15. §. 1. ff. de rei vind.* eo etiam fine vicinus ob publicam utilitatem ad refectionem putei publici in commune pro quota contribuere obligatur, etiamsi eo nunquam utatur, nec uti velit.

Jus

Jus repræſentationis propriè tantum habet locum in deſcendentibus, qui mortuos parentes fictè repræſentant: non verò in aſcendentibus; ratio eſt, quia contra naturam eſt, ut avus repræſentet patrem, ceu filium à ſe genitum, &c. quod autem aſcendentes ſive parentes ob defectum deſcendentium ad liberorum ſuorum hæreditatem admittantur, hoc fit propter commiſerationem & ſolatium, ut illi amiſſis liberis ſolatii loco bona liberorum conſequantur, *l. 7. in fin. ff. unde liber.* Aſt in collateralibus eatenus ſaltem jus repræſentationis valet, quatenus filii fratrum cum patruis concurrunt, *Novell. 118. c. 3.* Ergò filii fratrum inter ſe ceſſante jure repræſentationis in capita, hoc eſt, æqualiter ſuccedunt, *l. penult. C. de legitim. hæred.*

Jus ſummum eſt ſumma injuria, hoc eſt, jus quod ſecundum rigorem & verborum apicem, & non ex æquo & bono commodam accipit interpretationem; igitur in omnibus rebus, quantum honeſtè fieri poteſt, ſemper ad æquitatem eſt confugiendum; ne quis per juris rigorem iniquè lædatur, *l. 8. C. de judic*

Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuendi; in hac definitione ponitur metonymicè effectus pro cauſa, ſive pro habitu volendi; quatenus voluntas hominis ad conſtanter, perpetuò, & juſtè agendum informatur: ſic voluntas hominis dicitur conſtans & perpetua, non quidem ratione perpetui actus & exercitii, quaſi juſtus deberet noctes atque dies perpetuò juſta agere; ſed ratione intentionis & propoſiti; ſufficit enim juſtum habere bonam intentionem, datâ occaſione juſtè agendi; aliàs proprium juſtitiæ genus eſt habitus: cum juſtitia ſit virtus, quæ per habitum & crebras actiones acquiritur, (beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, inquit *Matth. 5.* qui in viis juſtitiæ ambulant.) Hinc quoties in jure de conſtantia loquimur, quod is dicatur juſtus, qui conſtanter & perpetuò juſtè agit, hoc in ſenſu morali intelligendum, quatenus conſtantia in hominem cadit; nam nullus adeò virtuoſus eſt, qui nunquam à virtutis tramite recedit. Exempla habemus in ſanctiſſimis viris, Davide, Salomone, Loth, &c. quorum ille erat vir ſecundum cor DEI, iſte ſapientiſſimus & hic juſtiſſimus, & tamen graviſſimè peccaverunt, &c. Ideò dicunt Philoſophi & JCti, quod non æquè in moralibus, ſicuti in naturalibus punctum accuratè invenire liceat, e. gr. quando de virtute dicitur, quod in medio conſiſtat; quis mortalium illud medium, inter exceſſum &

defectum positum, tanquam punctum agendo tàm accuratè observare, & quasi acu tangere potest, ut in nullo planè ab illo moralitatis puncto recedere videatur; nemo enim summi boni fastigium adhuc ascendit. Ad hoc respexit Aristoteles, dum inquit, punctum virtutis consistit in cognitione, non autem in operatione. Hîc datâ occasione quæritur, an JCtus justitiam sic consideret, uti Ethicus? Resp. negando, quia Ethicus exactissimam omnium virtutum requirit consonantiam, quæ in his terris ac fragili hoc mortalium statu non reperitur, sed Philosophis tantum secundum ideam Platonicam fingitur. Contrà, JCtus talem duntaxat justitiam, virtutumque consonantiam requirit, qualis in humanâ imbecillitate existere potest. Hanc etiam ob causam à JCtis leges Imperatoris autoritate & jussu sunt latæ, ut bonos (non omnibus numeris & absolutè tales, sed quatenus bonitas in hisce terris in homines cadit) faciat cives, dirigendo, obligando & coërcendo. Hac legum coactione ac pœnarum fræno maxima hominum pars, (quibus illicitus malorum perpetrandorum naturâ inest pruritus, pravaque inclinatio) à virtutis tramite recedere veretur, ac graviter peccare desistit. Ast reliqui naturâ ad virtutis exercitium proni, præmiorum exhortatione & spe, secundum legum præscripta melius vivunt. Hîc probè notandum, quod ad justitiæ habitum acquirendum, tria necessariò requirantur; (1) ut quis sciens agat; nam sicuti errantis nulla est voluntas, ità nec justè quis agit, nisi hoc faciat ex certa scientia, (2) requiritur, ut id ex προαιρέσει, h. e. ex certa animi destinatione, & firmo proposito agat; & (3) ut idem perpetuò agat; attamen perpetua hæc actio non ita intelligenda est, acsi justus noctes atque dies justitiam actu exercere teneatur, sed ut tunc saltem exerceat, ubi opus erit; quia justitia non est habitus in actu exercito semper consistens, sed in actu signato, non semper agens, sed habens agendi potentiam, mediis & causis ad habitûs exercitium præexistentibus; quo sensu juxta omnium virtutum particularium complexum Aristides dicitur justus. Contrà, mercator civiliter dicitur justus, qui non defraudat emtores in mercibus venditis, licet reliquas virtutes morales negligat. Ex dictis apertè videre licet, quod justus certo animi proposito, consilio & constanti voluntate agere debeat secundum præcepta moralia: nam qui temerè, vel casu, aut invitus vel ignorans agit, quod est rectum & bonum, is certè non potest jure ob virtutem & justitiam laudari,

quoniam justitia primariò à voluntate hominis proficiscitur. Causa efficiens justitiæ principalis (1) est DEUS, Autor omnis boni ordinis, *Rom. 13.* nam ut oculus videat, & auris audiat, Dominus facit utrumque, *Proverb. 20.* (2) est mens humana de legum autoritate, & cultu ex justitia naturali verè judicans, & voluntas liberè & constanter obediens honestis legibus , & imperans externis membris, ut cum hac legum norma congruat. Materia circa quam, sunt omnium virtutum objecta. Forma est obedientia, seu actionum omnium cum legibus ac ratione convenientia. Finis est, ut civilis hominum societas in pace & tranquillitate conservetur, ne delictorum impunitas effrænem malorum audaciam in bonorum perniciem iniquè adjuvet. Hîc accuratè observandum, quod nulla regula justi in DEO sit varia & mutabilis, sed semper eadem & immutabilis; sic judicium DEI de sceleribus & delictis puniendis semper est idem; ob eam rationem modus puniendi delinquentes in DEO est perpetuus.

Justitia in jure dicitur virtus universalis, ad omnes virtutes se extendens, *Novell. 69. pr.* quia observat illud, quod secundum quamlibet virtutem est justum, & quod contra quamlibet virtutem est, sive est injustum, id carpit, ac reprehendit. Hinc jura civilia juxta primum juris præceptum, utpote *honestè vivere*, hominem instruunt, quomodo temperanter, fortiter, mansuetè, honestè & virtuosè vivere debeat, ne contra virtutem unam, vel alteram injustè & vitiosè agat: sic lex præscribit forti munia, quæ ipsi exequenda sunt, quod videlicet strenuè agat in bello, non deserat ordines, non fugiat, aut abjiciat arma: sic lex præscribit temperanti non mœchari, sed ab alieno abstinere thoro. Lex etiam injungit mansueto alium non verberare, nec ei maledicere; idem de cæteris virtutibus colendis præcipit, vitiaq; prohibet, &c. Ut verbo dicam, Leges nihil aliud sunt, quàm præcepta & regulæ virtutum, secundum quas quilibet civis bonus vitam instituere, & actiones suas dirigere in vita civili debet: Justitia enim universalis est virtus perfecta, domina & regina virtutum, quâ neque Hesperus, neque Lucifer majorem excitat admirationem & effectum. Hæc est, quæ omnes virtutes, omniumq; legum obedientiam in se complectitur; quâ mediante homines justi dicuntur viri boni. Unde secundum Aristotelis mentem dicimus, justitia in se se virtutes continet omnes: ob id justitia dicitur virtutum præclarissima, & ipsa est omnis virtus, *Arist. lib. 6. Ethic.*

quoniam nihil est honestum, quod justitiâ vacat, *teste Cicer. in offic.* Cæterum justitia in genere considerata, dividitur in universalem & particularem; de illa superius diximus. Hæc verò scilicet particularis justitia iterum est duplex; distributiva & commutativa. Justitia distributiva versatur circa præmia, & pœnas secundum merita, & qualitates personarum, juxta proportionem geometricam distribuenda; quoniam teste Cicerone nulla domus, multò minus respubl. quietè stare posset, si in ea nec rectè factis præmia exstarent, nec supplicia peccatis, hoc est, nisi per justitiam distributivam præmia civibus bonis, & pœnæ malis, sivè delinquentibus irrogarentur. Idem nobis summus Legislator DEUS suo exemplo comprobat in promulgatione legis Divinæ; ubi hominibus probis promissionem præmiorum,& malis comminationem pœnarum facit, *Exod. 20. v. 5.* Ego Dominus DEUS tuus, DEUS Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in Filios,in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me *(& v. 6. itidem pergit,)* & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Quod DEUS misericos eo fine fecit, ut boni per benigna promissa & præmia ad obedientiam invitentur; sed mali per severas minas & pœnas ab inobedientia deterreantur. Justitia commutativa versatur circa contractus, juxta proportionem arithmeticam, remoto omni personarum respectu; quia illa proportionem rei ad rem tantum considerat; quare autem æqualitas in contractibus, & inæqualitas in præmiis & pœnis concedatur, ratio est; quià personarum respectu qualitatum & delictorum magna est differentia, Ob id idonei & docti neglectis indoctis & minus idoneis ad officia publica promovendi sunt, *l. 14. §. 3. ff. de muner. & honor.* Sic etiam in pœnarum illatione mitius impubes & minor puniuntur, quàm homo perfectæ ætatis & judicii *l. 108 ff. de Reg. Jur.* item Nobilis mitius, quàm plebejus, nisi delictum sit capitale, &c.

Justitiam legalem & universalem in præcedenti titulo ratione nostri instituti satis exposuimus;restat ergo justitia particularis non nihil magis exponenda,quæ est virtus hominem tam in rerum distributione, quàm in commutatione,contractibus, delictis, injuriis sedulò informans; quomodo quis in rebus externis ita se gerat, ne sibi plus justò tribuat, nec alteri aliquid iniquè detrahat, nec in malis tollendis mediocritatem injustè excedat; sed unicuique id tribuat, quod ei ju-

ei jure debetur; hoc est, justitia particularis consistit in permutatione rerum, & distributione præmiorum & pœnarum, justam servans æqualitatem circa contractus & delicta. Justitia hæc particularis dividitur in distributivam & commutativam, prout in superiori titulo jam exposuimus. Justitia distributiva est, quâ in distributione rerum communium singulis respectu dignitatis, personarum, & æqualitatis rerum suum justè tribuitur; quoniam distributiva justitia pertinet ad præmia, & pœnas distribuendas pro ratione & varietate meritorum & delictorum, attestante Aristotele *lib. 5. Ethicorum. c. 1. & sequenti.* Objectum hujus justitiæ sunt res externæ seu publicæ, inter plures reipubl. cives proportionaliter secundum cujuslibet merita dividendæ; quales sunt honores & præmia, quæ secundum proportionem geometricam, & non arithmeticam civibus distribuuntur, & in quantum hic, vel ille majorem, vel minorem reipubl. functionem sustinet, toties plus, vel minus indè consequatur &c. Justitia commutativa est virtus, quæ in contractibus & rerum permutatione, ut & in delictis capitalibus regulariter observatur; hinc quando quis dolo commisit homicidium, lex Cornelia in sicarios gladio animadverti jubet, nulla habita ratione personarum, plebejos pariter, & nobiles gladio promiscuè feriens &c. juxta quintum decalogi præceptum: non occides: & illud scripturæ sacræ; qui sanguinem humanum dolosè effuderit (intellige si mors indè subsequatur) ejus sanguis iterum effundetur. Hinc in pœnarum capitalium determinatione summus Legislator Deus & justi judices humani nullùm personarum respectum observãt, num sit Nobilis, vel civis, rusticus an opifex; quoniam in tali atroci casu non æquiparantur delictum & persona, sed delictum & pœna; hoc est, quantum & quale est delictum, tanta & talis debet esse pœna: sic pœna in hisce atrocioribus casibus fit secundum proportionem arithmeticam &c.

Juvenes dociliores sunt senibus *l. 37. ff. de ædilit. edict.* quia major alacritas & vigor ingenii in illis, quàm in his deprehenditur; major etiam in illis est memoria.

L*atrones* & prædones id faciunt in terra, quod faciunt in mari pyratæ, navigantium securitatem scelestè turbantes; naves pyraticæ vulgò vocantur Seeräuber-Schiff/ *auth. navigia C. de furt.*

Laudemium (vulgò Handlohn) est quinquagesima pars justi pretii, quod emphyteuta domino directo pro prædio emphyteutico emto renovato

vato solvere cogitur *l. 3 C. de jur. emphyt.* hoc est, von jeden funffzig gülden einen Gülden: sed in quibusdam Germaniæ locis receptum est, daß ein emphyteuta von jeden 20. oder 10. fl. einen gülden dem Lehnherrn gebe. Laudemium inde dicitur, quod dominus laudet, vel approbet contractum emphyteuticum. Solutio hujus laudemii fit juxta æstimationem rei emphyteuticæ, quantum tempore alienationis justè æstimatum est prædium, vel res emphyteutica. Hic in Franconia laudemium est decima pars justi pretii, ut si prædium æstimetur 500. florenis, tunc laudemium est quinquaginta florenorum &c.

Laudum est sententia arbitrorum super eo, ad quod examinandum & decidendum consensu utriusque partis litigantis sunt electi arbitri. Vox hæc barbara est, Jurisconsultis hodie usitata.

Læsio omnis quoad vitam, corpus, famam & bona in jure regulariter est prohibita; ratio est, quia hoc est contra secundum juris præceptum (neminem lædere) interdum tamen alium ex justa causa, vel prævio delicto lædere licet; sic (1) si Magistratus delinquentem per lictores vel carnificem carcere, virgis, amputatione membrorum (digitorum, manus, auris) vel capite, pro delicti qualitate puniri jusserit, eum non injustè lædit, nec in tali casu peccat; item (2) qui latronem, violentum furem, vel alium violentum aggressorem defensionis causa vulnerat, vel necat, non injustè lædit, nec peccat. *l. 1. pr. & l. 16. ff. de pœn.* Hic nota, quod læsio consistat vel in factis, vel in verbis. Factis lædimus (1) alterius vitam, unde oritur homicidium, (2) alterius corpus, ut adulterio, vel (3) alterius bona, ut per furtum, vel alia damna illata. Sed verbis lædimus alterius famam, ut effusis injuriis &c.

Læsio ultra dimidium justi pretii in contractu emptionis & aliis contractibus non permittitur; ratio est, quia est contra charitatem proximi & contra conscientiam. Ergo quoties quis ignorans præter spem & intentionem in contractu emptionis ultra dimidium ejus, quod dedit, læditur, tunc rescinditur contractus *l. 2. C. de resc. vendit.* e. gr. si emptor rem, quæ 100. thaleris justè valet, ultra ducentos emit; vel si venditor rem, quæ 200. valet, infra centum thaleros vendiderit: hic in talibus casibus lædentis arbitrio committitur, num rescissâ venditione rem restituere malit, vel eandem retinere, ita ut suppleat, quod justo pretio deest, ne læso detur ansa, de gravissima illa læsione publicè conquerendi.

Legatus

Legatus est persona publica qualificata, mandatis specialiter instructa, ad Imperatorem, Regem vel Principem aut rempl. negotii publici causa solenniter missa ab eo, qui potestatem legandi Legatos jure habet *l. 1. §. 2. ff. de muner. & bonor.* Causa efficiens Legati est is, qui jura Majestatis habet, quoniam jus & autoritas mittendi Legatos meritò inter regalia refertur. Objectum sivè materia legationis & Legatorum sunt negotia publica. Forma consistit in mandato specialiter in scriptis concesso, ubi mandans Legato suo literas credentiales (quas communiter instructiones&commendatitias vocant)offerre & dare solet, (vulgò creditiv-schreiben.) ut juxta eas modum in negotio publico forment,& exequantur. Mandata hæc Legatis concessa in genere solent esse duplicia, vel (1) definita & restricta ad certam & specialem agendi formam accommodata, vel (2) indefinita, liberam & plenam potestatem negotii publici expediendi Legato reservantia, ut Legatus pro circumstantiarum & negotiorum qualitate juxta prudentiam suam quidvis in Principalis sui favorem & promotionem liberè agere possit. Finis ob quem Legati mittuntur, est salus & tranquillitas reipubl.

Legati ad comitia nomine Principalis sui venientes, tenentur nomina sua apud Electorem Moguntinum, ceu Imperii Romano-Germanici Cancellarium statim Profiteri, ac mandatorum suorum documenta eidem exhibere, pro habilitandis personis; quoniam omissis his ad comitia non admittuntur.

Legatus Legantis locum præcisè non obtinet, ac si ipse principalis mittens esset præsens, cujus personam repræsentat Legatus; ob eam rationem Legati Electorum in comitiis præcisè non occupant principalium suorum locum, sed Elector præsens absentis Electoris Legato semper præfertur; quia Legati Electorum ob alienam, & non propriam dignitatem semper ultimum inter Electores locum consequuntur: præferuntur tamen aliis Principibus, quia hi ex secunda saltem classe sunt. In ipsis etiam comitiis Imperatoris Caroli V. Legatus fratri suo Ferdinando ob præsentiam est postpositus. Sic etiam Rex Galliæ non cedit Legato Cæsaris, licet cedat Cæsari, teste Goldasto.

Legatorum securitas religiosè observanda est. Ergo qui Legatum hostium injustè pulsat, contra jus Gentium facit; ratio est, quia Legati ubique terrarum (intellige, ad quos mittuntur) habentur sancti, *l. fin. ff. de leg.* & quidem ob rerum publicarum necessitatem & utilita-

U u tem,

tem, ut de negotio pacis, induciarum, vel fœderis ineundi commoda detur occasio inter dissidentes per Legatos conferendi, colloquendi, & per consequens bellum componendi, animosque irritatos plenè conciliandi. Ea de causa Legatus quoque vocatur vox Regum, lingua salutis, fœderis orator, pacis via, terminus iræ, semen amicitiæ, belli fuga, litibus hostis. Quod si verò Legatus per aliorum terras invito regionis domino, puta Rege vel Principe transit, dum ad ejus hostem ire intendit, vel aliquid hostile machinatur, jure vinciri & occidi potest. Hinc si Legatus in alieno territorio malitiosè & atrociter delinquat, in eum justè animadverti potest, *l. 24. ff. de judic.* attamen in ejusmodi casu magnâ prudentia opus est, ne Majestas supremi Principis, à quo Legatus est missus, temerè violetur, indeque multum mali & dissidii oriatur. Legatus Gallicè vocatur Ambassadeur, & Italicè Ambasciatore, quem si absolutus Princeps ad alium Principem mittit, vocatur Legatus ein Gesandter; Si verò eum ad subditos suos mittat, vocatur Commissarius. Legatus in lingua Gallicâ egregiè describitur; celuy qui est eleu par le Prince pour aller vers autres Princes, representer sa personne, & y traiter les affaires, plus par les forces d'un bon entendement, & celles du bien dire, que non a main armee, si le cas luy eschap: & aussi pour observer les actions & deportemens de celuy, ou ceux, vers lesquels ils est envoié, pour joué dignement sa personnage en un theatre, ou il' y a tant d' yeux claire voyans.

Legatum est donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda; ubi duo subjecta relativum & correlativum probè consideranda sunt. Subjectum relativum, nim. qui legare potest, est is, qui jus habet testamenti condendi. Subjectum correlativum, cui legari potest, est is, qui in testamento heres institui potest. Cæterùm ut videas, quomodo testamentum à legato differat, paucis percipe. Testamentum est modus acquirendi universalis, quo res universæ, sivè tota hereditas acquiritur. Legatum verò est modus acquirendi particularis, quo res singulares acquiruntur: ea de causa heres ex testamento fit universalis successor, & legatarius fit saltem particularis successor, qui in certas saltem particulares res succedit; legata enim sunt testamentorum appendices, *l. 36. ff. de legat. 2.* Causa efficiens legati est benigna testatoris voluntas, *l. 1. C. commum. de legat.* Causa impulsiva ratione diversarum personarum est diversa; nam in personis sanguine conjunctis est ipsa necessitudo & propinquitas,

l.25. ff. de liber. & posth. hered. instit. sed in extraneis est aliquod legatarii meritum, quod legantem commovit ad donandum legatario aliquid, *l.9. ff. pro socio.* Materia circa quam versantur legata, sunt res & facta honesta, & legatario utilia *§. 21. Inst. de legat.* Forma legati est, ut legatum relinquatur verbis directis, & quidem vel in testamento, vel ab intestato, si id saltem solenniter fiat coram 5. testibus, quoniam cuilibet sanæ mentis liberum est, quovis modo alteri aliquid legare, si id fiat in præsentia 5. testium; *l.22. C. de fideicommiss.* & purè & in diem, & sub conditione legare quis potest, *l. ult. C. de codicill.* Finis legati est, ut benignè fiat legatario, in quem utilitatem & lucrum aliquod confert legans sivè testator, *l. 9. ff. pro soc.* quia legatum est titulus lucrativus; ideo etiam vocatur donatio, *§. 1. Inst. de legat.* Effectus legati est, quod statim à morte testatoris dominium in legatarium per juris fictionem immediatè transeat, *l.66. ff. de furt.* ideo ad legatum post mortem testatoris tantò facilius consequendum, legatario triplex datur actio, (1) est actio personalis, quæ ex jure ad rem ex quasi contractu illi competit; heres enim adeundo hereditatem se tacitè obligat legatariis & creditoribus *§. 5. Inst. de obligat. ex quasi contractu.* (2) est rei vindicatio, quæ illi ex dominio rei legatæ competit, *l.23. ff. de rei vindicat.* & (3) est actio hypothecaria, ex jure hypothecæ; quoniam legatarius pignus tacitum & legale habet in omnibus defuncti bonis, etiam in ipsa re legata, *§.2. Inst. de legat. & l. 1. C. commun. de legat.*

Legatum quomodo exspirat? Resp. cessante causa finali ipsius legati, ipsum legatum cessat, & exspirat; quia causa finalis in legatis tacitam in se continet conditionem, quâ deficiente extinguitur legatum, & ad heredes redit, *l. 75. pr. ff. ad SCtum Trebell.* e. gr. si testator in suo testamento juveni studiorum causâ legaret mille imperiales, & juvenis legatarius postea non vult amplius excolere studia, cessat legatum, quia causa finalis & tacita conditio cessat, nim. *si studia excoluerit.* item si testator juveni mille legaret ad certam virginem ducendam in uxorem, quam juvenis postea ducere non vult, quo casu exspirat legatum, *l.2. C. de his, quæ sub modo.*

Legatum quod sub conditione legatur, id non statim debetur, & per consequens ante conditionis eventum peti nequit, *l. 41. ff. de condit. & demonstrat.* Ratio est, quia conditio nihil ponit in esse ante conditionis impletionem.

Lege Cornelia tenetur, qui causam mortis præbuit directè, immediatè, doloque malo, *l. 15. & l. 7. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Secus est, si ex culpa, vel indirectè, remoto dolo, *d. l. 7.* quo casu delinquens mitius punitur. Verùm sicuti culpa est varia, nimirum triplex, lata, levis & levissima, ita etiam variè committitur; ob id Judex prudens non uniformem semper pœnam delinquentibus dictitat; culpa enim lata majorem pœnam, quàm culpa levis, & hæc graviorem pœnam, quàm culpa levissima exigit; ratio est, quia pœna delicto semper commensuranda est, ne judex quid durius, aut remissius constituat in pœnis infligendis, quàm causa delicti deposcit, *l. 11. ff. de pœn. cap. 5. vers. illud autem de pœnis in 6to. & caus. 24. q. 1. can. 21.* Sic ob incendium parvum levissimâ, vel levi tantum culpâ commissum, delinquens mulctâ pecuniaria, vel carceris pœnâ afficitur, prout Judici æquum videbitur. Si verò ex lata culpa incendium magnum excitaverit, relegationis vel fustigationis pœnam meritò patitur, *l. 3. §. 1. ff. de offic. Præfect. vigil.* hanc quoque pœnam sustinuit auriga quidam Lipsiæ, qui in stabulo hospitii ob ebrietatem candelam negligenter custodiens, magnum excitavit incendium. Contra, ob incendium dolosum pœna mortis habet locum, & damni illati restitutio &c.

Leges debent ad conditionem rerum humanarum & ad statum reipubl. geniumque populi accommodari, quia omnes leges à summis potestatibus ad utilitatem & salutem reipubl. conduntur, ut pax & tranquillitas inter cives conservetur; ideò pulchrè dicit Imperator *in Novell. 111. pr.* quod medicamenta morbis, hoc jura sivè leges præstant negotiis humanis ad tollenda mala, cum omnium legum & juris finis sit justitia, ut suum cuique tribuatur, & ut omnibus in republica tranquillè vivere liceat. Primis quidem mundi temporibus neque leges certæ, neque imperium ullum erat constitutum; quia tunc temporis non magna hominum erat multitudo, nec malitia hominum tam magna, & per consequens delicta non erant frequentia. Ast crescente hominum multitudine & malitiâ, crescere cœperunt delicta; ideo legibus, imperio, & Magistratibus opus erat, ad mala hæc compescenda & refrænanda.

Leges in republ. benè constitutâ non facilè mutandæ sunt, ob varia pericula indè emergentia; ratio est, quia legum correctio mutationem morum introducere solet, & mutatio morum gignit subitam quandam novitatem, quæ novitas rempublicam miserè movere & perturba-

turbare solet, *Aristotele teste.* Ideo correctio vel mutatio legum non facilè & temerè, sed ob evidentem saltem reipublicæ utilitatem fieri debet, *l. 2. ff. de constit. Princip.*

Leges generaliter feruntur; ratio est, quia leges ob infinitam casuum diversorum multitudinem ita scribi non possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderunt, in iis specialiter comprehendantur; sed sufficit, ut ea, quæ plerumque accidunt, in illis tantùm contineantur, *l. 19 ff. de legib.* quod enim semel, vel bis accidit, Legislatores regulariter prætereunt; interdum tamen leges etiam de iis, quæ rarò accidunt, agunt, ut de insula in mari nata, (quod rarò accidit) quæ fit occupantis; insula verò in flumine nata, (quod frequenter accidit) eorum est, qui propè ripam prædia possident, *§. 22. Inst. de rer. divis.*

Leges regulariter obligant omnes subditos, *l. 2. ff. de legib.* pro tempore tamen etiam peregrinos obligant, quamdiu ibi versantur; ratio est, quia peregrini & advenæ, quamdiu sunt in alicujus Principis regione & territorio, tamdiù se peregrinæ reipublicæ legibus conformare debent, *c. quæ contra mores distinct. 8.* nam si peregrini in aliorum republica existentes ad legum obedientiam non obligarentur, tunc tranquillitas reipublicæ conservari non posset: ob id JCti dicunt, quod finis legum intermedius sit justitiæ conservatio, & finis ultimus sit salus publica.

Leges universales ferre est solius Majestatis: nemo enim potest legem propriâ autoritate condere, nisi Majestatem sive supremam potestatem in sua republica vel regno habeat: sic Imperator in toto Imperio Romano-Germanico adhibitis imperii Statibus leges condit, & Rex in regno, & Optimates in Aristocratia, & populus in statu democratico, ut in Belgio, Helvetia, &c.

Leges & legiones (sive arma) sunt duo brachia mundi, quæ duo sibi invicem mutua opera præstare debent; quoniam arma sine legibus non possunt esse tuta, *l. 3. & t. t. ff. de re milit.* neque leges sine armis possunt esse salvæ, *l. 68. ff. de rei vind.* Hæc duo fuerunt maxima Romanorum fulcra, & incrementa, quibus totum terrarum orbem sibi subjecerunt, armis constringendo eum, & legibus conservando; sine legibus enim nulla stare, vel florere potest respublica. Ideò dicit Justinianus in procemio Institutionum: Imperatoriam Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus tàm bellorum, quàm pacis

rectè gubernari possit; quoniam legibus non minus, quàm armis defenditur, & conservatur respublica, *l. 14. C. de Advocat. diverſ. judic.* imò leges in ipsa arma imperium habent, *Novell. 25. cap. 5.* dum leges regunt, & arma leges tuentur. Ergò cedant arma togæ. Hinc S. Augustinus regna absque legibus & justitiâ vocat magna latrocinia. Attamen ante diluvium DEUS non aliud populorum regimen constituit, quàm conscientiæ judicium; neque alias leges tulit, quàm solam rationem, ceu actionum humanarum normam, eamque hominum cordibus inscripsit, ut ex lumine naturæ discrimen honestorum & turpium piè observarent.

Legis Aquiliæ actio est actio in personam, debitum ex damno, injuriâ, sive culpa ortum persequens; inde patet, quod damnum ab animali irrationali domestico per lasciviam datum vindicetur actione si quadrupes pauperiem fecisse dicatur: ast si damnum ab homine libero, dolo vel culpâ sit datum, vindicatur lege Aquilia, *l. 1. pr. ff. de leg. Aquil.* Hæc lex à Tribuno plebis Aquilio lata est, *dict. l. 1. §. 1.* Subjectum relativum hujus actionis cui competat, competit domino rei, cui damnum injuriâ fuit datum, *l. 2. pr. ff. h. t.* Subjectum correlativum contra quem competat actio, competit contra eum, qui corpore suo in corpus dedit damnum, *l. 51. & 56. ff. h. t.* Effectus actionis ad quid competat hæc actio, ad præstandam damni illati æstimationem.

Legis autoritas plurimum valet. Hinc non exemplis, sed legibus judicandum est, *l. 13. ff. de sentent. & interlocut. omnium judic.* quia potior legum ratio, quàm exemplorum est habenda. Ergò si quis dixerit, quia pater tuus, vel Sacerdos hoc facit, idcircò idem tibi facere licet; negatur consequentia; ratio est, quia patris vel Sacerdotis exemplum potest esse tale, ut naturalis æquitas, vel lex, aut sana ratio tibi contrarium suadeant: cum illi ut homines errare vel peccare possint. Ea de causa JCtus Celsus à patris sui sententia licitè recessit, *l. 3. ff. de condict. cauſ. data.* Ob id rectè dicit Imperator in *l. 12. ff. de offic. Præsid.* non spectandum est, quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat.

Legis virtus est imperare, vetare, permittere, & punire, *l. 7. ff. de legib.* hoc est, leges eo fine sunt latæ, ut (1) imperent sive jubeant, quæ sint facienda, ut subditi honestè, piè, justè, & quietè in republica vivant, (2) ut vetent, quæ sint omittenda, ut subditi vitia & crimina sub acerbissimarum pœnarum minis in reipublicæ tranquillitatem,

tem, & omnium proborum civium salutem pro viribus fugiant; (3) ut permittant indifferentia, quæ nec propriè virtus, nec vitium sunt, sed ea absque ullo crimine agere licet, dum moralem turpitudinem non contineant. Sic licet interesse nuptiis, cum virginibus saltare, (si modò palpationes & oscula libidinis incitamenta omittantur) res suas pro arbitrio vendere, condere testamentum, inire matrimonium, &c. (4) ut puniantur contumaces, & delinquentes, ne eorum excessus trahantur in exemplum, sicq; pessimè perturbetur reipubl. tranquillitas cum gravissima proborum civium læsione, *l. 13. ff. de offic. Præsid.*

Legitima in hæreditate vocatur ea portio, quam parentes jure naturæ debent suis liberis, intellige tempore mortis; ratio est, quia à patre vivo liberi non possunt petere legitimam; nec vice versa parentes à liberis adhuc superstitibus legitimam petere possunt: hæc legitima liberis regulariter debita pro numero liberorum est diversa. Si pauciores quàm 4. sint liberi, legitima hodiè est triens, sive tertia pars hæreditatis: (olim fuit saltem quadrans.) si liberi sint plures, legitima eorum est semis sive sex unciarum, (hoc est, dimidia hereditatis pars) e. gr. pater testator in bonis habet 12. millia florenorum, & duos habet filios, legitima ipsis debita est 4. millium florenorum, quo casu quilibet accipit duo millia, *Novell. 18. auth. novissima. C. de inoffic. testam.* de reliquis suis bonis liberè disponere potest, num ea liberis, vel aliis relinquere velit, &c. Ast si idem testator habuisset 6. liberos, quilibet accepisset mille, quia plures quàm 4. liberi accipiunt semissem, sive dimidiam hereditatis partem. Ex opposito, legitima parentum nunquam est semis, sed semper triens, quia nemo plures, quàm duos parentes habere potest. Si liberis vel parentibus in testamento legitima absque justa causa non relinquatur, possunt testamentum per querelam inofficiosi testamenti impugnare, vide *t. ff. de inoffic. testam. in Medulla mea Justinianea ad ff. Parisiis anno 1666. impressa.* Fratres & sorores legitimam tunc demum prætendere possunt, si demortuus frater personam turpem instituerit heredem, *§. 1. Inst. de inoffic. testam.*

Legitimatio est legis actio, quâ liberi naturales (à concubina nati) efficiuntur legitimi. Hinc legitimatio per subsequens matrimonium reddit filios legitimos. Ubi tamen sciendum, quamvis legitimatione vulnera natalium consolidentur, remanet nihilominus cicatrix antecedentis noxæ.

Leno-

Lenocinium est delictum nefarium, quo quis ex publicis scortationibus, adulteriis, vel stupris sibi quæstum sordidè facit, dum meretrices, uxores, vel virgines quæstûs gratiâ ad illicitum venereum actum malitiosè adducit. Justinianus Imp. ut maximus castitatis patronus, & lenonum acerrimus osor, lenones scorta sordidè & impiè alentes ultimo supplicio affici jussit, *Novell. 14. c. 1.* ut hoc lenocinii malum è republ. Romana tollere posset: nam si non essent lenones, nec tot adulteria & stupra committi possent; sicuti tot latrones in republ. existere non possent, si nulli forent latronum receptatores, apud quos in aliorum fraudem latere possent.

Lex in genere alia est Divina, alia humana. Illa DEUM immediatè habet autorem; hæc mediatè hominem habet autorem; lex Divina iterum est duplex, (1) nata, & (2) lata. Lex Divina nata dicitur propriè lex, sive jus naturæ; ast lex Divina lata est triplex, *Deut. 6. vers. 1.* (1) est lex moralis, (2) ceremonialis, & (3) lex forensis. Lex Divina lata moralis est lex universalis, omnes omninò homines in conscientia obligans, quæ est præceptum de moribus hominum, immutabilem DEI voluntatem & immotam æternæ justitiæ regulam continens, omnesque homines sine discrimine obligans, ut piè, justè, & sobriè vivant, *Exod. 20. Deuter. 17.* Hæc lex in prima creatione mentibus hominum à DEO est inscripta, & longè post in Decalogo à Moise repetita, ac specialius declarata: lex enim moralis cum lege naturæ & dictamine rectæ rationis consentit, *canon. 1. distinct. 1. & Rom. 2. vers. 14.* Consistit principaliter in DEI cultu, parentum reverentia, & dilectione proximi, *d. c. 17.* Lex Divina lata ceremonialis est præceptum de ceremoniis & ritibus circa cultum divinum, *Levitic. c. 1. & seq.* quæ nos hodiè non obligat, sed Judæos. Lex Divina forensis sive judicialis est præceptum de regimine politiæ Judaicæ, de forma actionum civilium & judiciorum in eadem politia; lex hæc forensis partim inservit legi morali, & eatenus hodiè nos obligat; partim inservit ceremoniali, & eatenus nos non obligat, sed per Christi Salvatoris nostri adventû est sublata. Ultimæ duæ legis Divinæ species, puta, ceremonialis & forensis, leges saltem positivæ, & non naturales vel morales sunt, quas Judæi in omnibus & per omnia adhuc strictè observare volunt.

Lex omnis continet commune præceptum, omnes subditos in conscientia obligans, *l. 1. ff. de legib.* lex enim suâ naturâ est generalis, *l. 3. §. 5. ff. de sepulch. viol.* & est omnium actionum humanarum mens-

mensura & norma, juxta quam quilibet actiones suas rectè formare, & instituere debet, ne peccet. Ideò etiam lex vocatur regula justi & injusti, præceptrix faciendorum, (quæ bona sunt) & prohibitrix non faciendorum, (quæ mala sunt) *l. 2. ff. d. t.* hinc lex imperat justa, vetat injusta, sive mala, & contumaces & delinquentes punit, *l. 7. ff. ibid.* Eo quoque respectu lex vocatur Magistratus mutus; contrà, ipse Magistratus vocatur lex loquens; quia jurare cogitur, se secundum leges justitiam administrare, & imperare velle. Hic nota, Cornelius à Lapide in Sacris Literis collegit 218. præcepta affirmativa, quot sunt membra in corpore humano; & 365. præcepta negativa, quot dies sunt in anno. Illa jussit DEUS fieri, hæc verò jussit omitti.

Lex à quonam fertur? Resp. nemo potest condere legem universalem, nisi supremam in republica habeat potestatem, hoc est, Majestatem, *l. fin. C. de legib.* Sed leges particulares & statuta possunt civitates, collegia, & alii sibi condere, salvis tamen legibus universalibus; quoniam leges particulares sive statuta non sunt ejus potestatis & autoritatis, ut legem universalem corrigant, vel tollant.

Lex in omnibus negotiis humanis est observanda. Ergò quæcunque negotia, contractus, testamenta, legata &c. fiunt contra leges, habentur irrita & nulla; quia Imperator Justinianus in *l. 5. C. de legibus* dicit, nullum pactum, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.

Lex naturæ plurimum in hominibus operatur, dum mentem humanam quasi informat, eamq; per regulas quasdam generales rectè dirigit, & per idonea præcepta ad obedientiam suo modo cogit. Hinc qui naturæ legem probè semper observat, DEUM habet sibi faventem; qui verò eam contemnit, vel negligit, eundem sibi habet infestum, quia talis delinquens culpæ reus est, seque à peccato mortali excusare nequit. Ergò à Magistratu justè puniuntur delicta societatem humanam violantia: cum Magistratus ad salutem reipublicæ conservandam sit constitutus: sic virtutum & vitiorum curam habere debet, illas amplectendo & fovendo, hæc supprimendo & exstirpando.

Lex est tutum actionum humanarum præsidium, in quo quilibet bonus se meritò fundare debet: ideò erubescimus absque lege loqui, *Novell. 18. c. 5.* ratio est, quia nihil sine juris authoritate temerè

Xx est asse-

mulier Romæ, quæ quinque liberos simul peperit, *l. 36. ff. de solution.* quamvis talis casus sit rarissimus, nec exoptandus, sufficit unum nasci.

Liberi legitimati per subsequens matrimonium per omnia legitimis comparantur, *l. 11. C. de natural. liber. Novell. 89.* ratio est, quia matrimonium subsequens purgat omne vitium antecedens, & retrahitur ad tempus conceptionis, & nativitatis liberorum naturalium, & proinde habetur, ac si tunc matrimonium fuisset contractum, *can. 6. X. qui filii sunt legitimi.* Idem statuendum est de liberis extra matrimonium conceptis, & in matrimonio natis, qui per omnia habentur legitimi, quod fit favore matrimonii subsecuti; quia præsumitur in tali casu consensus matrimonii concubitum præcessisse, *d. l. 11.* ut hoc remedio partus in matrimonio demùm existens, omni modo conservetur illæsus, quod ex thoro legitimo & honestis parentibus sit natus. Sed legitimati per rescriptum Principis legitimis per omnia non comparantur, quia cum legitimis ad hæreditatem non admittuntur; verùm tunc demùm ad hæreditatem ab intestato veniunt, quando nulli liberi ex legitimo matrimonio existunt: attamen legitimatio hæc tollit maculam, ex illegitimo parentum coitu antea contractam.

Libertas inæstimabilis res est, *l. 106. ff. de reg. jur.* ideò dicit Sallustius, quod libertatem nemo bonus, nisi cum anima simul amittat. Hic nota, libertas in genere est duplex, (1) rerum, & (2) personarum. Libertas rerum, ut ædium illarum, quæ nulli serviunt, *l. 90. ff. de verb. signif.* est æstimabilis; quia servitutes rerum æstimationem recipiunt, *l. 12. ff. de pign. & hypothec.* ast libertas personarum est inæstimabilis.

Libertas hominibus competens secundum juris regulas examinanda, & formanda est; ne sit vaga, illicita, vel turpis sine ullo honestatis vinculo, sed potius ad legum & juris præscriptum moderanda est; ne facta hominum injustè lædant pietatem, existimationem, verecundiam & conscientiam; sintque contra bonos mores, *l. 15. ff. de condit. instit.* nam quamvis hominibus liberis quidvis facere liceat, (intellige, quæ honesta, justa, vel indifferentia sunt) ea tamen libertatis restrictione & temperamento, ne quid turpe in se contineat; legum enim servitus est maxima ingenuorum hominum libertas. Hinc meritò damnamus regulam, *(quod libet, licet,)* à brutalibus & indomitis affectibus dependentem: loco hujus pessimæ regulæ substitui-

stituimus tria universalia juris principia (1) honestè vivere, (2) alterum non lædere, & (3) suum cuique tribuere. §. 3. *Inst. de just. & jur.* Juxta hæc tria, ceu virtutis & justitiæ normam debemus omnes nostras actiones formare & examinare, summâque ope niti, ne in ullo datâ operâ contra hæc universalia rationis præcepta temerè peccemus; sic DEO grati, reipublicæ & patriæ obedientes, proximo nostro utiles, & nobis ipsis salutares undique inveniemur. Ergo non licet homini ratione naturalis facultatis sibi concessæ adulteria, stupra, homicidia, furta, injurias & damna impunè committere; cum hæc insana & effrænis libertas sit contra pietatem, & bonos mores, ac ad totius societatis humanæ eversionem tendat. Probè hic notandum, quod judicii humani libertatem labefactent affectus corrupti, quales sunt ira, odium, metus, inimicitiæ, & imprimis nimia sui, suorumque charitas. Ergo sicuti judicium est lumen intellectus, ita amor sui est ejusdem intellectus misera caligo &c. Hinc asserit Aristoteles, quod non solum virtutes (h. e. benè agere) sed etiam vitia (hoc est, malè agere) sint in hominis libero arbitrio & potestate; prout ex duobus sequentibus argumentis patet, (1) quorum causæ & principia sunt in hominis arbitrio & potestate, ea ipsa quoque sunt in ejus arbitrio & potestate. Sed actionum tam bonarum, quàm malarum, ex quibus habitus virtutum & vitiorum generantur, causæ & principia sunt in hominis arbitrio & potestate. Ergò & ipsæ virtutes & vitia sunt in hominis arbitrio & potestate. Minor probatur, quia in actionibus duo præcipuè considerantur, nimirum finis & media, quibus ad finem pervenitur: hæc autem utraque voluntati & electioni hominis ita sunt subjecta, ut finem possit velle, vel non velle: media quoque eligere, vel non eligere. Ergo si penes hominem est, ea, quæ honesta sunt velle, eligere, & agere; etiam penes ipsum erit, ea non velle, non eligere, & non agere. Atqui honesta non velle, non eligere, neque agere, nihil aliud est, quam esse malum & improbum. Ex quo efficitur, quod utrumque sit penes hominem, nimirum ut pro suo arbitrio possit bonus vel malus, probus vel improbus esse. Secundum argumentum sumitur â fine legum & facto legumlatorum: vis argumenti consistit in subsequentibus. Si virtutes & vitia, hoc est, benè vel malè agere, non sunt in hominis arbitrio & potestate, utique frustra feruntur leges; quarum finis est, homines exhortari ad virtutes, & dehortari â vitiis: injustè etiam bonis sivè virtuosis præmia & honores, & malis sive delin-

tem, ut de negotio pacis, induciarum, vel fœderis ineundi commoda detur occasio inter dissidentes per Legatos conferendi, colloquendi, & per consequens bellum componendi, animosque irritatos plenè conciliandi. Ea de causa Legatus quoque vocatur vox Regum, lingua salutis, fœderis orator, pacis via, terminus iræ, semen amicitiæ, belli fuga, litibus hostis. Quod si verò Legatus per aliorum terras invito regionis domino, puta Rege vel Principe transit, dum ad ejus hostem ire intendit, vel aliquid hostile machinatur, jure vinciri & occidi potest. Hinc si Legatus in alieno territorio malitiosè & atrociter delinquat, in eum justè animadverti potest, *l. 24. ff. de judic.* attamen in ejusmodi casu magnâ prudentia opus est, ne Majestas supremi Principis, à quo Legatus est missus, temerè violetur, indeque multum mali & dissidii oriatur. Legatus Gallicè vocatur Ambassadeur, & Italicè Ambasciatore, quem si absolutus Princeps ad alium Principem mittit, vocatur Legatus ein Gesandter; Si verò eum ad subditos suos mittat, vocatur Commissarius. Legatus in lingua Gallicâ egregiè describitur; celuy qui est eleu par le Prince pour aller vers autres Princes, representer sa personne, & y traiter les affaires, plus par les forces d'un bon entendement, & celles du bien dire, que non a main armee, si le cas luy eschap: & aussi pour observer les actions & deportemens de celuy, ou ceux, vers lesquels ils est envoié, pour joué dignement sa personnage en un theatre, ou il' y a tant d' yeûx claire voyans.

Legatum est donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda; ubi duo subjecta relativum & correlativum probè consideranda sunt. Subjectum relativum, nim. qui legare potest, est is, qui jus habet testamenti condendi. Subjectum correlativum, cui legari potest, est is, qui in testamento heres institui potest. Cæterùm ut videas, quomodo testamentum à legato differat, paucis percipe. Testamentum est modus acquirendi universalis, quo res universæ, sivè tota hereditas acquiritur. Legatum verò est modus acquirendi particularis, quo res singulares acquiruntur: ea de causa heres ex testamento fit universalis successor, & legatarius fit saltem particularis successor, qui in certas saltem particulares res succedit; legata enim sunt testamentorum appendices, *l. 36. ff. de legat. 2.* Causa efficiens legati est benigna testatoris voluntas, *l. 1. C. commun. de legat.* Causa impulsiva ratione diversarum personarum est diversa; nam in personis sanguine conjunctis est ipsa necessitudo & propinquitas,

l.25.ff. de liber. & posth. hered. instit. sed in extraneis est aliquod legatarii meritum, quod legantem commovit ad donandum legatario aliquid, *l.9.ff. pro socio.* Materia circa quam versantur legata, sunt res & facta honesta, & legatario utilia *§.21. Inst. de legat.* Forma legati est, ut legatum relinquatur verbis directis, & quidem vel in testamento, vel ab intestato, si id saltem solenniter fiat coram 5. testibus, quoniam cuilibet sanæ mentis liberum est, quovis modo alteri aliquid legare, si id fiat in præsentia 5. testium; *l.22.C. de fideicommiss.* & purè & in diem, & sub conditione legare quis potest, *l. ult. C. de codicill.* Finis legati est, ut benignè fiat legatario, in quem utilitatem & lucrum aliquod confert legans sivè testator, *l.9. ff. pro soc.* quia legatum est titulus lucrativus; ideo etiam vocatur donatio, *§.1. Inst. de legat.* Effectus legati est, quod statim à morte testatoris dominium in legatarium per Juris fictionem immediatè transeat, *l.66. ff. de furt.* ideo ad legatum post mortem testatoris tantò facilius consequendum, legatario triplex datur actio, (1) est actio personalis, quæ ex jure ad rem ex quasi contractu illi competit; heres enim adeundo hereditatem se tacitè obligat legatariis & creditoribus *§.5. Inst. de obligat. ex quasi contractu.* (2) est rei vindicatio, quæ illi ex dominio rei legatæ competit, *l.23.ff. de rei vindicat.* & (3) est actio hypothecaria, ex jure hypothecæ; quoniam legatarius pignus tacitum & legale habet in omnibus defuncti bonis, etiam in ipsa re legata, *§.2.Inst. de legat. & l.1. C.commun. de legat.*

Legatum quomodo exspirat? Resp. cessante causa finali ipsius legati, ipsum legatum cessat, & exspirat; quia causa finalis in legatis tacitam in se continet conditionem, quâ deficiente extinguitur legatum, & ad heredes redit, *l.75.pr.ff. ad SCtum Trebell.* e. gr. si testator in suo testamento juveni studiorum causa legaret mille imperiales, & juvenis legatarius postea non vult amplius excolere studia, cessat legatum, quia causa finalis & tacita conditio cessat, nim. *si studia excoluerit.* item si testator juveni mille legaret ad certam virginem ducendam in uxorem, quam juvenis postea ducere non vult, quo casu exspirat legatum, *l.2. C. de his, quæ sub modo.*

Legatum quod sub conditione legatur, id non statim debetur, & per consequens ante conditionis eventum peti nequit, *l. 41. ff. de condit. & demonstrat.* Ratio est, quia conditio nihil ponit in esse ante conditionis impletionem.

Lege Cornelia tenetur, qui causam mortis præbuit directè, immediatè, doloque malo, *l.15.* & *l.7.ff.ad L.Cornel. de sicar.* Secus est, si ex culpa, vel indirectè, remoto dolo, *d. l. 7.* quo casu delinquens mitius punitur. Verùm sicuti culpa est varia, nimirum triplex, lata, levis & levissima, ita etiam variè committitur; ob id Judex prudens non uniformem semper pœnam delinquentibus dictitat; culpa enim lata majorem pœnam, quàm culpa levis, & hæc graviorem pœnam, quàm culpa levissima exigit; ratio est, quia pœna delicto semper commensuranda est, ne judex quid durius, aut remissius constituat in pœnis infligendis, quàm causa delicti deposcit, *l. 11. ff. de pœn. cap. 5. vers. illud autem de pœnis in 6to.* & *caus. 24. q. 1. can. 21.* Sic ob incendium parvum levissimâ, vel levi tantum culpâ commissum, delinquens mulctâ pecuniaria, vel carceris pœnâ afficitur, prout Judici æquum videbitur. Si verò ex lata culpa incendium magnum excitaverit, relegationis vel fustigationis pœnam meritò patitur, *l.3.§.1.ff. de offic. Præfect. vigil.* hanc quoque pœnam sustinuit auriga quidam Lipsiæ, qui in stabulo hospitii ob ebrietatem candelam negligenter custodiens, magnum excitavit incendium. Contra, ob incendium dolosum pœna mortis habet locum, & damni illati restitutio &c.

Leges debent ad conditionem rerum humanarum & ad statum reipubl. geniumque populi accommodari, quia omnes leges à summis potestatibus ad utilitatem & salutem reipubl. conduntur, ut pax & tranquillitas inter cives conservetur; ideò pulchrè dicit Imperator *in Novell. 111. pr.* quod medicamenta morbis, hoc jura sivè leges præstant negotiis humanis ad tollenda mala, cum omnium legum & juris finis sit justitia, ut suum cuique tribuatur, & ut omnibus in republica tranquillè vivere liceat. Primis quidem mundi temporibus neque leges certæ, neque imperium ullum erat constitutum; quia tunc temporis non magna hominum erat multitudo, nec malitia hominum tam magna, & per consequens delicta non erant frequentia. Ast crescente hominum multitudine & malitiâ, crescere cœperunt delicta; ideo legibus, imperio, & Magistratibus opus erat, ad mala hæc compescenda & refrænanda.

Leges in republ. benè constitutâ non facilè mutandæ sunt, ob varia pericula indè emergentia; ratio est, quia legum correctio mutationem morum introducere solet, & mutatio morum gignit subitam quandam novitatem, quæ novitas rempublicam miserè movere & perturba-

turbare solet, *Aristotele teste*. Ideo correctio vel mutatio legum non facilè & temerè, sed ob evidentem saltem reipublicæ utilitatem fieri debet, *l. 2. ff. de constit. Princip.*

Leges generaliter feruntur; ratio est, quia leges ob infinitam casuum diversorum multitudinem ita scribi non possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderunt, in iis specialiter comprehendantur; sed sufficit, ut ea, quæ plerumque accidunt, in illis tantùm contineantur, *l. 19 ff. de legib.* quod enim semel, vel bis accidit, Legislatores regulariter prætereunt; interdum tamen leges etiam de iis, quæ raro accidunt, agunt, ut de insula in mari nata, (quod raro accidit) quæ fit occupantis; insula verò in flumine nata, (quod frequenter accidit) eorum est, qui propè ripam prædia possident, *§. 22. Inst. de rer. divis.*

Leges regulariter obligant omnes subditos, *l. 2. ff. de legib.* pro tempore tamen etiam peregrinos obligant, quamdiu ibi versantur; ratio est, quia peregrini & advenæ, quamdiu sunt in alicujus Principis regione & territorio, tamdiù se peregrinæ reipublicæ legibus conformare debent, *c. quæ contra mores distinct. 8.* nam si peregrini in aliorum republica existentes ad legum obedientiam non obligarentur, tunc tranquillitas reipublicæ conservari non posset: ob id JCti dicunt, quod finis legum intermedius sit justitiæ conservatio, & finis ultimus sit salus publica.

Leges universales ferre est solius Majestatis: nemo enim potest legem propriâ autoritate condere, nisi Majestatem sive supremam potestatem in sua republica vel regno habeat: sic Imperator in toto Imperio Romano-Germanico adhibitis imperii Statibus leges condit, & Rex in regno, & Optimates in Aristocratia, & populus in statu democratico, ut in Belgio, Helvetia, &c.

Leges & legiones (sive arma) sunt duo brachia mundi, quæ duo sibi invicem mutua opera præstare debent; quoniam arma sine legibus non possunt esse tuta, *l. 3. & t. t. ff. de re milit.* neque leges sine armis possunt esse salvæ, *l. 68. ff. de rei vind.* Hæc duo fuerunt maxima Romanorum fulcra, & incrementa, quibus totum terrarum orbem sibi subjecerunt, armis constringendo eum, & legibus conservando; sine legibus enim nulla stare, vel florere potest respublica. Ideò dicit Justinianus in prooemio Institutionum: Imperatoriam Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus tàm bellorum, quàm pacis

rectè gubernari possit; quoniam legibus non minus, quàm armis defenditur, & conservatur respublica, *l. 14. C. de Advocat. divers. judic.* imò leges in ipsa arma imperium habent, *Novell. 25. cap. 5.* dum leges regunt, & arma leges tuentur. Ergò cedant arma togæ. Hinc S. Augustinus regna absque legibus & justitiâ vocat magna latrocinia. Attamen ante diluvium DEUS non aliud populorum regimen constituit, quàm conscientiæ judicium; neque alias leges tulit, quàm solam rationem, ceu actionum humanarum normam, eamque hominum cordibus inscripsit, ut ex lumine naturæ discrimen honestorum & turpium piè observarent.

Legis Aquiliæ actio est actio in personam, debitum ex damno, injuriâ, sive culpa ortum persequens; inde patet, quod damnum ab animali irrationali domestico per lasciviam datum vindicetur actione si quadrupes pauperiem fecisse dicatur: ast si damnum ab homine libero, dolo vel culpâ sit datum, vindicatur lege Aquilia, *l. 1. pr. ff. de leg. Aquil.* Hæc lex à Tribuno plebis Aquilio lata est, *dict. l. 1. §. 1.* Subjectum relativum hujus actionis cui competat, competit domino rei, cui damnum injuriâ fuit datum, *l. 2. pr. ff. h. t.* Subjectum correlativum contra quem competat actio, competit contra eum, qui corpore suo in corpus dedit damnum, *l. 51. & 56. ff. h. t.* Effectus actionis ad quid competat hæc actio, ad præstandam damni illati æstimationem.

Legis autoritas plurimum valet. Hinc non exemplis, sed legibus judicandum est, *l. 13. ff. de sentent. & interlocut. omnium judic.* quia potior legum ratio, quàm exemplorum est habenda. Ergò si quis dixerit, quia pater tuus, vel Sacerdos hoc facit, idcircò idem tibi facere licet; negatur consequentia; ratio est, quia patris vel Sacerdotis exemplum potest esse tale, ut naturalis æquitas, vel lex, aut sana ratio tibi contrarium suadeant: cum illi ut homines errare vel peccare possint. Ea de causa JCtus Celsus à patris sui sententia licitè recessit, *l. 3. ff. de condict. caus. data.* Ob id rectè dicit Imperator in *l. 12. ff. de offic. Præsid.* non spectandum est, quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat.

Legis virtus est imperare, vetare, permittere, & punire, *l. 7. ff. de legib.* hoc est, leges eo fine sunt latæ, ut (1) imperent sive jubeant, quæ sint facienda, ut subditi honestè, piè, justè, & quietè in republica vivant, (2) ut vetent, quæ sint omittenda, ut subditi vitia & crimina sub acerbissimarum pœnarum minis in reipublicæ tranquillitatem,

tem, & omnium proborum civium salutem pro viribus fugiant; (3) ut permittant indifferentia, quæ nec propriè virtus, nec vitium sunt, sed ea absque ullo crimine agere licet, dum moralem turpitudinem non contineant. Sic licet interesse nuptiis, cum virginibus saltare, (si modò palpationes & oscula libidinis incitamenta omittantur) res suas pro arbitrio vendere, condere testamentum, inire matrimonium, &c. (4) ut puniantur contumaces, & delinquentes, ne eorum excessus trahantur in exemplum, sicq; pessimè perturbetur reipubl. tranquillitas cum gravissima proborum civium læsione, *l. 13. ff. de offic. Præsid.*

Legitima in hæreditate vocatur ea portio, quam parentes jure naturæ debent suis liberis, intellige tempore mortis; ratio est, quia à patre vivo liberi non possunt petere legitimam; nec vice versa parentes à liberis adhuc superstitibus legitimam petere possunt: hæc legitima liberis regulariter debita pro numero liberorum est diversa. Si pauciores quàm 4. sint liberi, legitima hodiè est triens, sive tertia pars hæreditatis: (olim fuit saltem quadrans.) si liberi sint plures, legitima eorum est semis sive sex unciarum, (hoc est, dimidia hereditatis pars) e. gr. pater testator in bonis habet 12. millia florenorum, & duos habet filios, legitima ipsis debita est 4. millium florenorum, quo casu quilibet accipit duo millia, *Novell. 18. auth. novissima, C. de inoffic. testam.* de reliquis suis bonis liberè disponere potest, num ea liberis, vel aliis relinquere velit, &c. Ast si idem testator habuisset 6. liberos, quilibet accepisset mille, quia plures quàm 4. liberi accipiunt semissem, sive dimidiam hereditatis partem. Ex opposito, legitima parentum nunquam est semis, sed semper triens, quia nemo plures, quàm duos parentes habere potest. Si liberis vel parentibus in testamento legitima absque justa causa non relinquatur, possunt testamentum per querelam inofficiosi testamenti impugnare, vide *t. ff. de inoffic. testam. in Medulla mea Justinianea ad ff. Parisiis anno 1666. impressa.* Fratres & sorores legitimam tunc demum prætendere possunt, si demortuus frater personam turpem instituerit heredem, *§. 1. Inst. de inoffic. testam.*

Legitimatio est legis actio, quâ liberi naturales (à concubina nati) efficiuntur legitimi. Hinc legitimatio per subsequens matrimonium reddit filios legitimos. Ubi tamen sciendum, quamvis legitimatione vulnera natalium consolidentur, remanet nihilominus cicatrix antecedentis noxæ.

Leno-

Lenocinium est delictum nefarium, quo quis ex publicis scortationibus, adulteriis, vel stupris sibi quæstum sordidè facit, dum meretrices, uxores, vel virgines quæstûs gratiâ ad illicitum venereum actum malitiosè adducit. Justinianus Imp. ut maximus castitatis patronus, & lenonum acerrimus osor, lenones scorta sordidè & impiè alentes ultimo supplicio affici jussit, *Novell. 14. c. 1.* ut hoc lenocinii malum è republ. Romana tollere posset: nam si non essent lenones, nec tot adulteria & stupra committi possent; sicuti tot latrones in republ. existere non possent, si nulli forent latronum receptatores, apud quos in aliorum fraudem latere possent.

Lex in genere alia est Divina, alia humana. Illa DEUM immediatè habet autorem; hæc mediatè hominem habet autorem; lex Divina iterum est duplex, (1) nata, & (2) lata. Lex Divina nata dicitur propriè lex, sive jus naturæ; ast lex Divina lata est triplex, *Deut. 6. vers. 1.* (1) est lex moralis, (2) ceremonialis, & (3) lex forensis. Lex Divina lata moralis est lex universalis, omnes omninò homines in conscientia obligans, quæ est præceptum de moribus hominum, immutabilem DEI voluntatem & immotam æternæ justitiæ regulam continens, omnesque homines sine discrimine obligans, ut piè, justè, & sobriè vivant, *Exod. 20. Deuter. 17.* Hæc lex in prima creatione mentibus hominum à DEO est inscripta, & longè post in Decalogo à Moise repetita, ac specialius declarata: lex enim moralis cum lege naturæ & dictamine rectæ rationis consentit, *canon. 1. distinct. 1. & Rom. 2. vers. 14.* Consistit principaliter in DEI cultu, parentum reverentia, & dilectione proximi, *d. c. 17.* Lex Divina lata ceremonialis est præceptum de ceremoniis & ritibus circa cultum divinum, *Levitic. c. 1. & seq.* quæ nos hodiè non obligat, sed Judæos. Lex Divina forensis sive judicialis est præceptum de regimine politiæ Judaicæ, de forma actionum civilium & judiciorum in eadem politia; lex hæc forensis partim inservit legi morali, & eatenus hodiè nos obligat; partim inservit ceremoniali, & eatenus nos non obligat, sed per Christi Salvatoris nostri adventū est sublata, Ultimæ duæ legis Divinæ species, puta, ceremonialis & forensis, leges saltem positivæ, & non naturales vel morales sunt, quas Judæi in omnibus & per omnia adhuc strictè observare volunt.

Lex omnis continet commune præceptum, omnes subditos in conscientia obligans, *l. 1. ff. de legib.* lex enim suâ naturâ est generalis, *l. 3. §. 5. ff. de sepulcb. viol.* & est omnium actionum humanarum mens-

mensura & norma, juxta quam quilibet actiones suas rectè formare, & instituere debet, ne peccet. Ideò etiam lex vocatur regula justi & injusti, præceptrix faciendorum, (quæ bona sunt) & prohibitrix non faciendorum, (quæ mala sunt) *l. 2. ff. d. t.* hinc lex imperat justa, vetat injusta, sive mala, & contumaces & delinquentes punit, *l. 7. ff. ibid.* Eo quoque respectu lex vocatur Magistratus mutus; contrà, ipse Magistratus vocatur lex loquens; quia jurare cogitur, se secundum leges justitiam administrare, & imperare velle. Hic nota, Cornelius à Lapide in Sacris Literis collegit 218. præcepta affirmativa, quot sunt membra in corpore humano; & 365. præcepta negativa, quot dies sunt in anno. Illa jussit DEUS fieri, hæc verò jussit omitti.

Lex à quonam fertur? Resp. nemo potest condere legem universalem, nisi supremam in republica habeat potestatem, hoc est, Majestatem, *l. fin. C. de legib.* Sed leges particulares & statuta possunt civitates, collegia, & alii sibi condere, salvis tamen legibus universalibus; quoniam leges particulares sive statuta non sunt ejus potestatis & autoritatis, ut legem universalem corrigant, vel tollant.

Lex in omnibus negotiis humanis est observanda. Ergò quæcunque negotia, contractus, testamenta, legata &c. fiunt contra leges, habentur irrita & nulla; quia Imperator Justinianus in *l. 5. C. de legibus* dicit, nullum pactum, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.

Lex naturæ plurimum in hominibus operatur, dum mentem humanam quasi informat, eamq; per regulas quasdam generales rectè dirigit, & per idonea præcepta ad obedientiam suo modo cogit. Hinc qui naturæ legem probè semper observat, DEUM habet sibi faventem; qui verò eam contemnit, vel negligit, eundem sibi habet infestum, quia talis delinquens culpæ reus est, seque à peccato mortali excusare nequit. Ergò à Magistratu justè puniuntur delicta societatem humanam violantia: cum Magistratus ad salutem reipublicæ conservandam sit constitutus: sic virtutum & vitiorum curam habere debet, illas amplectendo & fovendo, hæc supprimendo & exstirpando.

Lex est tutum actionum humanarum præsidium, in quo quilibet bonus se meritò fundare debet: ideò erubescimus absque lege loqui, *Novell. 18. c. 5.* ratio est, quia nihil sine juris authoritate temerè

est afferendum. Excipe casus, quoties naturalis ratio allegatur, nulla legum allegatione opus est, cum ratio naturalis sufficiat.

Lex plurimum autoritatis habet. Ergò à legis verbis regulariter non est recedendum, *l. 69. ff. de legat. 3.* Excipe, nisi manifestum sit, loquentem aliud sensisse, & à verborum significatione propria recessisse; ratio est, quia mens dicentis prior & potentior est, quàm vox *l. 7. §. fin. ff. de supell. legat.* iniquum etiam foret, ut actus (sive verba) agentium deberent ultra vel contra eorum intentionem operari.

Lex falcidia minuit legata, ne testator ultra dodrantem (sive novem uncias) hæreditatis suæ in testamento legare possit, ut hæredibus quarta pars hæreditatis maneat salva. Causa efficiens hujus legis est Tribunus plebis Falcidius Rom. anno Christi 712. Causa impulsiva est lex 12. tabb. cujus dispositione liberum erat, totum patrimonium legatis exhaurire; undè olim sæpè accidebat, ut hæredes ob nullum, vel exiguum lucrum hæreditatem adire recusarent, sicque ultimæ defunctorum voluntates perirent; ideò nimia illa legandi libertas in favorem testatorum, hæredum & legatariorum à Tribuno plebis Falcidio coarctata est, *pr. Inst. ad leg. Falcid.* Causa finalis est, ut hæres ob hæreditatis commodum ad hæreditatem adeundam invitetur, dum ultra dodrantem hæreditatis onerari non possit, *l. 1. ff. ad leg. Falcid.*

Lex Regia quando lata est? Resp. initio Urbis Romæ Reges omnem habuerunt potestatem, *l. 2. §. 14. ff. de orig. jur.* tunc temporis nullæ erant leges scriptæ, vel latæ, *Tacito teste*, sed Regum placita habebantur pro lege, omniaque manu Regia gubernabantur. Exactis autem Regibus populus Romanus Majestatem habuit, idcircò etiam à Consulibus ad populum erat provocatio; nam Consules R. injussu populi Romani in caput civis Rom. animadvertere non poterant, hoc est, non poterant civem Rom. capitaliter punire, sivè ultimo supplicio afficere, *l. 2. §. 16. ff. ibid.* Tanta tunc temporis erat populi Rom. libertas & autoritas; ast successu temporis, cum ob ingruentia bella civilia & perturbatum reipublicæ Romanæ statum populus coactus fuit, eligere sibi Principem Augustum, cui omnem potestatem & jus dedit, *d. l. 2. §. 12.* sic lege Regiâ latâ populus Romanus omne imperium & potestatem privativè (non autem communicativè, nisi quatenus Augustus ex politica ratione Senatui Rom. quædam jura minora administranda gratiosè conceſſe-

cesserit, ad ambiendum eorum favorem) in Augustum transtulit, *§. 6. Inst. de jur. natur. gent. & civil.* Ergo tempore Augusti lex Regia lata est, & non tempore Regum Romanorum.

Libellus actionis (quem actor unà cum citatione principaliter Judici, & per consequentiam reo transmittere cogitur, ut se ad defendendum præparet) est brevis & ordinata scriptura, claram actoris (vel accusatoris) intentionem, causam & actionem (accusationem) complectens, & contra adversarium necessariò aliquid inferens & concludens: vel est brevis scriptura, actoris petitionem, causam, & actionem contra reum continens, *c. fin. X. de libel. oblat. l. 3 C. de edend.* Libellus debet continere (1) nomen Judicis, coram quo reus comparere debet, (2) nomen actoris & rei, (3) rem, quæ petitur, & denique (4) causam petendi, quæ in actione reali est dominium, vel quasi; & in actione personali est obligatio ex contractu, vel delicto orta. Libellus omnis juxta versum sequentem est examinandus: *Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo.* Libellus est truncus arboris judiciarii, (hoc est, fundamentum judicii) nam sicuti truncus rigat totam arborem, ita libellus rigat totum processum. Ad eum referuntur omnes actus, unde & probationum articuli ad libelli formam sunt accommodandi; sententia quoque juxta eum ferenda, *l. fin. C. de fideicommiss. libert.* Ergò si libellus omittatur, totus vitiatur processus, & declaratur nullus: libellus regulariter formatur ad instar syllogismi; nam causa petendi ponitur loco majoris; narratio facti, loco minoris, & in conclusione instituitur petitio; interdum etiam enthymemate proponitur libellus, hoc est, syllogismo imperfecto, in quo major propositio, seu justa petendi causa omittitur. Libellus debet esse dilucidus, certus & concludens, non incertus, generalis, nec alternativus, aut obscurus; cujus maxima virtus in apta petitione collocata est. Cæterùm non opus est, ut in libello exprimatur nomen actionis, sed sufficit, si factum circumstantialiter narretur, & sic concludatur; ut reo ex libello statim innotescat, quid actor petat, *l. 6. ff. de rei vindicat. & c. 6. X. de judic.* Libelli effectus sunt varii, (1) ut judicem & reum de futura lite instruat, *l. 1. pr. ff. de edend.* (2) ut judex sententiam juxta libellum ferat, *l. 18. ff. comm. divid.*

Liberi quot simul edi possunt? Resp. quinque liberi simul ex una muliere nasci possunt secundum Aristotelis mentem; rationem addit, quia vulvæ mulierum totidem receptacula habere possunt; & fuit

mulier Romæ, quæ quinque liberos simul peperit, *l. 36. ff. de solution.* quamvis talis casus sit rarissimus, nec exoptandus, sufficit unum nasci.

Liberi legitimati per subsequens matrimonium per omnia legitimis comparantur, *l. 11. C. de natural. liber. Novell. 89.* ratio est, quia matrimonium subsequens purgat omne vitium antecedens, & retrahitur ad tempus conceptionis, & nativitatis liberorum naturalium, & proinde habetur, ac si tunc matrimonium fuisset contractum, *can 6. X. qui filii sunt legitimi.* Idem statuendum est de liberis extra matrimonium conceptis, & in matrimonio natis, qui per omnia habentur legitimi, quod fit favore matrimonii subsecuti; quia præsumitur in tali casu consensus matrimonii concubitum præcessisse, *d. l. 11.* ut hoc remedio partus in matrimonio demùm existens, omni modo conservetur illæsus, quod ex thoro legitimo & honestis parentibus sit natus. Sed legitimati per rescriptum Principis legitimis per omnia non comparantur, quia cum legitimis ad hæreditatem non admittuntur; verùm tunc demùm ad hæreditatem ab intestato veniunt, quando nulli liberi ex legitimo matrimonio existunt: attamen legitimatio hæc tollit maculam, ex illegitimo parentum coitu antea contractam.

Libertas inæstimabilis res est, *l. 106. ff. de reg. jur.* ideò dicit Sallustius, quod libertatem nemo bonus, nisi cum anima simul amittat. Hic nota, libertas in genere est duplex, (1) rerum, & (2) personarum. Libertas rerum, ut ædium illarum, quæ nulli serviunt, *l. 90. ff. de verb. signif.* est æstimabilis; quia servitutes rerum æstimationem recipiunt, *l. 12. ff. de pign. & hypothec.* ast libertas personarum est inæstimabilis.

Libertas hominibus competens secundum juris regulas examinanda, & formanda est; ne sit vaga, illicita, vel turpis sine ullo honestatis vinculo, sed potius ad legum & juris præscriptum moderanda est; ne facta hominum injustè lædant pietatem, existimationem, verecundiam & conscientiam; sintque contra bonos mores, *l. 15. ff. de condit. instit.* nam quamvis hominibus liberis quidvis facere liceat, (intellige, quæ honesta, justa, vel indifferentia sunt) ea tamen libertatis restrictione & temperamento, ne quid turpe in se contineat; legum enim servitus est maxima ingenuorum hominum libertas. Hinc meritò damnamus regulam, *(quod libet, licet,)* à brutalibus & indomitis affectibus dependentem: loco hujus pessimæ regulæ substitui-

ſtituimus tria univerſalia juris principia (1) honeſtè vivere, (2) alterum non lædere, & (3) ſuum cuique tribuere. *§.3. Inſt. de juſt. & jur.* Juxta hæc tria, ceu virtutis & juſtitiæ normam debemus omnes noſtras actiones formare & examinare, ſummâque ope niti, ne in ullo datâ operâ contra hæc univerſalia rationis præcepta temerè peccemus; ſic DEO grati, reipublicæ & patriæ obedientes, proximo noſtro utiles, & nobis ipſis ſalutares undique inveniemur. Ergo non licet homini ratione naturalis facultatis ſibi conceſſæ adulteria, ſtupra, homicidia, furta, injurias & damna impunè committere; cum hæc inſana & effrænis libertas ſit contra pietatem, & bonos mores, ac ad totius ſocietatis humanæ everſionem tendat. Probè hic notandum, quod judicii humani libertatem labefactent affectus corrupti, quales ſunt ira, odium, metus, inimicitiæ, & imprimis nimia ſui, ſuorumque charitas. Ergo ſicuti judicium eſt lumen intellectus, ita amor ſui eſt ejusdem intellectus miſera caligo &c. Hinc aſſerit Ariſtoteles, quod non ſolum virtutes (h.e. benè agere) ſed etiam vitia (hoc eſt, malè agere) ſint in hominis libero arbitrio & poteſtate; prout ex duobus ſequentibus argumentis patet, (1) quorum cauſæ & principia ſunt in hominis arbitrio & poteſtate, ea ipſa quoque ſunt in ejus arbitrio & poteſtate. Sed actionum tam bonarum, quàm malarum, ex quibus habitus virtutum & vitiorum generantur, cauſæ & principia ſunt in hominis arbitrio & poteſtate. Ergò & ipſæ virtutes & vitia ſunt in hominis arbitrio & poteſtate. Minor probatur, quia in actionibus duo præcipuè conſiderantur, nimirum finis & media, quibus ad finem pervenitur: hæc autem utraque voluntati & electioni hominis ita ſunt ſubjecta, ut finem poſſit velle, vel non velle: media quoque eligere, vel non eligere. Ergo ſi penes hominem eſt, ea, quæ honeſta ſunt velle, eligere, & agere; etiam penes ipſum erit, ea non velle, non eligere, & non agere. Atqui honeſta non velle, non eligere, neque agere, nihil aliud eſt, quam eſſe malum & improbum. Ex quo efficitur, quod utrumque ſit penes hominem, nimirum ut pro ſuo arbitrio poſſit bonus vel malus, probus vel improbus eſſe. Secundum argumentum ſumitur â fine legum & facto legumlatorum: vis argumenti conſiſtit in ſubſequentibus. Si virtutes & vitia, hoc eſt, benè vel malè agere, non ſunt in hominis arbitrio & poteſtate, utique fruſtra feruntur leges; quarum finis eſt, homines exhortari ad virtutes, & dehortari â vitiis: injuſtè etiam bonis ſivè virtuoſis præmia & honores, & malis ſive delin-

quentibus pœnæ & supplicia proponuntur: quia in ipsorum arbitrio & potestate non est positum, talia agere.

Libido tam in viro, quàm in fœmina est damnanda *l. 13. ff. ad L. Jul. de adult.* attamen libido & scortatio est fœdior in fœmina, quàm in viro; ratio est, quia mulier amissâ pudicitiâ omnem virtutem amisit; sed vir hoc vitio lapsus melius vitam corrigere, famamque conservare potest. Assertum meum lex Mosaica affirmat, quæ lapidibus obrui jubet virginem, ab alio stupratam, si postea alii tanquam virgo nubat, eoque nomine publicè fuerit accusata. *Deuter. 22.* Contra, de viro, qui antè initum matrimonium scortationi fuit deditus, nihil tale reperitur dispositum; quem uxor ideo post celebratas nuptias rejicere nequit, quia is ante initum matrimonium scortatus est; nam ob hunc carnalem mariti lapsum subsequens matrimonium non dissolvitur: uxori sufficiat, si ejus maritus post fidem conjugalem datam, nihil contra votum malitiosè committat.

Licet. Non omne, quod licet, honestum est, *l. 144. ff. de R. J.* Ergò si uxor tua post divortium commissum, ex alio filiam procreaverit; hæc quidem non est privigna tua; attamen ab ejusmodi nuptiis ob publicam honestatem abstinere debemus. Sic quamvis sponsa filii nurus non sit, nec sponsa patris sit noverca, nihilominus ab ejusmodi nuptiis abstinere decet, *§. 9. Inst. de nupt.* ratio est, quia semper in conjunctionibus (hoc est matrimoniis) non solum quid liceat considerandum est, sed & quod honestum est, *l. 197. ff. de R. J.* Hinc jus civile quidem dicit, quod, quicquid licitè sivè justè fit, pœnam non mereatur, *l. 4. C. ad. L. Jul. de adult.* Sed jus Canonicum hanc assertionem piè restringit, si nimirum id, quod justè factum est, includat non modò justitiam legalem, verùm etiam justitiam moralem, ut peccata mortalia cautè evitentur, *can. 7. X. de voto & voti redempt.* nam jus civile concubinatum licitè permittit; ast honestas, & jus Divinum & Canonicum eundem ut illicitum, & minus honestum rejiciunt. Sic etiam multa quæ humanitas, pietas, fides & justitia ab hominibus exigunt, si omittantur, sunt extra legis civilis pœnam; nemo enim propter ebrietatem, superbiam, iracundiam &c. punitur; utut DEO hæc crimina sint odio, & capitalia. Sic nulla lex civilis expressè jubet, secreta amicorum non eloqui & divulgare, vel fidem inimico præstare, &c. quæ omnia & Sacra Scriptura, & Canones maximoperè injungunt, & sanctè volunt, *Matth.*

22. v.

22. v. 36. Ex dictis apertè patet, quod omne honestum sit licitum, sed non reciprocè inferre possum, ergò omne licitum est honestum, absit.

Linea ratione cognationis computandæ est series sivè collectio personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens, & cognationes distinguens, & posteriores ab anterioribus discernens, estq; triplex. Prima linea est ascendentium, sivè parentum; secunda est descendentium sivè liberorum; & tertia est collateralis, quæ dicitur ex transverso, estque inter fratres, sorores & reliquos cognatos, *l. 1. ff. de grad. & affin.* Gradus est de proximo in proximum cognatum, vel affinem transitus.

Lis est jurgium (sivè controversia) de re quadam inter actorem & reum apud Judicem institutum.

Lites pro posse amputandæ & sopiendæ sunt: ideò Judicis officium requirit, lites celeriter examinare, & decidere, ne fiant immortales, *l. 13. C. de judic.* quia reipubl. expedit, subditos habere locupletes, quos non litibus vexare convenit; intellige, quatenus licitè fieri potest; Judex enim ordinem juris interrumpere non debet, ut causam absque prævio examine incautè, vel injustè decidat, ac veritatem causæ controversæ in innocentis præjudicium iniquè occultet. *can. 2. X. de sent. & re judicat.* Lites in causa civili finiantur intra triennium; & in causa criminali intra biennium *d. l. 13. Cod.* definita hæc tempora à litis contestatæ tempore computanda sunt. Ideo autem longiora tempora civilibus causis disceptandis constituuntur, quia earum disceptatio plerumque solet esse obscurior & difficilior. Utinam omnes causæ civiles in supremis tribunalibus intra hæc tempora, ad disceptandum satis prolixa, religiosè observarentur, multorum utique crumenis & saluti temporali melius consuleretur, ac temporis in litibus exercendis & decidendis compendium fieret.

Litigare an liceat? quæritur. Resp. viro honesto in judicio litigare licet bonorum, famæ & salutis suæ conservandæ gratia; quoniam judicium, in quo lites tractantur, est DEI ordinatio, *Deuter. 1. c. 9.* ideo cum adversario suo in judicio ob justam causam litigare permittitur, *Esai. 1. v. 17,* nam sicuti bellum ob defensionem patriæ, religionis & bonorum justè gerere licet, ita in judicio ad jura & bona sua conservanda litigare licet, cum lis in judicio nihil aliud sit, quàm bellum forense, inter actorem & reum susceptum. Ast ob levem cau-

rectè gubernari possit; quoniam legibus non minus, quàm armis defenditur, & conservatur respublica, *l. 14. C. de Advocat. diversf. judic.* imò leges in ipsa arma imperium habent, *Novell. 25. cap. 5.* dum leges regunt, & arma leges tuentur. Ergò cedant arma togæ. Hinc S. Augustinus regna absque legibus & justitiâ vocat magna latrocinia. Attamen ante diluvium DEUS non aliud populorum regimen constituit, quàm conscientiæ judicium; neque alias leges tulit, quàm solam rationem, ceu actionum humanarum normam, eamque hominum cordibus inscripsit, ut ex lumine naturæ discrimen honestorum & turpium piè observarent.

Legis Aquiliæ actio est actio in personam, debitum ex damno, injuriâ, sive culpa ortum persequens; inde patet, quod damnum ab animali irrationali domestico per lasciviam datum vindicetur actione si quadrupes pauperiem fecisse dicatur: ast si damnum ab homine libero, dolo vel culpâ sit datum, vindicatur lege Aquilia, *l. 1. pr. ff. de leg. Aquil.* Hæc lex à Tribuno plebis Aquilio lata est, *dict. l. 1. §. 1.* Subjectum relativum hujus actionis cui competat, competit domino rei, cui damnum injuriâ fuit datum, *l. 2. pr. ff. h. t.* Subjectum correlativum contra quem competat actio, competit contra eum, qui corpore suo in corpus dedit damnum, *l. 51. & 56. ff. h. t.* Effectus actionis ad quid competat hæc actio, ad præstandam damni illati æstimationem.

Legis autoritas plurimum valet. Hinc non exemplis, sed legibus judicandum est, *l. 13. ff. de sentent. & interlocut. omnium judic.* quia potior legum ratio, quàm exemplorum est habenda. Ergò si quis dixerit, quia pater tuus, vel Sacerdos hoc facit, idcircò idem tibi facere licet; negatur consequentia; ratio est, quia patris vel Sacerdotis exemplum potest esse tale, ut naturalis æquitas, vel lex, aut sana ratio tibi contrarium suadeant: cum illi ut homines errare vel peccare possint. Ea de causa JCtus Celsus à patris sui sententia licitè recessit, *l. 3. ff. de condict. caus. data.* Ob id rectè dicit Imperator in *l. 12. ff. de offic. Præsid.* non spectandum est, quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat.

Legis virtus est imperare, vetare, permittere, & punire, *l. 7. ff. de legib.* hoc est, leges eo fine sunt latæ, ut (1) imperent sive jubeant, quæ sint facienda, ut subditi honestè, piè, justè, & quietè in republica vivant, (2) ut vetent, quæ sint omittenda, ut subditi vitia & crimina sub acerbissimarum pœnarum minis in reipublicæ tranquillita-

tem,

tem, & omnium proborum civium salutem pro viribus fugiant; (3) ut permittant indifferentia, quæ nec propriè virtus, nec vitium sunt, sed ea absque ullo crimine agere licet, dum moralem turpitudinem non contineant. Sic licet interesse nuptiis, cum virginibus saltare, (si modò palpationes & oscula libidinis incitamenta omittantur) res suas pro arbitrio vendere, condere testamentum, inire matrimonium, &c. (4) ut puniantur contumaces, & delinquentes, ne eorum excessus trahantur in exemplum, sicq; pessimè perturbetur reipubl. tranquillitas cum gravissima proborum civium læsione, *l. 13. ff. de offic. Præsid.*

Legitima in hæreditate vocatur ea portio, quam parentes jure naturæ debent suis liberis, intellige tempore mortis; ratio est, quia à patre vivo liberi non possunt petere legitimam; nec vice versa parentes à liberis adhuc superstitibus legitimam petere possunt: hæc legitima liberis regulariter debita pro numero liberorum est diversa. Si pauciores quàm 4. sint liberi, legitima hodiè est triens, sive tertia pars hæreditatis: (olim fuit saltem quadrans.) si liberi sint plures, legitima eorum est semis sive sex unciarum, (hoc est, dimidia hereditatis pars) e. gr. pater testator in bonis habet 12. millia florenorum, & duos habet filios, legitima ipsis debita est 4. millium florenorum, quo casu quilibet accipit duo millia, *Novell. 18. auth. novissima. C. de inoffic. testam.* de reliquis suis bonis liberè disponere potest, num ea liberis, vel aliis relinquere velit, &c. Ast si idem testator habuisset 6. liberos, quilibet accepisset mille, quia plures quàm 4. liberi accipiunt semissem, sive dimidiam hereditatis partem. Ex opposito, legitima parentum nunquam est semis, sed semper triens, quia nemo plures, quàm duos parentes habere potest. Si liberis vel parentibus in testamento legitima absque justa causa non relinquatur, possunt testamentum per querelam inofficiosi testamenti impugnare, vide *t. ff. de inoffic. testam. in Medulla mea Justinianea ad ff. Parisiis anno 1666. impressa.* Fratres & sorores legitimam tunc demum prætendere possunt, si demortuus frater personam turpem instituerit heredem, *§. 1. Inst. de inoffic. testam.*

Legitimatio est legis actio, quâ liberi naturales (à concubina nati) efficiuntur legitimi. Hinc legitimatio per subsequens matrimonium reddit filios legitimos. Ubi tamen sciendum, quamvis legitimatione vulnera natalium consolidentur, remanet nihilominus cicatrix antecedentis noxæ.

Leno-

Lenocinium est delictum nefarium, quo quis ex publicis scortationibus, adulteriis, vel stupris sibi quæstum sordidè facit, dum meretrices, uxores, vel virgines quæstûs gratiâ ad illicitum venereum actum malitiosè adducit. Justinianus Imp. ut maximus castitatis patronus, & lenonum acerrimus osor, lenones scorta sordidè & impiè alentes ultimo supplicio affici jussit, *Novell. 14. c. 1.* ut hoc lenocinii malum è republ. Romana tollere posset: nam si non essent lenones, nec tot adulteria & stupra committi possent; sicuti tot latrones in republ. existere non possent, si nulli forent latronum receptatores, apud quos in aliorum fraudem latere possent.

Lex in genere alia est Divina, alia humana. Illa DEUM immediatè habet autorem; hæc mediatè hominem habet autorem; lex Divina iterum est duplex, (1) nata, & (2) lata. Lex Divina nata dicitur propriè lex, sive jus naturæ; ast lex Divina lata est triplex, *Deut. 6. vers. 1.* (1) est lex moralis, (2) ceremonialis, & (3) lex forensis. Lex Divina lata moralis est lex universalis, omnes omninò homines in conscientia obligans, quæ est præceptum de moribus hominum, immutabilem DEI voluntatem & immotam æternæ justitiæ regulam continens, omnesque homines sine discrimine obligans, ut piè, justè, & sobriè vivant, *Exod. 20. Deuter. 17.* Hæc lex in prima creatione mentibus hominum à DEO est inscripta, & longè post in Decalogo à Moise repetita, ac specialius declarata: lex enim moralis cum lege naturæ & dictamine rectæ rationis consentit, *canon. 1. distinct. 1. & Rom. 2. vers. 14.* Consistit principaliter in DEI cultu, parentum reverentia, & dilectione proximi, *d. c. 17.* Lex Divina lata ceremonialis est præceptum de ceremoniis & ritibus circa cultum divinum, *Levitic. c. 1. & seq.* quæ nos hodiè non obligat, sed Judæos. Lex Divina forensis sive judicialis est præceptum de regimine politiæ Judaicæ, de forma actionum civilium & judiciorum in eadem politia; lex hæc forensis partim inservit legi morali, & eatenus hodiè nos obligat; partim inservit ceremoniali, & eatenus nos non obligat, sed per Christi Salvatoris nostri adventû est sublata. Ultimæ duæ legis Divinæ species, puta, ceremonialis & forensis, leges saltem positivæ, & non naturales vel morales sunt, quas Judæi in omnibus & per omnia adhuc strictè observare volunt.

Lex omnis continet commune præceptum, omnes subditos in conscientia obligans, *l. 1. ff. de legib.* lex enim suâ naturâ est generalis, *l. 3. §. 5. ff. de sepulch. viol.* & est omnium actionum humanarum mens-

mensura & norma, juxta quam quilibet actiones suas rectè formare, & instituere debet, ne peccet. Ideò etiam lex vocatur regula justi & injusti, præceptrix faciendorum, (quæ bona sunt) & prohibitrix non faciendorum, (quæ mala sunt) *l. 2. ff. d. t.* hinc lex imperat justa, vetat injusta, sive mala, & contumaces & delinquentes punit, *l. 7. ff. ibid.* Eo quoque respectu lex vocatur Magistratus mutus; contrà, ipse Magistratus vocatur lex loquens; quia jurare cogitur, se secundum leges justitiam administrare, & imperare velle. Hic nota, Cornelius à Lapide in Sacris Literis collegit 218. præcepta affirmativa, quot sunt membra in corpore humano; & 365. præcepta negativa, quot dies sunt in anno. Illa jussit DEUS fieri, hæc verò jussit omitti.

Lex à quonam fertur? Resp. nemo potest condere legem universalem, nisi supremam in republica habeat potestatem, hoc est, Majestatem, *l. fin. C. de legib.* Sed leges particulares & statuta possunt civitates, collegia, & alii sibi condere, salvis tamen legibus universalibus; quoniam leges particulares sive statuta non sunt ejus potestatis & autoritatis, ut legem universalem corrigant, vel tollant.

Lex in omnibus negotiis humanis est observanda. Ergò quæcunque negotia, contractus, testamenta, legata &c. fiunt contra leges, habentur irrita & nulla; quia Imperator Justinianus in *l. 5. C. de legibus* dicit, nullum pactum, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.

Lex naturæ plurimum in hominibus operatur, dum mentem humanam quasi informat, eamq; per regulas quasdam generales rectè dirigit, & per idonea præcepta ad obedientiam suo modo cogit. Hinc qui naturæ legem probè semper observat, DEUM habet sibi faventem; qui verò eam contemnit, vel negligit, eundem sibi habet infestum, quia talis delinquens culpæ reus est, seque à peccato mortali excusare nequit. Ergò à Magistratu justè puniuntur delicta societatem humanam violantia: cum Magistratus ad salutem reipublicæ conservandam sit constitutus: sic virtutum & vitiorum curam habere debet, illas amplectendo & fovendo, hæc supprimendo & exstirpando.

Lex est tutum actionum humanarum præsidium, in quo quilibet bonus se meritò fundare debet: ideò erubescimus absque lege loqui, *Novell. 18. c. 5.* ratio est, quia nihil sine juris authoritate temerè

est afferendum. Excipe casus, quoties naturalis ratio allegatur, nulla legum allegatione opus est, cum ratio naturalis sufficiat.

Lex plurimum autoritatis habet. Ergò à legis verbis regulariter non est recedendum, *l. 69. ff. de legat. 3.* Excipe, nisi manifestum sit, loquentem aliud sensisse, & à verborum significatione propria recessisse; ratio est, quia mens dicentis prior & potentior est, quàm vox *l. 7. § fin. ff. de supell. legat.* iniquum etiam foret, ut actus (sive verba) agentium deberent ultra vel contra eorum intentionem operari.

Lex falcidia minuit legata, ne testator ultra dodrantem (sive novem uncias) hæreditatis suæ in testamento legare possit, ut hæredibus quarta pars hæreditatis maneat salva. Causa efficiens hujus legis est Tribunus plebis Falcidius Rom. anno Christi 712. Causa impulsiva est lex 12. tabb. cujus dispositione liberum erat, totum patrimonium legatis exhaurire; undè olim sæpè accidebat, ut hæredes ob nullum, vel exiguum lucrum hæreditatem adire recusarent, sicque ultimæ defunctorum voluntates perirent; ideò nimia illa legandi libertas in favorem testatorum, hæredum & legatariorum à Tribuno plebis Falcidio coarctata est, *pr. Inst. ad leg. Falcid.* Causa finalis est, ut hæres ob hæreditatis commodum ad hæreditatem adeundam invitetur, dum ultra dodrantem hæreditatis onerari non possit, *l. 1. ff. ad leg. Falcid.*

Lex Regia quando lata est? Resp. initio Urbis Romæ Reges omnem habuerunt potestatem, *l. 2. §. 14. ff. de orig. jur.* tunc temporis nullæ erant leges scriptæ, vel latæ, *Tacito teste*, sed Regum placita habebantur pro lege, omniaque manu Regia gubernabantur. Exactis autem Regibus populus Romanus Majestatem habuit, idcircò etiam à Consulibus ad populum erat provocatio; nam Consules R. injussu populi Romani in caput civis Rom. animadvertere non poterant; hoc est, non poterant civem Rom. capitaliter punire, sivè ultimo supplicio afficere, *l. 2. §. 16. ff. ibid.* Tanta tunc temporis erat populi Rom. libertas & autoritas; ast successu temporis, cum ob ingruentia bella civilia & perturbatum reipublicæ Romanæ statum populus coactus fuit, eligere sibi Principem Augustum, cui omnem potestatem & jus dedit, *d. l. 2. §. 12.* sic lege Regiâ latâ populus Romanus omne imperium & potestatem privativè (non autem communicativè, nisi quatenus Augustus ex politica ratione Senatui Rom. quædam jura minora administranda gratiosè conces-

cesserit, ad ambiendum eorum favorem) in Augustum transtulit, *§. 6. Inst. de jur. natur. gent. & civil.* Ergo tempore Augusti lex Regia lata est, & non tempore Regum Romanorum.

Libellus actionis (quem actor unà cum citatione principaliter Judici, & per consequentiam reo transmittere cogitur, ut se ad defendendum præparet) est brevis & ordinata scriptura, claram actoris (vel accusatoris) intentionem, causam & actionem (accusationem) complectens, & contra adversarium necessariò aliquid inferens & concludens: vel est brevis scriptura, actoris petitionem, causam, & actionem contra reum continens, *c. fin. X. de libel. oblat. l. 3 C. de edend.* Libellus debet continere (1) nomen Judicis, coram quo reus comparere debet, (2) nomen actoris & rei, (3) rem, quæ petitur, & denique (4) causam petendi, quæ in actione reali est dominium, vel quasi; & in actione personali est obligatio ex contractu, vel delicto orta. Libellus omnis juxta versum sequentem est examinandus: *Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo.* Libellus est truncus arboris judiciarii, (hoc est, fundamentum judicii) nam sicuti truncus rigat totam arborem, ita libellus rigat totum processum. Ad eum referuntur omnes actus, unde & probationum articuli ad libelli formam sunt accommodandi; sententia quoque juxta eum ferenda, *l. fin. C. de fideicommiss. libert.* Ergò si libellus omittatur, totus vitiatur processus, & declaratur nullus: libellus regulariter formatur ad instar syllogismi; nam causa petendi ponitur loco majoris; narratio facti, loco minoris, & in conclusione instituitur petitio; interdum etiam enthymemate proponitur libellus, hoc est, syllogismo imperfecto, in quo major propositio, seu justa petendi causa omittitur. Libellus debet esse dilucidus, certus & concludens, non incertus, generalis, nec alternativus, aut obscurus; cujus maxima virtus in apta petitione collocata est. Cæterùm non opus est, ut in libello exprimatur nomen actionis, sed sufficit, si factum circumstantialiter narretur, & sic concludatur; ut reo ex libello statim innotescat, quid actor petat, *l. 6. ff. de rei vindicat. & c. 6. X. de judic.* Libelli effectus sunt varii, (1) ut judicem & reum de futura lite instruat, *l. 1. pr. ff. de edend.* (2) ut judex sententiam juxta libellum ferat, *l. 18. ff. comm. divid.*

Liberi quot simul edi possunt? Resp. quinque liberi simul ex una muliere nasci possunt secundum Aristotelis mentem; rationem addit, quia vulvæ mulierum totidem receptacula habere possunt; & fuit

mulier Romæ, quæ quinque liberos simul peperit, *l. 36. ff. de solution.* quamvis talis casus sit rarissimus, nec exoptandus, sufficit unum nasci.

Liberi legitimati per subsequens matrimonium per omnia legitimis comparantur, *l. 11. C. de natural. liber. Novell. 89.* ratio est, quia matrimonium subsequens purgat omne vitium antecedens, & retrahitur ad tempus conceptionis, & nativitatis liberorum naturalium, & proinde habetur, ac si tunc matrimonium fuisset contractum, *can. 6. X. qui filii sunt legitimi.* Idem statuendum est de liberis extra matrimonium conceptis, & in matrimonio natis, qui per omnia habentur legitimi, quod fit favore matrimonii subsecuti; quia præsumitur in tali casu consensus matrimonii concubitum præcessisse, *d. l. 11.* ut hoc remedio partus in matrimonio demùm existens, omni modo conservetur illæsus, quod ex thoro legitimo & honestis parentibus sit natus. Sed legitimati per rescriptum Principis legitimis per omnia non comparantur, quia cum legitimis ad hæreditatem non admittuntur; verùm tunc demùm ad hæreditatem ab intestato veniunt, quando nulli liberi ex legitimo matrimonio existunt: attamen legitimatio hæc tollit maculam, ex illegitimo parentum coitu antea contractam.

Libertas inæstimabilis res est, *l. 106. ff. de reg. jur.* ideò dicit Sallustius, quod libertatem nemo bonus, nisi cum anima simul amittat. Hic nota, libertas in genere est duplex, (1) rerum, & (2) personarum. Libertas rerum, ut ædium illarum, quæ nulli serviunt, *l. 90. ff. de verb. signif.* est æstimabilis; quia servitutes rerum æstimationem recipiunt, *l. 12. ff. de pign. & hypothec.* ast libertas personarum est inæstimabilis.

Libertas hominibus competens secundum juris regulas examinanda, & formanda est; ne sit vaga, illicita, vel turpis sine ullo honestatis vinculo, sed potius ad legum & juris præscriptum moderanda est; ne facta hominum injustè lædant pietatem, existimationem, verecundiam & conscientiam; sintque contra bonos mores, *l. 15. ff. de condit. instit.* nam quamvis hominibus liberis quidvis facere liceat, (intellige, quæ honesta, justa, vel indifferentia sunt) ea tamen libertatis restrictione & temperamento, ne quid turpe in se contineat; legum enim servitus est maxima ingenuorum hominum libertas. Hinc meritò damnamus regulam, *(quod libet, licet,)* à brutalibus & indomitis affectibus dependentem: loco hujus pessimæ regulæ substitui-

stituimus tria universalia juris principia (1) honestè vivere, (2) alterum non lædere, & (3) suum cuique tribuere. *§. 3. Inst. de just. & jur.* Juxta hæc tria, ceu virtutis & justitiæ normam debemus omnes nostras actiones formare & examinare, summâque ope niti, ne in ullo datâ operâ contra hæc universalia rationis præcepta temerè peccemus; sic DEO grati, reipublicæ & patriæ obedientes, proximo nostro utiles, & nobis ipsis salutares undique inveniemur. Ergo non licet homini ratione naturalis facultatis sibi concessæ adulteria, stupra, homicidia, furta, injurias & damna impunè committere; cum hæc insana & effrænis libertas sit contra pietatem, & bonos mores, ac ad totius societatis humanæ eversionem tendat. Probè hic notandum, quod judicii humani libertatem labefactent affectus corrupti, quales sunt ira, odium, metus, inimicitiæ, & imprimis nimia sui, suorumque charitas. Ergo sicuti judicium est lumen intellectus, ita amor sui est ejusdem intellectus misera caligo &c. Hinc asserit Aristoteles, quod non solum virtutes (h. e. benè agere) sed etiam vitia (hoc est, malè agere) sint in hominis libero arbitrio & potestate; prout ex duobus sequentibus argumentis patet, (1) quorum causæ & principia sunt in hominis arbitrio & potestate, ea ipsa quoque sunt in ejus arbitrio & potestate. Sed actionum tam bonarum, quàm malarum, ex quibus habitus virtutum & vitiorum generantur, causæ & principia sunt in hominis arbitrio & potestate. Ergò & ipsæ virtutes & vitia sunt in hominis arbitrio & potestate. Minor probatur, quia in actionibus duo præcipuè considerantur, nimirum finis & media, quibus ad finem pervenitur: hæc autem utraque voluntati & electioni hominis ita sunt subjecta, ut finem possit velle, vel non velle: media quoque eligere, vel non eligere. Ergo si penes hominem est, ea, quæ honesta sunt velle, eligere, & agere; etiam penes ipsum erit, ea non velle, non eligere, & non agere. Atqui honesta non velle, non eligere, neque agere, nihil aliud est, quam esse malum & improbum. Ex quo efficitur, quod utrumque sit penes hominem, nimirum ut pro suo arbitrio possit bonus vel malus, probus vel improbus esse. Secundum argumentum sumitur à fine legum & facto legumlatorum: vis argumenti consistit in subsequentibus. Si virtutes & vitia, hoc est, benè vel malè agere, non sunt in hominis arbitrio & potestate, utique frustra feruntur leges; quarum finis est, homines exhortari ad virtutes, & dehortari à vitiis: injustè etiam bonis sivè virtuosis præmia & honores, & malis sive delin-

 quen-

quentibus pœnæ & supplicia proponuntur: quia in ipsorum arbitrio & potestate non est positum, talia agere.

Libido tam in viro, quàm in fœmina est damnanda *l. 13. ff. ad L. Jul. de adult.* attamen libido & scortatio est fœdior in fœmina, quàm in viro; ratio est, quia mulier amissâ pudicitiâ omnem virtutem amisit; sed vir hoc vitio lapsus melius vitam corrigere, famamque conservare potest. Assertum meum lex Mosaica affirmat, quæ lapidibus obrui jubet virginem, ab alio stupratam, si postea alii tanquam virgo nubat, eoque nomine publicè fuerit accusata, *Deuter.* 22. Contra, de viro, qui antè initum matrimonium scortationi fuit deditus, nihil tale reperitur dispositum; quem uxor ideo post celebratas nuptias rejicere nequit, quia is ante initum matrimonium scortatus est; nam ob hunc carnalem mariti lapsum subsequens matrimonium non dissolvitur: uxori sufficiat, si ejus maritus post fidem conjugalem datam, nihil contra votum malitiosè committat.

Licet. Non omne, quod licet, honestum est, *l. 144. ff. de R. J.* Ergò si uxor tua post divortium commissum, ex alio filiam procreaverit; hæc quidem non est privigna tua; attamen ab ejusmodi nuptiis ob publicam honestatem abstinere debemus. Sic quamvis sponsa filii nurus non sit, nec sponsa patris sit noverca, nihilominus ab ejusmodi nuptiis abstinere decet, *§. 9. Inst. de nupt.* ratio est, quia semper in conjunctionibus (hoc est matrimoniis) non solum quid liceat considerandum est, sed & quod honestum est, *l. 197. ff. de R. J.* Hinc jus civile quidem dicit, quod, quicquid licitè sivè justè fit, pœnam non mereatur, *l. 4. C. ad. L. Jul. de adult.* Sed jus Canonicum hanc assertionem piè restringit, si nimirum id, quod justè factum est, includat non modò justitiam legalem, verùm etiam justitiam moralem, ut peccata mortalia cautè evitentur, *can. 7. X. de voto & voti redempt.* nam jus civile concubinatum licitè permittit; ast honestas, & jus Divinum & Canonicum eundem ut illicitum, & minus honestum rejiciunt. Sic etiam multa quæ humanitas, pietas, fides & justitia ab hominibus exigunt, si omittantur, sunt extra legis civilis pœnam; nemo enim propter ebrietatem, superbiam, iracundiam &c. punitur; utut DEO hæc crimina sint odio, & capitalia. Sic nulla lex civilis expressè jubet, secreta amicorum non eloqui & divulgare, vel fidem inimico præstare, &c. quæ omnia & Sacra Scriptura, & Canones maximoperè injungunt, & sanctè volunt, *Matth.* 22. v.

22. *v.36.* Ex dictis apertè patet, quod omne honestum sit licitum, sed non reciprocè inferre possum, ergò omne licitum est honestum, absit.

Linea ratione cognationis computandæ est series sivè collectio personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens, & cognationes distinguens,& posteriores ab anterioribus discernens,estq; triplex. Prima linea est ascendentium, sivè parentum; secunda est descendentium sivè liberorum;& tertia est collateralis,quæ dicitur ex transverso, estque inter fratres, sorores & reliquos cognatos, *l.1.ff.de grad. & affin.* Gradus est de proximo in proximum cognatum, vel affinem transitus.

Lis est jurgium (sivè controversia) de re quadam inter actorem & reum apud Judicem institutum.

Lites pro posse amputandæ & sopiendæ sunt: ideò Judicis officium requirit, lites celeriter examinare, & decidere, ne fiant immortales, *l.13.C. de judic.* quia reipubl. expedit, subditos habere locupletes, quos non litibus vexare convenit; intellige, quatenus licitè fieri potest; Judex enim ordinem juris interrumpere non debet,ut causam absque prævio examine incautè, vel injustè decidat, ac veritatem causæ controversæ in innocentis præjudicium iniquè occultet. *can. 2. X. de sent. & re judicat.* Lites in causa civili finiantur intra triennium; & in causa criminali intra biennium *d.l.13. Cod.* definita hæc tempora à litis contestatæ tempore computanda sunt. Ideo autem longiora tempora civilibus causis disceptandis constituuntur, quia earum disceptatio plerumque solet esse obscurior & difficilior. Utinam omnes causæ civiles in supremis tribunalibus intra hæc tempora, ad disceptandum satis prolixa, religiosè observarentur, multorum utique crumenis & saluti temporali melius consuleretur, ac temporis in litibus exercendis & decidendis compendium fieret.

Litigare an liceat? quæritur. Resp. viro honesto in judicio litigare licet bonorum, famæ & salutis suæ conservandæ gratia; quoniam judicium, in quo lites tractantur, est DEI ordinatio, *Deuter.1.c.9.* ideo cum adversario suo in judicio ob justam causam litigare permittitur, *Esai.1.v.17,* nam sicuti bellum ob defensionem patriæ, religionis & bonorum justè gerere licet, ita in judicio ad jura & bona sua conservanda litigare licet, cum lis in judicio nihil aliud sit, quàm bellum forense, inter actorem & reum susceptum. Ast ob levem

cau-

causam nimirum propter gallinam, anserem, leporem, centum ova &c. in judicio litigare turpe est; est namque muliebre de re minuta, vel minima temerè litigare; longè verò sordidius & turpius est, ob injustam causam cum alio malitiosè litigare; quoniam talis temerarius litigator conscientiam gravissimè lædit. Cæterum hîc probè notandum, quòd multa negotia humana à jure naturæ recedant, quæ meritò juxta jus naturæ & Divinum regulanda & disponenda essent, e gr. jus sivè lex naturæ exigit ab hominibus mutuum amorē & concordiam, cui nihil magis est contrarium, quàm lis & contentio, *Matth.9.v.15.* ideò etiam litigare & contendere, jurè naturæ videtur improbum; verum quia mortales per primorum parentum, puta Adami & Evæ lapsum, statum innocentiæ miserè amiserunt, & ob id variis pravis affectibus dediti sunt; ideo vitam sine lite transigere mortales non possunt: hinc de meo & tuo tot in foro lites, tot querelæ, quæ in corrupto ac malitioso hoc mundo ad ejus finem durabunt. Vah quanto animi conatu, corporis sudore, & mentis motibus miseri mortales de ansere vel gallina vindicanda, glande legenda, stillicidio avertendo, aut aliquot assibus quotannis solvendis in judicio humano instantissimè disceptare solent! quasi vera & æterna animæ salus in levibus hisce rebus consequendis primariò consisteret; en cœcitatem & insaniam mundanam! Ex opposito, cum summo animi & mentis horrore indies proh dolor experimur, quàm socordes & oscitabundi sint homines in hæreditate regni cœlorum adipiscenda, ceu vero, maximo, & incorrupto hominum thesauro, ut æternorum potius obliviscantur, quàm de iis religiosè cogitare velint. O ponderosa & periculosa, sed valdè neglecta æternitas! quoniam mortalibus res morosa & molestiis plenissima, videtur mentis oculum pro animæ salute paululum fatigare in meditationibus cœlestibus, quibus ad perpetuā animæ tranquillitatem, verum cœleste gaudium, & ad infinitam ac beatificam DEI visionem quasi manu ducuntur: verùm illos meritò vocare possumus beatos, qui remotâ Plutonis sivè dæmonis musicâ, in horribili damnatorum fletu & perpetuo dentium stridore consistente, cum omnibus Electis & Angelis in omnem æternitatem piè canere possunt, gloria in excelsis DEO &c. Expavesco amplius æternitatem & damnatorum sine fine cruciatum describere. Desistas homo peccator peccata committere, desistas temerè litigare, proximumque

odisse

odisse; & DEUS misericors te condemnare clementer supersedebit. Amen.

Litis contestatio est actus judicialis, per narrationem causæ controversæ ab actore, & responsionem rei coram judice factus *l. 1. C. de litis contest.* Hæc litis contestatio propriè dicitur negativa, aut saltem implicitè talis, quâ reus causam controversam ab actore narratam, vel simpliciter, & in totum negat, vel secundum quid; h. e. negat narrata, prout narrantur, *l. 14. §. 1. C. de judic.* quia nulla litis contestatio potest fieri absque contradictione rei, sive illa contradictio fiat absolutè, generaliter & explicitè, sive fiat secundum quid & implicitè; omnis enim litis contestatio posita est in affirmatione actoris, & in negatione rei *c. 1. X de litis contest.* Wo der Beklagter des Klägers Klage widerspricht. Priori casu contradictio fit absolutè & simpliciter; si Mævius accuset Titium homicidii, & Titius simpliciter negat, homicidium à se esse perpetratum. Posteriori casu secundum quid negat, ut, si Titius homicidium quidem fatetur; sed dicit, se id, ad corpus suum defendendum, necessitate coactum commisisse. Priori modo litem simpliciter negativè contestatur reus, sub hac formula in causa Mævii contra Titium: nego (Titius) actionem institutam esse veram; ideo peto, me ab ea cum refusione damni & expensarum absolvi, *Ordinat. Camer. part. 3. t. 13. §.* und nach dem. Posteriori modo litem secundum quid negativè contestatur reus, actionem sive accusationem secundum quid negando, e. gr. nego narrata, prout narrantur, & dico, juxta accusatoris vel actoris petita fieri non debere, petendo absolutionem cum refusione expensarum, Jch bin der Klage / wie selbige fürgebracht / nicht geständig / und sage / daß deroselben angehängte Bitte nach / nicht erkant / noch gesprochen werden soll; mit Bitte mich darvon mit Erstattung der Gerichtes-Kosten zu absolviren &c. Tutius est, ut reus, qui se quidem ex parte, non tamen absolutè purgare potest, secundum quid, & non absolutè neget; ne factum simpliciter negando, mendacii convictus, in pœnam mendacii temerè incidat, *leg. 4. Codic. ad legem Aquiliam.*

Litis contestatio est substantia judicij & litis *l. un. C. de litis contestatione*, quæ in omnibus causis & controversiis usque adeo est necessaria, ut nec à Judice, nec consensu litigantium omitti possit. Mediante hac litis contestatione actor reum in iis, super quibus litem est contestatus, in tantum ligat, ut ei à judicio incepto, inviro actore

nunquam recedere liceat, sed litis finem exspectare cogitur, *l. 30. & 34. ff. de judic.* quod si verò reus contumaciter absit, vel taceat, lis censetur contestata. Post litis contestationem actor & reus ad disputationem procedunt, quo casu inter utrumque tanquam pugnantes oritur bellum civile, (der Krieg-Rechten.) Actor propositam suam intentionem probare conatur, contra quam excipit reus, eamque elidere intendit; quoniam exceptiones reorum defendendorum gratia sunt comparatæ, *pr. Inst. de exception.* postea replicat actor, ut exceptiones oppositas resolvat, & annihilet, *pr. Inst. de replicat.* replicatio enim est exceptionis exclusio; ubi actor rei exceptiones in sua replica per evidentia & valida argumenta elidere conatur: deinde reus duplicat, ad tollendam actoris replicam; actor triplicat, & reus ultimò quadruplicat. Quod si litigatores ultra quadruplicam jura sua proponere velint, non sunt audiendi, ne lites in infinitum extendantur, quod Judex prohibere debet, *auth. jubemus in fin. C. de judic.* vel si reus in quadruplica sivè ultima propositione quid novi proponat, quo judicem in sui partem trahere possit, vel velit; illud in judicando non debet attendere Judex; ratio est, quia reus illud eo fine in quadruplica demum exposuit, vel allegavit, ut deciperet adversarium suum, cui quintuplicando ad hoc respondere non permittitur; eo enim modo actor inauditus à Judice condemnaretur, quod esset contra naturalem æquitatem. Hic porrò nota, in quibusdam judiciis & tribunalibus hodiè regulariter ultra duplicam litigantibus nihil amplius admittitur; excipe, nisi Judex ulterioribus scriptis (puta, triplicâ, vel quadruplicâ) opus esse judicaverit, ad dubia tollenda, & perplexitatem causæ controversæ planè enodandam.

Litis contestatio an propriè sit basis judicii? Resp. Quamvis citatio, sive in jus vocatio jure civili dicatur principium omnium actionum, in judicio instituendarum, *§. fin. Inst. de pœna temerè litigantium.* Judicium tamen propriè à litis contestatione demum coeptum dicitur, ea de causa litis contestatio dicitur fundamentum, basis, & lapis angularis judicii, & substantia ordinis judiciarii, *lege un. Cod. de litis contestat. can. 27. X. de offic. & potestat. judic. leg. 15. ff. rem ratam hab.* quoniam citatio in sensu proprio non est pars judicii, sed saltem judicii præparatoria; dum causa controversa ante litis contestationem in disceptationem non venit; & per consequens lis de causa controvertenda prius esse nequit, quàm res illa disceptanda

 in ju-

in judicium sit deducta, & lis contestata, tunc demum litigiosa fit, *l. 1. §. 1. de litigios.* Ideo litis contestatio propriè vocari solet litis exordium.

Locatio & conductio est contractus nominatus consensualis, qui solo consensu de re aliqua ob certam mercedem facienda, vel utenda, sivè fruenda perficitur. Hinc locare est, dare aliquid utendum vel faciendum pro certa mercede ad certum tempus. Conducere est, aliquid accipere utendum vel faciendum pro certa mercede ad præscriptum tempus, *vid. t. ff. & t. Inst. de locat.* Ex dictis patet, quod locatoris & conductoris nomina sint diversa, quæ tamen certo respectu sunt mutua, & utrumque contrahentem diverso respectu repræsentant: nam idem, qui dicitur opus faciendum locare, eo respectu locator est; quatenus verò alterius operas conducit, & pro iis dat mercedem, conductor est; sic qui locat operas, dicitur opus faciendum conduxisse: hinc dicimus, locator est dominus, qui receptâ mercede permittit, alium re suâ, vel operâ uti. Ex opposito, conductor est, qui re vel operâ alterius pro mercede solvendâ utitur. Causa efficiens locationis est consensus contrahentium de re pro certa mercede utenda, vel facienda. Materia sivè objectum locationis est duplex, (1) est usus rei cujuslibet in commercio positæ *l. 34. §. 1. ff. de contrah. empt.* sivè illa sit mobilis, sivè immobilis *l. 48. §. 1. ff. de locat.* & (2) est opera sivè factum hominis, quod honestè locari potest, e. gr. annulum fabricare, vehere onus, conficere vestimenta &c. Forma locationis consistit in consensu de rei usu ad certum tempus concedendo, vel opera personæ præstanda pro certa mercede *l. 1. & l. 14. pr. ff. h. t.* Finis est fruitio sivè communicatio rei vel operæ, ut rerum usus inter homines sine alterius contrahentis incommodo licitè communicetur pro certa mercede. Ab hoc contractu locationis differt emptio in sequentibus. (1) in emptione transfertur dominium rei emptæ in perpetuum; in locatione usus rei saltem transfertur in conductorem pro certa mercede ad certum tempus, dominio penes locatorem remanente. (2) in emptione periculum rei emptæ pertinet ad emtorem, periculum verò rei conductæ non pertinet ad conductorem, *l. 9. §. 3. ff. h. t.*

Locator & non conductor onera & tributa fundi conducti, vel ædium solvere cogitur; ratio est, quia locator propriè fruitur bonis, qui accipit pro fructibus pensionem annuam, quæ fructuum vicem

cem sustinet, *l. 38. ff. de usufruct.* qui enim pretio sivè locario rei conductæ fruitur, non minus rem habere intelligitur, quàm qui principali re utitur & fruitur, vide *l. 39. ff. dict. tit.* Ex hoc contractu duplex oritur actio, (1) est actio locati, locatori contra conductorem competens, & (2) est actio conducti, conductori competens.

Locupletari cum alterius damno est vitium morale & peccatum mortale: hinc nemo regulariter debet locupletari cum alterius damno, *l. 14. ff. de condict. indebit.* quia id jure naturæ & Divino prohibetur, dum sit contra dilectionem proximi, *l. 206. ff. de reg. jur.* prout ex vulgari æquitatis regula satis constat, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias: hoc pulchrè declarat Cicero *libr. 3. offic.* alteri, inquit, aliquid iniquè detrahere, suumque augere commodum cum alterius incommodo, magis est contra naturam, quàm ipsa mors, dolor, & paupertas; nam primò tollit convictum humanum, & secundò societatem communem; si enim ita sumus affecti, ut propter suum quisque emolumentum violet, aut spoliet alterum, disrumpi necesse est humani generis societatem, quæ maximè secundum naturam est. Ab hac regula secundum jus civile Rom. recedere licet in certis casibus, (1) recedere licet in usucapione ob reipubl. tranquillitatem, ad evitandas varias lites; ut si dominus in rebus suis custodiendis fuerit negligens, & alius rem bonâ fide per longum tempus domino tacente quietè possederit, dominium acquirit, quod ob reipublicæ salutem conceditur, ut litium aliquis sit finis, & ne dominia rerum semper sint in incerto. In hoc casu jus Canonicum cautius procedit, ad evitandum peccatum, usucapionem & præscriptionem non aliter concedendo, nisi præscribens ab initio possessionis & semper rem bonâ fide possederit; nam quod non ex fide est, peccatum est; ob id malæ fidei possessor nullo tempore, etiamsi per centum & plures annos possideret rem alterius, præscribit, *cap. ult. X. de præscript.* (2) datur recessus vel exceptio ab hac regula in exceptione non numeratæ pecuniæ; hanc exceptionem chyrographum dans creditori intra biennium continuum opponere debet, se non accepisse pecuniam; elapso autem biennio præsumtus creditor jure civili licitè locupletatur cum alterius injuria, *t. Inst. de liter. obligat.* quod fit ad lites in foro humano amputandas, & ob præsumptionem contra debitorem; nam si debitor, qui post biennii spatium demum conqueritur, se pecuniam mutuò da-

tam non accepisse, justam foveret conquerendi causam, utique in sui præjudicium tamdiu non tacuisset, sed chyrographum sibi à creditore reddendum longè citius petivisset: sibi ergò imputet, quod tamdiu ad se justè defendendum contra creditorem negligens fuerit; Judex enim semper secundum externa, hoc est, secundum acta & probata, & præsumtiones judicare solet, cum non sit scrutator cordium. Aliud ergò in foro soli, aliud in foro poli sivè conscientiæ in hisce casibus deciditur.

Ludi quidam sunt liciti, quidam illiciti sive prohibiti. Liciti ludi sunt, qui virtutis & animi recreandi causa saltem exercentur. Illiciti sunt, qui non virtutis, sed lucri causa exercentur, *l. 1. & 2. C. de aleator.* Hinc ludi alearum & chartarum jure naturali, Divino, & civili regulariter sunt prohibiti, quatenus pro lucro acquirendo instituuntur; ratio est, quia homo in ejusmodi casibus quærit, cum alterius damno, injuriâ, & jacturâ fieri locupletior, *l. 14. ff. de condict. indebit.* estque ludus talis contra charitatem proximi, quo homo sordidum lucrum captans juxta perversam mortalium cupiditatem alterius bona ludendo appetit, & contra Decalogi præcepta chartis lusoriis, vel tesseris ea, quæ sua non sunt, cum alterius damno illicitè & fervidè quærit (non concupisces.) Quanto animi fervore & contentione sæpissimè ob sordidum lucrum ludatur, quotque juramenta impiè evomantur, quot inde vulnera & cædes oriantur, experientia testatur. Sanè non est mirum, quod inter juvenes & peregrinos ex ludo lucri causa suscepto oriantur lites, juramenta & majora mala; cum nec ipsi conjuges, nec fratres, & sorores eundem ratione lucri quietè finire possint, sed murmurant, & torvis oculis se invicem stomachantes aspiciunt, præsertim illi, quibus fortuna in lusu est minus favens. Ast quatenus ludi alearum & chartarum virtutis & ingenii excitandi, vel animi recreandi causa tempestivè suscipiuntur absque lucro, eos jura licitè permittunt, cum nihil in se habeant mali, vid. *t ff. de aleatorib. in Medulla mea Justinianea Parisiis impressa anno 1666.*

Lutherus factus est Monachus Augustini ordinis anno 1505. Erfordiæ; sed anno 1517. defecit à Catholica religione Romana, relicto Monasterio. Primum contra indulgentias publicè disputavit, thesesque illas Leoni decimo Pontifici dedicavit; haud diu post Wittenbergæ reformare cœpit Ecclesiam Catholicam R. anno 1530. Confessionem Augustanam à Luthero conscriptam Carolo V.

 Impe-

Imperatori in ipsis Comitiis exhibuerunt Elector Saxoniæ, Elector Brandeburgensis, Duces Brunsvicenses, Landgravius Hassiæ, Philippus Princeps Anhaltinus, unà cum quibusdam civitatibus Imperij, ut Norimberga, &c. unde successu temporis gravissima religionis bella sunt orta; ad illa piè componenda Pontifex, Imperator, & Status Imperij varia remedia religionis diversitatem tollendi quærere conati sunt, quorum maximum ac saluberrimum censebant, ut Concilium aliquod generale liberum autore Pontifice & Imperatore constitueretur, vide *Recessum Spirensem de anno 1529. §. 1. & in Recess. Imper. de anno 1526.* Daß kein fruchtbarer besser und geschickter Mittel zu erfinden / einhellig n gleichmässigen Verstand in dem Christlichen Glauben zu machen / auch Fried und Einigkeit in Teutscher Nation zwischen allen Ständen zu pflantzen und zu erhalten / dann ein frey General Concilium, &c. Verùm discordantes Imperij Status de loco, directione Concilij, & aliis externis inter se convenire non potuerunt, dum Status imperij ad Concilium generale habendum ex civitatibus imperij Metz / Cölln / Maintz / Straßburg / unam eligere voluerunt, vid. *Recess. Imp. de anno 1529.* cui petitioni Pontifex annuere noluit; sed urbem imperij Tridentum ad pium hoc negotium feliciter perficiendum eligere voluit, reclamantibus protestantibus, vide *Recess. Imper. Spirens. de anno 1542. §. 128.* sic negotium illud toti Christianismo perquam salutare impeditum est; nam Tridenti tanquam in loco Catholico & suspecto convenire recusabant Protestantes. Hujus Concilii Tridentini initium fuit anno 1545. & finitum est anno 1563. in quo protestantium nullus comparuit, & ideò diversitas religionis per amicas collationes, colloquia & disputationes tolli non potuit; interim ut Martis furor tandem supprimeretur, pax religiosa anno 1552. Passavii ab Imperatore & omnibus Imperij Statibus tandem solennissimè est inita, & postea anno 1555. in Comitiis Augustanis feliciter confirmata; ut Imperator & reliqui Catholici Status nihil quicquam tentent contra protestantes, sive Status Augustanæ confessionis; sed iis liberum religionis exercitium permittant. Contra, nec protestantes quicquam facere debent, quod ad Catholicos opprimendos facit. Optandum foret, hæc pacta publica ubiquè semper religiosè observari, tunc nulli intuitu religionis iniquè inferreretur injuria, sed cuique pro sua conscientia illæsis suis bonis ad meliorem religionem tutò transire liceret.

Magi-

MAgistratus est abominabilis coram DEO, qui impium delinquentem absolvit, & justum iniquè condemnat, *Proverb. 17. v. 15.* ratio est, quia crimina lege Divinâ capitalia juxta DEI judicium impunè remitti non debent: impunitas enim delicti est incensivum delinquendi. Ideò dicit Ambrosius *1. officior.* qui parcit malo, is bono nocere intelligitur. Ergò si Magistratus latronem, filiorum latronis deprecatione motus, vel lachrimis conjugis latronis flexus, absolvendum putet, cui adhuc impius latrocinandi aspirat affectus, vel funditùs inhæret; nonne talis Magistratus innocentes tradit exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? &c. vide *caus. 23. quæst. 4. can. 33.* Ex hoc fundamento sequitur, quando crimen lege DEI est mortale, quod nemo mortalium delinquenti veniam justè concedere possit, vel debeat; ratio est, quia DEUS, quo nemo est superior, mortalia delicta capite plecti jubet: fiat ergò DEI voluntas, fiat, & vigeat justitia, & pereat mundus; moriatur Absolon, & vivat Israël. Quo respectu non minùs piè, quàm prudenter Chrysostomus *in cap. 5. Matth.* dixit, quod misericordia absque justitia sit fatuitas, & justitia absque misericordia sit crudelitas; Magistratus enim non frustrà gestat gladium, sed ad vindictam nocentium, *Rom. 3.* cum DEUS ipse per Moysen præceperit: auferes malum de medio tui. Attamen pœna sit temperata, ac delicto proportionata, ut delictorum punitio iniquitatis tollendæ remedium, & malorum sit medicina, non crudelitas & venenum. Eapropter Magistratui sive judici conscientiam suam non lædenti tria sequentia cum temperamento morali inesse debent, puta, prudentia, misericordia, & piè sæviens disciplina; ut in casibus atrocioribus lenitatem cum severitate prudenter misceat; ut quidem in Magistratu deprehendatur amor, sed non nimium emolliens, ad supprimendam justitiam, & delicta impunè dimittenda: sit in Magistratu rigor, sed non exasperans; sit in eo zelus, sed non immoderatè sæviens; sit pietas, sed non plus, quàm expetit, parcens, ne tum inordinata Magistratus misericordia, tum nimia ejus sævitia justitiam iniquè supprimat; *quod latius explicat distinct. 45. cap. 9.* Quando sic Magistratus lenitas in puniendis delinquentibus cum severitate temperanter miscetur, tunc nec facilitas Magistratus autoritatem, nec ejus severitas amorem in minimo juris articulo diminuit: iracundia tamen & immoderatus judicis affectus hic exulare debet, ne judex vel Magistratus justitiæ terminos illicitè ex-

tè excedendo delinquentes plus justò puniat, aut innocentes falsò ad pœnam pertrahat.

Magistratus regulariter officium suum impertiri non solet, *l. 4. §. 8. ff. de damn. infect.* sed prius rogandus est; excipe nisi salus & tranquillitas reipublicæ hoc exigat ob criminis atrocitatem; tunc ex nobili suo officio ultrò inquirit in delinquentes; quo fine dicit Imperator *in l. 13. ff. de offic. Præsid.* congruit bono & gravi Magistratui, curare, ut pacata & quieta sit provincia, quam regit; quod non difficilè obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat; nam sacrilegos, latrones, fures, & alios delinquentes conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertat, &c.

Magistratus omnis à DEO est constitutus, *Rom. 13. v. 1. & 1. Pet. 2. v. 13.* ad reprimendam malorum audaciam & malitiam, & ad tuendam proborum innocentiam; quoniam sine legum fræno domus nulla, nedum civitas, aut respublica conservari potest: imperia enim sine Magistratu sunt magna latrocinia, *teste Augustino.* Nam sicuti armenta sine pastore errabunda vagantur, sic etiam hominum societas sine Magistratu, (hoc est, sine Rege & lege) sub maxima confusione miserè vagatur & vivit, *1. Reg. 22.* quo fine S. Petrus dicit, cuivis ordinationi sive Magistratui quietè subjecti estote propter Dominum, sive is sit Rex, qui omnibus dignitate & potestate supereminet, sivè sit Præses, qui per eum mittitur, *1. Petr. 2. v. 12. & seq.* Ergò qui Magistratui sivè Superiori temerè resistit, conscientiam vulnerat, vide *Paul. ad Rom. 13. v. 5.* quoniam per DEUM Reges regnant, & Principes dominantur, *Prov. 8. v. 15.* qui brachia Regum confringit & confortat, *Ezech. 30. v. 22.* qui Regibus dat salutem, eosque pro suo beneplacito repudiat & constituit, *Psalm. 142. & Daniel. 2.* quo intuitu de se piè contestatus est Imp. Justinianus, quod imperium sibi à Majestate cœlesti sit traditum, *l. 1. C. de veter. jur. enucl.* Ex hisce fundamentis satis constat, quod imperia terrestria non à fato, (prout quidam perversi Politici impiè opinantur,) sed à DEO omnium rerum conditore ac gubernatore dependeant, à cujus Divina & omnipotente dispositione salus omnium regnorum, eorum initia, incrementa, & occasus primariò dependent.

Magistratus pro se regulariter habet præsumtionem, se nihil contra jus, fasque dolosè facere, quia est DEI minister, *Rom. 13. v. 4.* à quo est con-

est constitutus, *1. Petr. 2. v. 13.* ad refrænandam hominum malitiam, & unumquemque in justitia conservandum, ut reipublicæ tranquillitas conservetur, neminique fiat injuria. Hîc quæritur, an virtus & morum probitas in Magistratu requiratur? Resp. quod sic, juxta Augustinum *libr. 5. de civit. Dei.* non regnant, sed sæviunt, qui mali sunt. Idem Romani de Magistratu olim tulerunt judicium; hic (inquiunt) ordo vitiis careto, cæteris specimen esto, ne malum Magistratus exemplum subditos corrumpat.

Majestas in genere est summa & absoluta imperantis potestas; estquè duplex, (1) Divina, & (2) humana. Illa est æterna, & soli DEO, tanquam summo & absoluto cœli, terræque Monarchæ competit, cujus Majestatem Divinam quis lædit, dum blasphemando & exsecrando eam horrendo exemplo contumeliosè imminuere tentat; hujus pœna pro judicis arbitrio, & circumstantiarum qualitate est varia; nam interdum eam judex facit capitalem; interdum linguæ abscissionem, carcerem, relegationem, vel mulctam pecuniariam pro blasphemiæ & execrationis qualitate delinquentibus dictat Judex, &c. Ad crimen læsæ Majestatis Divinæ spectant incantationes magicæ, perjuria, blasphemiæ, &c. quæ omnia, proh dolor! Lex Julia ob corruptos mores rarò punit; quotus quisque hodiè Magistratuum tanto religionis zelo & morsu conscientiæ excitatur, ut abusum nominis Divini puniat; sed tales delinquentes insuper excusat, speciosè dicendo, illi non faciunt hoc ex proæresi, sed ex mala consuetudine; quasi peccatum mortale hîc non subesset, &c. Hæc scilicet humana & temporalis Majestas competit Imperatori in Imperio Romano, & Regibus in suis Regnis, præter DEUM & ensem neminem in hiscè terris superiorem agnoscentibus: hinc siquis subditorum Majestatem Imperatoris, vel Regis temerario ausu lædit, is non modò Imperatorem vel Regem, totamque rempublicam gravissimè lædere videtur; verum & ipsum DEUM, cujus vices in terris sustinent supereminentes hæ potestates, hoc in casu impiè offendit; quoniam Imperatoris & Regum Majestate in toto terrarum orbe nihil majus, nihilque sanctius censetur, quorum salus, autoritas & potestas subditis semper sancta & inviolabilis esse debet, *l. fin. C. de legib.* Hoc sceleratissimum læsæ Majestatis crimen toties non committitur, quoties à vulgo committi dicitur, qui interdum quaslibet injurias in crimen læsæ Majestatis temerè transmutare student; sed tunc demùm illud detestandum crimen

dicitur perpetratum, quando duo sequentia conjunctim adsunt, (1) ut quid in Imperatorem, vel rempubl. directò, (non autem per consequentiam, prout fit in reliquis delictis) hostili animo committatur, ad destruendam ejus autoritatem & salutem, &c. (2) ut hoc fiat à subdito, & non ab extraneo: idcircò crimen læsæ Majestatis in genere sic definitur, quod sit tale delictum, quo subditus aliquid contra Imperatoris, vel reipublicæ salutem, tranquillitatem & securitatem primariò hostili animo tentat, *l. 1. §. 1. ff. h. t.* Ex dictis colligi potest, hoc Majestatis crimen dupliciter committi, (1) odio in Imperatorem privato, quo quis ex subditis Imperatoris vitæ insidias impiè struit, vel eum prodere tentat, vel illum in carcerem abripere, vel vulnerare hostiliter conatur, &c. (2) committitur odio in imperium & principatum: quod crimen committunt omnes illi subditi, qui cum hostibus clandestino modo conspirant, ac rempubl. hostibus prodere, seditionem in republica excitare, vel eam planè impiâ mente & manu evertere moliuntur: hoc crimen specialiter vocatur perduellionis crimen, & qui hoc perpetrant, vocantur perduelles. Ut ut crimen læsæ Majestatis in Electores, Principes, Comites, & Consiliarios Imperatoris directè & propriè non committatur, indirectè tamen & per consequentiam ad eos quoque extenditur, *l. 5. C. ad leg. Jul. Majest.* ratio est, quia hi omnes sunt quasi pars corporis Imperatoris, à cujus persona & præsentia suum mutuant, & consequuntur splendorem, *l. un. C. de præpos. lab.* ob id injuria parti vel membro illata videtur ipsi simul corpori inusta, vid. *tit. 24. in aur. Bulla.* Hoc læsæ Majestatis crimen inter publica crimina censetur atrocissimum, quo nullum gravius & atrocius esse potest. Hîc quæritur, an etiam in imperio detur duplex Majestas, realis & personalis; illa Imperio, hæc Imperatori vel Regi competens? Resp. si in sensu verè proprio loqui velimus, tunc Majestas Imperatori saltem tribuitur, & non Imperio: quoniam vivo Imperatore vel Rege Majestas in illo residet, in quem primariò translata est, & realis majestas tunc temporis dormit: sed mortuo Imperatore expergisci, & in toto populo vivere solet.

Majestas est in civitate vel republica summa potestas, Aristoteli dicitur πολίτευμα. Hic tamen non necessariò requiritur, ut Majestas sit absoluta, ac nullis quasi rationis vel legum limitibus circumscripta vel restricta, &c. Majestas in imperio R. propriè & radicaliter est penes Imperatorem, in Regno penes Regem, in Aristocratia penes Optimates,

mates, in Politia penes populum, in Olichargia penes divites, & in Democratia penes plebem. Majestas illa in civitate vel republica ex variis potestatibus & partibus est composita. Partes Majestatis principaliores sunt regalia, sive jura Majestatis imperanti competentia, qualia sunt (1) potestas ferendi & abrogandi leges; ratio est, quia nemo potest legem generalem ferre, vel abrogare, nisi habeat Majestatem, (2) est potestas constituendi Magistratus, & ordinandi judicia, (3) est potestas recipiendi supremam provocationem sive appellationem, (4) est potestas belligerandi, (5) pacem ineundi, (6) fœdera pangendi, (7) est potestas cudendæ monetæ, (8) est potestas vectigalia imperandi, (9) potestas exigendi tributa, (10) erigendi Academias, (11) conferendi dignitates, quales sunt creare Nobiles, Barones, Comites, Principes, quales nemo nisi Cæsar in Imperio Rom. creare potest, (12) potestas convocandi Comitia; hinc dicimus, ubicunque est Majestas, ibi etiam sunt jura Majestatis, quoniam totum non potest esse sine partibus, nec Sol sine radiis.

Majestatis jura communiter vocari solent regalia, sed rectius vocantur jura Majestatis; ratio est, quia illa non tantum penes Reges, sed penes alios quoque imperantes sunt; ob id dicunt JCti, qui habet Majestatem, is etiam jura Majestatis, sive regalia habet. Hæc Majestatis jura sunt vel majora, vel minora. De his in titulo de Regalibus prolixius tracto.

Majores ætate quinam sunt? Resp. puberes usque ad vigesimum quintum ætatis annum curatores accipiunt, *pr. Inst. de curat.* ratio est, quia ante hanc ætatem majorennem ob immaturum judicium non præsumuntur benè præesse rebus suis; sed post hoc tempus completur virilis vigor, *l. 1. §. 2. ff. de minor. 25. annis.* quo tempore corpus crescere desinit, & anima rationalis se maximè exserit. Excipe, nisi citius precibus veniam ætatis à Principe impetrent minores, quam impetrare possunt masculi anno vigesimo completo, & fœminæ annum decimum octavum egressæ, *l. 2. C. de his qui veniam ætatis impetr.* tunc habentur majores & perfectæ ætatis.

Malum malo levius est. Ideò ex duobus malis imminentibus minus est eligendum, *l. 200. ff. de R. J.* intellige inevitabilibus, & in malis pœnæ, non autem in malis culpæ. Ergò nemo debet hanc regulam in pravum & iniquum sensum calumniosè detorquere, argumentando; scortatio & adulterium sunt duo mala. Ergò scortationem

ceu minus malum juveni impunè eligere licet; cum utrumque damnetur, nec sunt mala inevitabilia: juveni enim non imponitur necessitas, unum ex his malis necessariò vel inevitabiliter eligendi; sed eidem potius præscribitur moralis necessitas abstinendi à vaga & illicita venere; ne sextum DEI præceptum temerè violet, &c. Secus se res habet cum malis inevitabilibus, ex his minimum necessitate cogente est eligendum. Pono casum; si tibi navigaturo exorta tempestate vel statim pereundum, vel multæ merces Mercatorum ad levandam navim in mare essent abjiciendæ; quo casu tibi licitè datur electio abjiciendi merces, ceu minus malum ad avertendum imminens vitæ periculum, ceu maximum malum, &c. quia in tali casu proximo tuo dolosè non noces, sed necessitate coactus id facis.

Mandata Principum sunt duplicis generis, vel (1) sunt cum clausula, vel (2) sine clausula, (scil. Justificatoria.) Mandatum Principis cum clausula (justificatoria, e.gr. si preces veritate nitantur, nam mendax precator carere debet impetratis, *c. 15. & fin. X. de rescriptis)* est, quando Princeps sive Magistratus parti, contra quam datur, aliquid mandat sub pœna fieri, sed clausula justificatoria mandato annectitur, ad remittendam parendi necessitatem; si fortè res se aliter habet, quàm Principi, sivè Magistratui à mandatum petente est narrata: idcircò ei, cui mandatum mittitur, liberum est, utrum mandato parere velit, vel causam, cur parere non teneatur, in præfixo termino judicialiter allegare, &c. Mandata sine clausula (scil. justificatoria) regulariter non valent; ratio est, quia ab executione non est inchoandum, *l. 1. C. de execut. rei judic.* Ideò Princeps sivè Magistratus illa decernere, & dare non debet petentibus, nisi quid dicatur factum, quod omni juri, tàm Divino, quàm humano est prohibitum, quod nullo jure justificari potest; ideò ejusmodi mandatis sine clausula præcisè parendum est; qualia ad 4. casus referri solent, (1) quando factum aliquod jure vel consuetudine est prohibitum, ut absque causæ cognitione pœnam mereatur, nec ullo modo justificari possit, (2) si factum sit contra reipublicæ salutem, vel tranquillitatem malitiosè commissum, ut seditio, &c. (3) si factum damnum irreparabile in se contineat, & (4) si periculum sit in mora, ut in novi operis nunciatione, vid. *Ordin. Camer. part. 3. tit. 23.* in hisce enim casibus reo absolutè imponitur, mandato sine ulla exceptione strictè obedire. Decernuntur etiam man-

 data

data sine clausula de non offendendo, si justus sit læsionis metus; cessante verò necessitate vel periculo, mandata sine clausula regulariter non decernuntur, quia sunt majoris præjudicii.

Mandatarius non debet excedere fines mandati, sed præscriptam mandati formam & fines observare debet, *l. 5. ff. mandat.* Ergò quicquid ultra vel supra mandatum fecerit mandatarius, suo periculo facit. In hoc mandati negotio mandatarius cum summâ fide & industria versari debet, ut mandatum semel in se susceptum diligenter & bonâ fide impleat, *l. 22. §. fin. ff. mandat.* quod si verò mandatarius negligens fuerit, vel malè versatus sit in negotio sibi commisso, potest mandans mandatarium ad damnum illatum resarciendum convenire; qui ad præstationem levis vel levissimæ culpæ tenetur, *l. 13. C. mandat.* quanto ergò magis obligatur, si mandatarius dolum, vel latam culpam commiserit; lata autem culpa vix abest à mandati negotio, si quis contra mandatum fecerit.

Mandatum est contractus consensualis, quo alienum negotium honestum gerendum sivè expediendum alicui rogato absq; mercede specialiter committitur, *t. ff. mandat.* vel quo dominus negotium honestum bonâ fide gerendum sine mercede alteri committit, & is illud in se liberè suscipit, *l. 10. §. 7. ff h. t.* Mandatum enim suscipere est beneficium in mandantis gratiam præstandum: ob id jura statuunt, quod liberæ voluntatis sit, mandatum ab initio suscipere; ast necessitatis, susceptum consummare: nam quoties mandantis interest, negotium perfici, convertitur in necessitatem, ut mandatarius per actionem civilem mandati mandatum exequi cogatur. Mandatum est duplex, (1) judiciale, & (2) extrajudiciale. Mandatum judiciale est, quo causam controversam, cui ipsi superesse non possumus, in judicio alteri gerendam & tractandam demandamus, *l. 8. §. 1. & seq. & l. fin. ff. mandat.* Mandatum extrajudiciale est, quo negotium extra judicium expediendum alteri bonâ fide gratis committitur, *t. ff. ibid.* Mandatum est vel generale, vel speciale; illud ad totam causam dirigitur; hoc ad certum saltem judicii actum. Mandatum regulariter contrahitur triplici modo; (1) per verba inter præsentes; (2) per epistolam, & (3) per nuncium. Cæterùm nota rationem, quare mandatum debeat esse gratuitum; quia ex amicitia & officio humanitatis oritur, cui merces est contraria *l. 1. §. fin. ff. mand.* Causa efficiens mandati remota est jus gentium, proxima verò est consensus con-

trahentium, hoc est, mandantis & mandatarii *l.6.§.1.ff.h.t.* Materia circa quam sivè objectum sunt negotia honesta & licita; turpium enim rerum mandatum censetur nullum *d. l.6.* Forma mandati est, ut gratis suscipiatur. Finis est, ut quibus rebus homo ipse superesse non possit, has per amicos efficiendas curet. Effectus mandati est duplex,(1)est obligatio mutua inter mandantem & mandatarium, quæ ex parte mandatarii vult, ut is susceptum mandatum perficiat: ex parte autem mandatoris, ut indemnem servet mandatarium, ne ex suo officio afficiatur damno. Secundus effectus est actio mandati directa & contraria: illa datur mandanti contra mandatarium,hæc vice versâ mandatario contra mandantem competit.

Mandatum omne, quod contra bonos mores est,non est obligatorium, *§.1. Inst. mandat.* nam sicuti rerum turpium & illicitarum nullus potest celebrari contractus, §. *24. Inst. de inutil. stipul.* ita quoque turpium rerum nullum datur mandatum, *l. 6. & 15. ff. mandat.* Ea de causa mandatarius in delictis commissis non excusatur propter mandatum, sed punitur principaliter, mandans autem sivè dominus accessoriè, *l. 5. in fin. C. de accusat.* gravius tamen peccat mandans, quàm mandatarius in crimine homicidii, (proditionis, &c.) prout ex subsequentibus rationibus liquet; nam (1) mandans delinquit in seipsum, miserè onerando conscientiam suam maleficio per alium malitiosè perpetrato, (2) delinquit in mandatarium, quem malis suis persuasionibus ad delinquendum flagitiosè corrupit, (3) gravissimè peccat in occisum, quem è medio tolli impiè curavit,*l.169.ff.de R.J.* Contra,mandatarius saltem in seipsum & occisum deliquit; eodem tamen pœnæ genere afficiendi sunt ambo, scil. mandans & mandatarius, quia uterque habuerunt animum occidendi.

Manifestum vel notorium negotium ob rei perspicuitatem regulariter non requirit probationem; quod juxta canones verum, prout ex subsequenti regula patet: quæ manifesta & notoria sunt, non indigent probatione *caus.2. q.1. can. 15. & l.7. Cod. de accusat.* quia talia non ulteriori indigent examine, (cum nihil amplius subsit dubii) nisi quis ex abundanti rem clarius deducere,spontè velit,ut tantò sit clarior ad omnem scrupulum eximendum.

Mare jure naturæ & gentium est commune & liberum, omnibusque hominibus liberè patet, *§. 1. Inst. de rer. divis. l.3. §.1. ff. ne quid in loco publ,* ratio est, quia id ob vastitatem, vagum fluxum & exsurgen-

surgentes subinde procellas, ac vim undarum plenè occupari nequit; & per consequens dominii verè non censetur capax, *l. 2. §. 1. ff. de rer. divis. l. 13. §. fin. ff. de injur.* Scias tamen, maria interna hodiè Regum ac Principum sivè supereminentium potestatum novâ dispositione non planè esse libera, ut olim, *d. §. 1. Inst.* sed certo modo restricta, & Regum ac Principum imperio obnoxia: utrum autem maria dominio Regum & Principum verè sint subjecta, vel naturâ & jure gentium adhuc libera, de hoc negotio acerrimè inter se disputant magni nominis viri, Seldenus, & Hugo Grotius. Ille pro aris & focis contra jus R. defendere conatur, mare esse clausum; & per consequens in vero esse dominio Principum. Hic contra, instantissimè affirmat esse liberum, h. e. nulli Principum verè subjectum. Hanc litem unicâ distinctione componere potuissent, si modò distinguere voluissent inter dominium maris propriè, & latè sic dictum, hoc est, inter dominium proprietatis, & jurisdictionis supereminentis: non illud, sed hoc Regibus & Principibus territoria circa maria interna habentibus hodiè pactis, confœderationibus vel præscriptione videtur acquisitum, & quidem cum summo navigantium commodo: quoniam Reges & Principes navigantibus præstant securitatem, ne à pyratis per vim maliriosè capiantur, & injustè spolientur: sed ut commercia in maximam subditorum & totius reipubl. utilitatem tutò exerceantur ac floreant. Ideo maria interna (excepto immenso Oceano sivè externo mari, quod vulgò vocant Athlanticum) ut mare Mediterraneum, Adriaticum, Britannicum, Balticum &c. sunt hodiè in dominio latè, sivè impropriè dicto, hoc est, in dominio jurisdictionis supereminentis, non autem in vero proprietatis dominio; sic Turcarum Imperator dicitur ex parte habere jurisdictionem maris Mediterranei supereminentem, puta in mari Ægeo, Helesponto; Veneti in mari Adriatico, Rex Daniæ, Rex Sueciæ, & Elector Brandeburgensis in mari Baltico, & Britanni sivè Angli in mari Britannico &c. Ex hac supereminente maris jurisdictione vel dominio mos apud omnes fermè Europæos populos maritimos invaluit, ut navis extranea obvians navi in isto maris loco dominanti superius velum (das tob-Siegel) submittere obligetur, quo quasi alteram in eo mari dominantem salutare, ejusque imperium agnoscere cogitur; sic Belgicæ naves obviantibus navibus Britannicis in mari Britannico (im Englischen fahr-Wasser) superius velum dimittere coguntur; sin

id ro-

id recusaverint, vel neglexerint, tormentis bellicis ad id compelluntur.

Maritus est uxoris caput, dominus & Princeps familiæ *l. 196. ff. de verb. signif.* ideo marito licet uxorem petulantem, immorigeram, vel peccantem castigare, si modò fines in castigando non excedat *l. 24. §. 5. ff. de solut. matr.* ratio est, quia marito ceu familiæ rectori & domino conceditur libera potestas corrigendi & emendandi uxorem; sed sub illo temperamento morali, ne in delictis uxoris corrigendis temerè peccet. Ergo non debet correctionem suam ultra domesticam disciplinam extendere, eamque quasi in atrocitatem sivè tyrannidem injustè transvertere *l. 1. C. de emend.* Ad hoc respexit JCtus Gallus le Maistre, dum inter alia dicit: selon l' ordre de la nature la femme est sujette à son mary, ce qui eut esté dans l' estat d' innocence, & ce qui est encore depuis le peche! mais le commandement, qu' un mari à sur sa femme, n' est pas souverain, comme celuy du pere sur ses enfans: mais seulement politique, comme celuy du Magistrat sur ses citoyens, & qu' il n' y a, que les barbares (c' est a dire) ceux qui sont naturalement esclaves, qui les traitent come des esclaves: hoc latinè sic transvertitur. Juxta naturæ legem uxor mariti imperio subjecta est, quod tam in statu innocentiæ, quàm post primorum parentum lapsum semper est observatum: sed imperium illud maritale marito in uxorem competens non adeo absolutum est, quàm imperium paternum in liberos; sed est saltem politicum; sicuti illud, quod Magistratus in cives habet & exercet, quod absoluto & barbarico imperio non est simile; h. e. quod subditos suos, qui naturâ sunt mancipia, mancipiorum instar tractat.

Maritus habet jus & imperium in uxorem, ut uxor marito obedientiam & auxilium debeat *Gen. 3. c. 16.* Hic quæritur, an ergò maritus absolutum & despoticum imperium in uxorem habeat? Resp. quod non; nam licet marito competat imperium in uxorem, non tamen despoticum & herile, sed longè lenius, puta monarchicum; ubi unum caput reliquis eminenter præest: ideo hoc imperium domesticum magis suadendo, quàm despoticè & absolute jubendo exerceri debet. Hic sciendum, quod Eva in statu innocentiæ mariti imperio non fuerit obnoxia, sed in statu aristocratico vivens, æquali potestate & præstantia animi cum Adamo fuit, idem jus & potestatem in bruta animantia habendo. Ast cum Eva temerario ausu legem Dei malitiosè violavit, seque pœnæ divinæ obnoxiam reddidit, ideo

DEUS

DEUS Evæ ob lapſum & inobedientiam inter alias pœnas ſeverè injunxit, obedire marito ſuo, & liberos parere cum maximis doloribus *Geneſ. 3.* Interim tamen negari nequit, Adamum ante lapſum in ſtatu illo ariſtocratico præ Eva dignitate prævaluiſſe; ratio eſt, quia Eva ex Adami coſta eſt formata *1.Cor.11.v.8.*

Maritus & uxor habent bona indiviſa ratione poſſeſſionis & uſusfructus; ſed non ratione proprietatis, *t.ff. de jur. dot.* Hic notanda eſt Francorum conſuetudo, ubi conjuges poſt anni lapſum omnia bona ratione proprietatis inter ſe habent communia.

Maritus non poteſt ingredi monaſterium, & caſtitatem DEO vovere, niſi uxor liberè conſentiat. Ex oppoſito, nec uxor fieri poteſt Monialis abſque mariti conſenſu, *vide t. t. X. de converſione conjugatorum.* Ratio juris canonici eſt, quia neque vir, neque uxor poteſtatem ſui corporis habet, ſed alter alterius eſt debitor; *monente D. Paulo ad Corinth.* propter arctum & ſacrum conjugii vinculum. Quod ſi verò filius vel filia contra parentis conſenſum ingrediatur Monaſterium, eorum ingreſſus jure Canonico inter Catholicos Romanos valet; parentibus enim pium hoc opus impedire non licet; ob id pater juſtam exheredationis cauſam non habet, ſi filius contra patris voluntatem religioſus fiat, *l.55.& 56.C.de Epiſcop. & Cleric.*

Mater ſuos liberos non habet in poteſtate *§.10.Inſt.de adopt.* ſed ſunt in poteſtate patris, quia is regulariter judicio & animo eſt perfectior, & corpore robuſtior, quàm fœmina. Ideo magis ad regendam familiam natus eſt; ſed licet patria poteſtas ſaltem patri ut capiti familiæ attribuatur; attamen in his, quæ reverentiam, amorem, & pietatem concernunt, mater æqualis patri habetur, dum liberi utrique parenti parem debent reverentiam, & obſequium æquale, *l.4.ff.de cutator. furioſorum.* juxta quartum decalogi præceptum, honora patrem & matrem &c.

Mater ſemper eſt certa, pater verò eſt ille, quem nuptiæ demonſtrant, *l.5.ff.de injus vocando.* indè concludimus, patrem non poſſe certò certius ſibi promittere, omnes liberos ſtante matrimonio ex ſe eſſe prognatos; præſumtionem tamen pro ſe habet, ſe eſſe patrem; aſt miſerum ſolatium, in ſola credulitate & præſumtione principaliter conſiſtens; niſi quis honeſtam, caſtam & minus curioſam duxerit in uxorem; quò reſpexit Comicus Menander: ideo mater, inquit, ſobolem ardentius, quàm pater diligit, quia mater certò ſcit, ſobolem

ex se esse natam, pater opinatur tantum, & credere cogitur; imo interdum contra conscientiam fateri, filium esse suum, ne propriam alleget turpitudinem. Hinc jura dicunt, quod difficillimæ ac penè impossibilis sit probationis filiatio & nativitas legitima; nam quis patrum absolutè scire potest, filium ex se esse natum, *l. 6. ff. de his, qui sunt sui vel legitim. l. 83. ff. de condit. & demonstr.* sic ex opposito, filius non potest plenè probare, patrem suum præsumptum verè esse legitimum: unde Germanorum proverbium, quando pater interrogatur à peregrinis, an hic sit ejus filius, respondere solet, die Mutter sagets/ ich muß es glauben.

Mathematici in jure R. non dicuntur illi, qui siderum motus, eorumq; effectus verè considerant, vel Geometriam colunt, quales hodiè in Academiis reperiuntur; sed qui ex nativitatibus, & ipsa siderum observatione, atque vana manuum, vultusque inspectione futura prædicere profitentur; hos Mathematicos & aruspices semper rejecerunt JCti Romani tanquam Reipubl. & naturæ hostes ac pestes *l. 2. & l. 4. C. de malefic. & mathematic.*

Matricula in genere est scriptura publica & authentica Superiorum autoritate confecta, in qua nomina omnium in universitate vel collegio viventium solenniter annotantur. Ergo qui matriculæ inscriptus est, jus pro se habet, se esse de corpore, ut alia probatione non indigeat; sic miles, Studiosus, Civis, Notarius &c. se tales esse probare possunt, si nomina matriculæ inseri curaverint. Matricula imperii dicitur albus sive catalogus, in quo omnes Status imperii, & immediata imperii membra specialiter annotantur, ut illi juxta indictionem (germanicè den Anschlag) necessitate & salute imperii efflagitante pro modo possessionum & facultatum Cæsareo fisco certam & definitam pecuniæ summam tanquam tributum singulis mensibus solvere cogantur. *de hac materia plura invenies in fine libri.*

Matrimonium sivè conjugium vel nuptiæ sunt unius maris & fœminæ legitima & indissolubilis conjunctio, ad generis humani propagationem & mutuum vitæ adjutorium; vocatur etiam consortium omnis vitæ, ex quo utriusque fortunæ tam prosperæ, quàm adversæ communio deducitur, in tantum, ut conjuges ob morbum, furorem, vel aliud superveniens infortunium separari nullo modo possint. *l. 1. ff. de nupt. l. 8. ff. de sponsal. & l. 8. ff. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* Hic quæritur, an inter diversæ religionis homines matrimonium licitè contrahi possit? Resp. quanquam jure divino, canoni-

nonico, & civili R. ejusmodi conjunctiones matrimoniales videantur prohibitæ; prout ex subseqq. patet, (1) jure divino prohibetur, non accipies, inquit Jehova, uxorem de filiabus Cananæorum filiis tuis *Exod.34. v.16.* nec filiam tuam dabis filio Cananæi, nec filiam illius accipies filio tuo *Deut.7. v.1.* ratio prohibitionis est, quia indè facilè solet seductio subsequi, ut quis relictâ vera religione Diis alienis inserviat, unde ira Dei *d. c.7. v.4.* (2) jure Canonico prohibetur, *vid. c.16. caus.28. q.1. verba ejus sunt seqq.* non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia &c. & (3) jure civili prohibetur in *l.6.C. de judæis & cœlicol.* ast jure novissimo ob spem conversionis & tranquillitatem in Germania conservandam talia matrimonia impunè permittuntur, vide *de his recessus imperii, præsertim pacem religiosam de anno 1555. solenniter initam §.* und damit solcher Fried. in quâ Catholicis, Lutheranis, & Calvinianis non tantum matrimonia inter se promiscuè inire licet, sed ipsis absque ulla bonorum, famæ & honoris jactura ad diversas hasce religiones invicem amplectendas libertimus permittitur transitus; eo etiam fine Assessores diversæ religionis in Camera imperiali à Statibus imperii promoventur. Causa efficiens matrimonii remota est Deus, conjugii autor, qui non modò naturalem inclinationem, quâ mares & fœminæ in conjunctionem feruntur, omnibus animalibus per naturam indidit, *pr. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* verum etiam singulariter inter homines conjugalem statum instituit, certisque legibus determinavit, *Matth. 19. v.4. & 5. Genes. 2. v.22.* Proxima causa efficiens est consensus tam contrahentium, hoc est, maris & fœminæ, quàm parentum, in quorum sunt potestate, *l.2.ff. de ritu.nupt. l.30.ff. de R.J.* nemo enim ad nuptias ineundas cogi debet; ratio est, quia matrimonia coacta difficiles solent habere exitus, *c.17. X. de sponsal.* nam in nullis humanis negotiis libertas tam necessaria est, quàm in matrimoniis contrahendis; cum nemo coactè amare possit, vel alieno arbitrio mulierem amare velit; sed totum hoc negotium principaliter dependet à cujuslibet phantasia propria. Subjecti materiale est unus mas, & una fœmina, quia polygamia damnatur, *l.1.ff. qui notantur infam.* Forma conjugii consistit in vinculo matrimoniali, quo duo naturâ vel lege non prohibiti, perpetuò colligantur, ut semper cohabitare debeant; ideo consanguinitas & affinitas arcta in matrimonio præcavenda est, quia semper impedit matrimonium. Finis principalis est sobolis procreatio, ad genus humanum honestè propagan-

pagandum. Finis secundarius est mutuum vitæ adjutorium, & ut vitentur stupra & adulteria *1. Corint.7.* Demosthenes à juvene quodam matrimonium inituro interrogatus, qualis ducenda sit uxor, prudenter respondit; eligas tibi (1) Nobilem, ut majori honore splendeas; (2) divitem, ut te alat, vel potius ut onera matrimonii tantò facilius sustineantur, (3) juvenem, ut tibi in senectute tua inservire possit; (4) pulchram, ut tibi magis placeat, & (5) castam, ne tibi cornua ignominiosè imponat; sed tales puellæ quinque hisce animi, corporis & fortunæ bonis donatæ sunt perquam raræ.

Matrimonium est veluti seminarium generis humani, & quasi primum specimen vitæ socialis, quo homines conversari, & cohabitare cœperunt; liberi sunt fructus matrimonii; attamen non ideo statim dissolvitur matrimonium, sive conjugium, quia præter spem & intentionem cessat finis principalis matrimonii, nimirum generatio prolis; ratio est, quia adhuc viget finis secundarius, qui est societas conjugalis, & individuum vitæ consortium; cum anima & essentia matrimonii non sit copula carnalis, sed consensus conjugalis, *l. 30. ff. de R. J.* Quod si verò alter conjugum jam ante initum matrimonium ad coëundum planè fuerit inhabilis, ut si impotentia naturali laboret, matrimonium justè dissolvi potest, alterâ parte id petente; quia deficiente illa corporis habilitate, consensus conjugii deficere videtur, *c. 5. & t.t. X. de frigid. & malefic. & l. 10. C. de repud. & Novell. 22. c. 6.* nam quando maritus ob naturalem impotentiam sivè debilitatem non potest superesse illi negotio, cujus causa matrimonium est institutum, nimirum liberorum procreandorum causa; meritò dissolvi potest matrimonium; quia altera pars videtur esse decepta. Idem de uxore statuendum: si enim illa usque adeo sit arcta, ut mulier mater fieri non possit, hoc est, carnaliter cognosci nequeat, attestantibus per inspectionem corporis obstetricibus, justè dissolvitur matrimonium *d. c. 5. X. & l. 14. §. 7. ff. de ædilit. edict.* quia illud ab initio fuit vitiosum, in fraudem partis innocentis contractum. Cæterum nota, cum unius negotii sivè actionis plures possint esse fines, ideo non statim absolutè negari potest ipsum negotium sive actio, si unus actionis negetur finis, sed si omnes simul negentur, tam subordinati, quàm principalis finis; nam negato uno fine, potest tamen actio esse propter alium finem. Sic interdum fieri solet in causa matrimonii, ut quis fœminam bonam, sterilem tamen sibi uxorem ducat. Ergo cessante primo conjugii fine, nim.

procreatione sobolis, conjugium nihilominus manet ratum, ob alium conjugii finem consequutum, puta cohabitationem perpetuam, & animorum conjunctionem, ut quis habeat vitæ sociam, ad mundanas ærumnas eò melius ferendas, & mutua officia sibi invicem fideliter præstanda. Eo respectu Sacra Scriptura dicit: non est bonum homini esse solum, faciamus ei adjutorium. Ergò cessante fine principali præter agentium intentionem, non statim necesse est, rem ipsam tolli, si modo secundarius finis obtineatur. De matrimonio egregiè loquitur JCtus le Maistre Parisiin: Le mariage, inquit, est le fondement de la societé civile, estant la source des hommes, puisque c' est ce, qui eternise le monde, & donne des heretiers legitimes aux citoyens en donnant des enfans aux peres, & des petits fils, & arriere petits fils aux ayeuls, & aux ancestres, pour faire des substitutions graduelles, & conserver les biens dans une longue posterité.

Matrimonium in linea recta inter ascendentes & descendentes (*hoc est*, parentes & liberos) jure Divino, Canonico & Civili simpliciter & absolutè est prohibitum; quoniam contra naturalem pudorem esset, si pater duceret filiam in uxorem, vel mater nuberet filio suo, vel avus duceret neptem, vel avia nuberet nepoti; ne quis cum proprio suo sanguine se turpiter commisceat, à quo natura humana maximoperè abhorret; sic nec in linea collaterali inter fratres & sorores matrimonium jure Divino subsistere potest, ne quis cum proprio suo sanguine turpiter conjungatur, &c. Quod autem circa primi mundi tempora tales conjunctiones fuerint licitæ, hoc ob penuriam hominum factum scias.

Matrimonium non tantum naturalis impotentia justè dissolvit, verùm etiam adulterium, malitiosè contrà conjugii fœdus commissum, *caus. 32. quæst. 1. c. 2. & caus. 32. quæst. 5. can. 19. & 21.* attamen id non absolutè dissolvit matrimonium quoad vinculum conjugale, juxta Canonistarum mentem; ut posteà pars innocens superstite nocente parte matrimonium aliud inire possit, (quos enim DEUS conjunxit, homo separare non potest, *c. 2. X. de translat. Episcop.*) sed saltem solvitur quoad cohabitationem conjugalem & usum, hoc est, quoad thorum & mensam separantur tales conjuges propter ruptum fidei conjugalis vinculum, *caus. 32. q. 7. can. 1. 2. 3. 4. 5.* Quod si uterque conjugum adulterio sit pollutus, matrimonium non solvitur, sed cohabitare debent, *cap pen. & ult. X. de adult.*

ratio est, quia delictum cum delicto, dolus cum dolo, (intellige, quoad jus privatorum, non autem quoad vindictam publicam) compensatur, *l. 3. §. 3. ff. de eo per quem factum erit, l. 36. ff. de dolo malo.* quoniam periniquum videtur esse, ut vir pudicitiam ab uxore exigat, quam ipse non servat, *l. 13. §. 5. ff. ad Leg. Jul. de adult.* Ergò qui intactam quærit uxorem, intactus esto, ne pœnam talionis justo DEI judicio condignè subeat.

Matrimonium contra legem DEI contractum dissolvitur, quia propter animarum periculum æquè favorabile est, tale matrimonium dissolvere sententiâ judicis, quàm legitimum matrimonium confirmare. Quod si verò Judex sententiâ suâ tale matrimonium Jure Divino, Canonico, & Civili illicitum iniquè comprobaret, matrimonium hoc nihilominus subsistere non posset; ratio est, quia nulla Judicis sententia potest peccatorem in peccato suo defendere propter animæ periculum; nec tanta est judicis autoritas, ut DEI jussum & præceptum mediante suâ sententiâ infringere, vel tollere possit.

Matrimonium liberorum jure civili & jure naturæ requirit consensum parentum; ratio juris civilis est, quia liberi sunt in parentum potestate, *l. 2. ff. de ritu nupt.* ratio verò juris naturæ est, quia liberi parentibus obedientiam & reverentiam præstare debent, *l. 2. ff. de just. & jur.* ast jure canonico consensus parentum non est de necessitate; est tamen de honestate & æquitate, *c. 23. X. de sponsal. & matrim.* Ideò licet filia absque patris consensu nupserit viro, tenetur nihilominus pater dotare filiam, si modo honesto & digno viro se copulaverit; ne contractas nuptias cum turpitudine dissolvere cogatur filia. Contrarium obtinet, si indigno vel turpi viro se junxerit.

Matrimonium plenissimè dicitur consumari per concubitum & ingressum thori conjugalis sivè thalami. Hic ultimus actus desponsationem & copulam sacerdotalem ad matrimonii perfectionem semper præsupponit. Cæterùm matrimonii dignitas est maxima, quia ipse DEUS matrimonium in statu innocentiæ, puta in paradiso sub initio mundi sanctè instituit, reliqua verò Sacramenta demùm post Adami lapsum & peccata sunt introducta.

Matrimonium vi, metu, vel minis contractum ipso jure est nullum, ne quis contra naturalem æquitatem in tàm arduo negotio iniquè obligetur, dum per timorem dicit, sibi placere, quod reverà odit, &

ne coa-

ne coactis nuptiis pessimus sequatur exitus, *c. 14. & 15. in fin. X. de sponsalibus.* nam matrimonia coacta difficiles solent habere exitus, *c. 17. X. d. t.* Quod si verò matrimonium dolo contrahatur, illud non rescinditur, sicuti contractus dolo initus, sed valet; e. gr. si adolescens matrimonium initurus virgini dolosè persuadeat, se maximas habere divitias, qui tamen reverà ne obulum habet proprium; vel contrà, si virgo se fingat maximè dotatam, ut adolescentem virtuosum amore divitiarum consequendarum in sui amorem dolosè alliciat, tale matrimonium subsistit, etiamsi alter conjugum opinione sua planè sit frustratus: quoniam matrimonia non accessione bonorum vel dotibus, sed consensu & affectu conjugali contrahuntur, *l. 11. pr. C. de repud.* nam ejusmodi dolus non est contra essentialia matrimonii.

Medici in civitatibus non necessariò requiruntur, quia infinitæ gentes in mundo sine Medicis vivunt. Populus etiam Rom. plus sexcentis annis sine iis vixit, eosque non curavit, &c. *Plinius libr. 29. cap. 1.* Aurelianus Cæsar Medicum nunquam ad se vocari voluit, sed seipsum inediâ curavit. Pausanias Lacedæmonius sanitatem absque Medicorum auxilio conservans, est interrogatus, quibus remediis valetudinem in tantam senectutem conservare potuerit, respondit: quia temperanter & sobriè vivens, Medico non usus sum. De Antonio Hasechi optimo Theologo Leodiensi verè asseritur, quod per centum annos in officio Theologico vixerit, mortuus anno Christi 1586. & ætatis suæ 125. interrogatus à suo Episcopo, quo sano remedio vitam adeò longævam produxisset, respondit, se trium semper exstitisse abstemium; (1) mulierum sivè veneris, (2) ebrietatis, & (3) iracundiæ. Hæc tria in viro tàm religioso & pio summoperè laudanda: ast quotus quisque mortalium singulare hujus viri continentis exemplum sequitur; rara certò in terris est avis, &c. De Adriano Imperatore refert Dion: populum moriente Adriano Imperatore liberè divulgasse, turbam Medicorum interfecisse Imperatorem; quamvis negari non possit, Medicum & medicinam à DEO esse, peritumque & prudentem Medicum esse honorandum propter necessitatem. Ergò in quantum Medici ægrotis salutaria remedia præscribere, & optima medicamenta ad tollendos morbos præbere intelligunt, eatenus reipublicæ & civitatibus habentur utiles. Verùm quia rarissimi sunt eruditione & experientiâ simul præclari, qui genera morborum, complexiones ho-

hominum, vim & naturam mineralium & herbarum rectè sciunt; quique accuratè & distinctè percipiunt, quo morbi genere hic vel ille laboret valetudinarius, aut miserè decumbens: hinc tot funera, quæ casu vel ex accidente, (vel potius imperitiâ & culpâ Medici) juxta Medicorum relationes & excusationes iniquè contingunt. Dabo casum. Vir dives & prudens ob periculosum uxoris suæ morbum accersiri curavit quatuor, vel quinque Medicos, eos ut singulos separatim consulturus de ægrotæ, sivè decumbentis uxoris morbo, deque morbi qualitatibus, ut inde cognosceret, quid ad hunc gravissimum morbum tollendum maximè esset utile. Ex diversis diversorum Medicorum consiliis evidentissimè collegit vir ille dives, ipsos Medicos nec in principiis, nec in genere morbi inter se convenire: undè is adeò distractus & perturbatus fuit, ut dubitare inciperet, num uni eorum uxoris vitam concredere auderet, vel non: sic miser & afflictus ille maritus parum solatii circa morbum uxoris tollendum à vacillantibus Medicis impetravit. Idem fermè casus cōtigit An. 1660. Goteburgi in Suecia, me præsente, circa defuncti Suecorum Regis Caroli morbum, ante ejus obitum; ubi varii Medici consulti, nimirum Doctor Cöster, D. Bülau, D. Schalerus, & D. Düri, qui diversa circa ægroti morbum suppeditarunt consilia, in morbi genere planè discordantes; & per consequens in medicamentis adhibendis ex parte contrarii: sic Rex bellicosissimus cum gravissimo morbo confligans inter eorum diffidia & dubia opinione citius mundo valedixit: postea accusatus fuit primarius Regis Medicus Cösterus homicidii, quasi is Regem ex crassa quadam & artis, & morbi ignorantia temerè necasset, sed hic famam suam publico scripto defendere conatus est. Ob has rationes felicem prædico, qui Medicorum ope, & recipe carere, suamq; sanitatem magis temperantiâ, sobrietate, labore & inediâ, quàm multis recipe, (nescio quid, & ad quid conducant) conservare studet. Etenim ipse Medicorum Princeps Hippocrates duo dicit sanitatis fulcra, (1) victum moderatum, & (2) exercitium tempestivum. Certè multi diutius viverent, nisi se Medicorum (eruditione & praxi præclaros hic excipio, quos tamen censeo rarissimos) arbitrio ac dispositioni imprudenter committerent: hi miseri tales Medicos proprio suo interitu interdum faciunt peritos &c. Magis in republica sunt necessarii JCti prudentes, (rejectis rabulis forensibus, & advocatis istis sordidum lucrum per fas & nefas semper spiranti-

rantibus) qui homines juris doctrinâ, salutaribus juris & justitiæ remediis validius conservare sciunt, & operam pro viribus collocant, quàm Medici suis pharmacopolicis remediis. Ut ut Medici (eruditione & experientiâ præclari) absentia unum vel alterum decumbentem periclitari faciat, id respectu JCti, doctrinâ & experientiâ illustris, rerumque gerendarum periti parum facit, qui totam rempubl. in causis & casibus dubiis consilio prudenti conservare valet, cujus unum prudens & sanum consilium plus efficere potest, quàm centum, imò mille purgationes rhabarbaræ: Medicina enim respicit duntaxat sanitatem corporis humani, Jurisprudentia verò conservationem societatis, reipublicæ & animæ; quantò ergò anima corpore, & respublica homine est præstantior, tantò dignior est Jurisprudentia, quàm Medicina: ideò nobilius est Socratem de moribus, quàm Hippocratem de corporibus disputantem audire.

Medico eventus mortalitatis non est imputandus, præsertim si artis suæ præcepta in curando prudenter sequatur, *l. 6. §. 7. ff. de offic, Præsid.* ast si ægrotum vel per negligentiam, aut imperitiam neglexerit, Lege Aquilia tenetur *l. 7. §. fin. ff. de Leg. Aquil,* nam multi Medici (eruditione & experientiâ simul præclaros hic excipio) sub hoc mortalitatis prætextu ignorantiam & culpam à se imprudenter commissam iniquè excusant; quoniam eorum errores terra ut plurimum tegit; quoties enim ægrotum sanitati pristinæ restituere ignorant, medicamenta, dicunt, nihil amplius vi morbi operantur, hora mortis adest, juxta commune Medicorum adagium:

Contra vim mortis non est medicamen in hortis, &c.

Interdum etiam decumbentis parentes, consanguineos, & conjugem sic consolantur Medici, interrogati, quid spei supersit, animosè respondendo, per DEI gratiam reconvalescet, nisi accidens supervenerit; sic Medicus talis morte ægroti superveniente semper confugit ad accidens suum, tanquam ad tutum aliquod Romanum asylum, quo mortuus fuit ægrotus, interim patitur justus, dum Medicus mortuo suo patiente pecuniarium suum accidens mori non sinit.

Memoria hominis non extendit se ad infinita, ut omnia lecta, visa, & audita ad vitæ finem tenaciter retinere possit. Hinc rectissimè dicit Imperator Justinianus, omnium habere memoriam, & in nullo penitus errare, divinitatis potius, quàm humanitatis est, *§. 14. de*

 con-

confirmat. Digestorum. quia memoria hominis est labilis, *l. 44. ff. de acquir. possess.* non semper conservans sibi concredita: ideò etiam Viris literatis in omni scientiarum genere necessarii sunt plurimi libri, ad quos tanquam mutos Magistros in casibus arduis dubii recurrere possunt, ad eximendos sibi scrupulos.

Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi; sivè est aliud dicere, quàm scire; nam qui mendacium dicit, contra id, quod animo sentit, loquitur, voluntate sivè intentione mentiendi. Ergò qui aliud studio dicit, quàm cogitat, is turpiter agit, attestante octavo Decalogi præcepto. Sic omne mendacium per se turpe censetur; contrà, veritas est laudabilis & pulchra. Ex dictis colligere licet, quod is non mentiatur, qui falsum dicit, quod verum putat; ratio est, quia is, quantum in ipso est, non intentione fallendi hoc facit, ut alios fallere velit, sed hoc præter intentionem facit &c. Mendacia in genere solent esse in triplici differentia, quorum alia sunt (1) dolosa, alia (2) jocosa, & (3) alia officiosa; sed horum prima, nimirum mendacia dolosa maximè sunt condemnanda, & coram DEO capitalia peccata; reliqua verò duo levia sunt peccata, præsertim mendacium jocosum: nam parum refert, si animi recreandi causa aliis fingam, me vidisse hircum mirabili saltu cum ovibus saltantem, & ejusmodi sexcenta alia; quoniam nemo hoc ficto sermone læditur, nec gravatur mea conscientia. Sic Erasmus Roterodamus parum peccasse videtur ratione mendacii à se commissi, dum is olim adiisset suum amicum Cajum colloquii & animi recreandi causa; is autem studiis tunc temporis districtus injunxit ancillæ, ut se absentem simularet, quâ falsâ relatione domum rediit Erasmus, dolum cum dolo tandem compensaturus. Elapso biduo, Cajus Erasmum adire, & invisere quærit, cui in atrio stanti, & interroganti, num Erasmus esset domi, respondit ipse Erasmus, non sum domi: ad hæc regerit Cajus, maximè es domi Erasme, dum temetipsum loquentem audio. Vah, inquit Erasmus, impudentissime Caje, quare mihi jam non vis credere, dum ipse tibi dico, me non esse domi; cum tamen ego nudius tertius credidi ancillæ tuæ mentienti, te non esse domi: sic Cajum confuso ore inanem dimisit, &c. Hic datâ occasione quæritur, an restrictio mentalis regulariter sit mendacium? Resp. quod sic, quoniam is, qui per restrictionem mentalem interroganti respondet, speciosè mentiri censetur, dum aliud dicit, quàm sentit; & sic ambiguè respondendo

dendo fallere conatur interrogantem. Ergò dum quis contra suam mentem studio loquitur, mendacium committit; sicque sub specioso prætextu palliata mendacia per restrictiones mentales dolosè profert: qui enim aliud ore dicit, & aliud mente cogitat, is proximum suum mentiendo fallit, inque errorem inducit. Hic porrò quærere lubet, an non illi Monachi aperta, vel potius palliata mendacia subdolè committant, qui contra votum paupertatis coram altari Deo sanctissimè promissum in victu, amictu & externa pompa usque adeò splendidè & luxuriosè vivunt, ut nec Principi, vel Comiti imperii in hisce mundi splendoribus cedere videantur, alendo tot otiosos servos ac cubicularios, pretiosis vestibus egregiè ornatos? Resp. quod tales Monachi carnis desiderio potius, quàm devotioni dediti contra conscientiam & statum suum Monachalem cum proborum scandalo malitiosè ac mortaliter peccent, ac aperta vel palliata mendacia expressè committant, est extra omnem controversiam. Deus ipsis dabit præmium, quod res religiosas tàm turpi luxuria expendant, ac prodigè profanent.

Mendacia jure civili regulàriter improbantur, *Nov. 18. c. 10.* nam fidem fallere, grave est, *l. 1. ff. de constit. pecun.* ob id afferit jus Canonicum, *caus. 22. q. 2. c. 8.* qui putat esse aliquod genus mendacii, (intellige dolosi & noxij) quod peccatum non sit, seipsum turpiter decipit; ex hoc principio statuit idem Jus Canonicum, quod is, qui veritatem malitiosè celat, & mendacium dicit, peccatum mortale committat, *caus. 11. q. 3. can. 80.* ratio assertionis est, quia ille proximo prodesse non vult, dicendo veritatem, & hic proximo nocere desiderat, proferendo mendacium; quæ duo sunt contra expressum DEI mandatum, *Matth. 22. v. 36.* & contra dilectionem proximi. Ex opposito, qui veritatem ob justam & honestam causam occultat in licitam alterius conservationem & promotionem, mentiri propriè non dicitur; sic obstetrices Ægyptiacæ mendacium propriè non commiserunt, quòd aliter Pharaoni responderunt, quàm ipsa res in se erat; quoniam ab ipso DEO indè munera acceperunt. Ideò mendacium est, (inquit S. Augustinus) dicere aliquid contra conscientiam cum desiderio nocendi. Ex hoc fundamento JCtus quidam afferit: non tenemur semper & omni loco vera dicere; rationem addit, quia veri manifestatio nonnunquam est intempestiva, imò interdum noxia; adeòque in tali casu licitè reticeri potest veritas sine offensione DEI, sine scandalo, & in-

incommodo proximi, ac sine læsione conscientiæ. Hic porrò notandum, jure naturæ sequentia inter mendacia non referuntur, e.g. si quis quædam fingat, quibus nec DEUS, nec proximus directò vel indirectò læditur, sed hæc bono fine dicit, ut iratum placare, mœstum consolari, meticulosum reddere animosiorem, ægrotum fastidiosum ad medicamenta capienda movere, vel hominis pertinacis pertinaciam frangere, aut malum ejus propositum prudenter avertere, vel mutare possit: imò arcana & consilia reipublicæ quovis honesto prætextu Consiliarius Principis tegere, & abscondere licitè potest, ut noxia quorundam hominum curiositas vel proditio condignè supprimatur. Ex assertis hisce colligere licet, hominem in conscientia non obligari, aliis omnia detegere, quæ sub pectore habet, vel mente secum tacitè volvit, nisi ad ea aliis aperienda jure obligetur: sic rectissimè quis interrogatus dissimulare potest ea, quæ sibi prosunt, nec interroganti utilia.

Mercatores prohibentur hostibus arma (ut gladios, scuta, loricas, cassides, pectoralia, tormenta bellica majora vel minora, bombardas, sclopos, &c.) vendere sub pœna capitis, & publicatione omnium bonorum, *l. 2. C. quæ res exportari non debent*, ne hostes in perniciem reipublicæ iniquè juventur; hæc prohibitio ubique locorum in Germania hodiè non benè observatur; hinc tot ærumnæ & clades provinciarum. Hîc nota, sicuti jus Civile Nobilibus commerciorum usum, statui eorum non convenientem seriò denegat; ita jus Canonicum Clericis commerciorum exercitium prohibet, *distinct. 37. c. 10. & seq.* eaque tanquam pestem esse fugienda, *distinct. 88. c. 9.* & si Clericus admonitus à mercatura non abstinuerit, de gradu suo dejiciendus est, *c. fin. X. de vita & honest. Clericor.* quod fit ob sequentem rationem, quia mercatura est res periculosissima, quâ quis lucri cupidine à sacris meditationibus impiè abstrahitur; quod autem non omnis mercatura jure reprehendi possit, ex sequentibus demonstro, distinguendo inter mercaturam œconomicam, & lucrativam. Illam Nobiles & Clerici salvâ conscientia & dignitate licitè exercere possunt; ratio est, quia illa ad honestam omnium hominum sustentationem necessariò requiritur, dum superflua ex suis reditibus (vino, frumento, ovibus, bobus, equis, &c.) vendunt, & alia iterum necessaria sibi coëmunt, &c. Hæc non item, sed solis Mercatoribus relinquenda est.

Merum imperium est jus gladii animadvertendi in facinorosos. De hoc prolixius egi in titulo de jurisdictione. Hoc merum imperium vocatur in Franconia jus Centenæ, hoc est, das Halsgericht / die Cent / oder das Centgericht. In Bavaria verò appellatur die Fraiß / Blutbahn / fraißliche Obrigkeit / ꝛc. Dominus meri imperii, hoc est, der Herz / dem dieses Blut- oder Halsgericht zukomt / vocatur der Cent-Herz / dessen judex criminalis der Cent-Richter; die delicta, so von dem Cent-Richter zu straffen / nennet man Cent-Fälle / und die Personen / so in die Cent gehören / werden genennet Centbare Unterthanen. Quod attinet mixtum imperium, sive modicam delinquentium coërcitionem, (quod hodie propriè vocatur jurisdictio vogtetica, sivè bassa) die vögteyliche Gerechtigkeit / so einem Vogtey-Herzn eigentlich zukomt / so hat ein Vogtey-Herz alle Schlägerey / Injurien / und Criminal-Sachen in so weit zu straffen Macht / als sie nicht können unter den Scharffrichter gezogen / und zu den 4. hohen Rügen referiret werden; item simplex adulterium, alle kleine Dieberey / an Obst / Trauben / Holtz / Gras / ꝛc. straffet der Vogtey-Herz: wiewolen die Vogtey in sensu maximè proprio in so weit extendiret wird / daß nicht allein die Streittigkeiten / und delicta, (intellige non capitalia) so auf der Vogtey-Herzn Lehn und Gütern geschehen / von ihm examiniret / decidiret / und abgestraffet werden; besondern alles was im Dorff / Feldern / auf der Gemein / und auf den Straffen ungebührend verübet werde: ubi tamen maximoperè notandum, quod hæc duo jura utplurimum sint diversa, (1) Vogtey-Herzschafft / & (2) Dorffs- und Gemein-Herzschafft / quæ sæpissimè in Franconia distingui solent; & in diversis personis resident: also daß der Vogtey-Herz nur auf seinem Lehn / und der Dorffs- und Gemein-Herz auf der gantzen Gemeine / ein jedweder vor sich secundum distincta jura gantz allein alle Injurien / Schlägerey / hauen / stechen / verwunden / ꝛc. in so weit diese alle nicht tödtlich seyn / abzustraffen Macht und Gewalt habe. Hic porrò nota, mixtum imperium est potestas Magistratui competens, modicè coërcendi refractarios, cohærens jurisdictioni, ad eam tuendam, & jus redditum exsequendum. Hoc imperium mixtum in coërcitione consistens, jurisdictionem civilem conservat: quoniam nullus Magistratus potest officio suo rectè fungi, vel eidem benè præesse, nisi modicam habeat coërcitionem, quâ delinquentes pro delicti qualitate modicè punit vel corrigit. *De his vid. tit. de jurisd. in hoc lib. & in digestis meis Parisiis A. 1666. publicè editis.*

Metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio *l. 1. ff. quod met. caus.* Metus hic in jure consideratus debet esse talis, qui in constantissimum hominem cadere potest, *l. 5. & 6. ff. d. t.* qualis est metus mortis, carceris, stupri &c. *l. 7. §. 1. ff. ibid.* ob id actio quod metus causa datur saltem illi, qui damnum per justum metum passus est, & datur contra illum, qui talem metum alteri injustè intulit; & datur actio hæc ad hoc, ut metum inferens rem cum omni emolumento & fructibus restituat.

Metus sæpe negotia contracta rescindit: nam quæcunque negotia vi, vel metu fiunt, non quidem ipso jure, sed per exceptionem irritantur, sivè rescinduntur, *l. 9. §. 3. ff. quod metus caus.* intellige, si talis sit metus, qui in constantem virum cadere potest (dum ex intentata vi, tanquam causa metûs, ortus est hic metus) ut metus mortis, cruciatus, carceris, stupri, &c, debet namque metus esse justus, qui salutis, vitæ, famæque periculum, vel corporis cruciatum affert, *l. 8. ff. ibid.* talis enim metus vi intentatâ conciliatus omnia illa negotia ex metu orta justè annihilat; ratio est, quia contrahentes non liberè contraxerunt, sed alter contra suam voluntatem ad vim intentatam evitandam per impositam sibi necessitatem sic contrahere coactus fuit: hinc æquitate commotus Prætor dicit, quod metus causa gestum est, ratum non habebo, *l. 1. pr. ff. h. t.* ast secus se res habet, si non sit metus verus, sed improbabilis, non in constantem, sed in formidolosum hominem cadens; talis non vitiat contractum *l. 184. ff. de R. J.* cum vani timoris non sit justa excusatio. Ergo qui minis & vanis jactationibus perterritus est, non autem atrocitate facti, frustra restitutionem in integrum implorat, *l. 13. C. de transact.* quod si quis culpâ propria talem patiatur metum, non juvatur, quia tale damnum ipse sibi conciliavit, *l. 87. ff. de R. J.* Cæterum actor in actione quod metus causa probare debet, metum cum atrocitate facti, vel vi conjunctum sibi illatum esse, *l. 9. C. h. t.* quod duobus testibus probet. *arg. l. 12. ff. de testib.*

Militare ob patriæ, bonorumque defensionem omnibus licitum est, & laudabile censetur; cum dulce & gloriosum sit, pro patriæ salute succumbere; verum ut quis propter mercedem sivè stipendium aut prædam in bello acquirendam principaliter & promiscuè militet, peccatum est; ratio est, quia talis semper cupit cum damno proximi locupletari, quod contra 9. decalogi præceptum est, *non concupisces.* Eapropter dicit Plutarchus, bellum est res sæva, cumulum injuria-

juriarum & insolentiæ secum ferens; ideo nullum vitæ genus habetur improbius eorum, qui sine causæ respectu (sivè causa belli sit justa, sivè injusta) ob mercedem & lucrum temerè nomen dant militiæ, bellique flammam spontè citra necessitatem augere student, *teste Grotio lib.2.c.25.* qui quà milites illis Principibus præ aliis inservire cupiunt, à quibus majorem accipiunt mercedem, licet injustam bellandi foveant causam, quod ipsis satis notum, quibus impium hoc sæpissimè in ore versatur. Ich schere mich den Teuffel drum / wem ich diene; wenn ich nur brav Geld bekomme / und gnug zu fressen und sauffen habe: wolte ich ja wol dem Teuffel um Geld dienen &c. O detestanda vox & execranda turpis lucri cupido, cum animæ interitu conjuncta! Tales milites remotâ conscientia belligerantes ipso carnifice sunt pejores: nam carnifex ex justa causa nocentes occidit jussu Magistratus; hi verò ex injusta causa innocentes crudeliter occidunt, rusticos miserè spoliant, virgines libidinosè vitiant, villas, pagos, arces, castella, suburbia, & civitates incendio ac ruina impiè devastant, & tranquillitatem reipubl. infinitis modis miserè perturbant. Item si milites saltem ob stipendium & opulentam prædam acquirendam, & non pro defensione patriæ vel religionis militant, conscientiam indies lædunt; quoniam bellum non inter artificia justè recensetur, sed est res tam horrenda, ut eam nisi summa necessitas, aut vera charitas patriæ, vel religionis honestam efficere valeat. Ex dictis judicium formari potest, quid sentiendum sit de mercenariis Helvetiorum militibus, quos Regi Galliæ ad quodvis bellum sine discrimine gerendum pro certa constituta mercede annua & præmio suppeditare solent Helvetii. An non gravissimè peccent? quam quæstionem decidit Hugo Grotius *de jur. belli & pacis, lib.2.c.24.* dum dicit, quod is demum censeatur vir fortis, qui & vir bonus & justus est. Ergo qui imperii extendendi, lucri captandi, aut prædæ consequendæ causa principaliter militant, nullâ necessitate eos ad bellum gerendum impellente, boni milites & viri fortes non sunt, cum non virtuosè agant; nam fortitudo justitiæ nunquam debet esse contraria, sed cum eâ in omnibus honestè convenire.

Milites arma magis, quàm jura scire præsumuntur, *l.22.Cod.de jur. deliber.* quia ipsi magis versantur in campo, castris, & præliis (ubi ad arma apprehendenda indies incitantur) quàm in foro, ubi jura & leges evolvuntur & tractantur.

Mili-

Milites Romani olim, ut è militia honestè dimitterentur, legitimum militiæ tempus adimplere debebant, quod fuit apud Romanos 20. annorum. Post hoc demum tempus concedebatur adhuc militibus veteranis de militia optimè meritis honesta missio, & ut ab omnibus oneribus civilibus, in præmium militiæ peractæ, essent immunes, *l.2.& 3. Cod. de his, qui non implent stipend. Sacrament. solut. sunt.*

Minor in jure est persona puberis annum vigesimum quintum nondum transgressa; hinc etiamsi minor contractum initum juramento firmaverit, indeque lædatur, jure civili non tenetur, contractum illum servare; ratio est, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis; ideo jura subveniunt enormiter læsis *l.5.C.de dolo, l.36.ff. de verb. obligat.* Contrarium docet jus canonicum, sanctè jubens, omne juramentum, quod absque salutis æternæ dispendio conservari possit, esse servandum, *c.28. X. de jurejur.* aut si juramentum jurantis saluti temporali, & bonis ejus nimium nocuerit, absolutio à juramento impetranda est, *c.2.X.d.t.* ne alioquin animum ejus gravissimè offendat. Cæterum minorum ætas ita est comparata, ut iis ob judicii defectum in rerum suarum administratione per prudentiores sit consulendum, & succurrendum; cum multis captionibus sint obnoxii.

Minori ut personæ privilegiatæ regulariter in venditione, donatione, divisione, transactione &c. subveniunt jura per in integrum restitutionem, quoties ob judicii defectum in illis negotiis læsus est, *t.t.ff.de minor.* Contra, minori non subveniunt jura per in integrum restitutionem in delictis atrocioribus, & naturaliter illicitis à se commissis, ut in furto, homicidio, adulterio, *l.37. in fin. ff. de minorib.* Ratio est, quia jura minori non quatenus fallenti, sivè malitiosè agenti, sed quatenus erranti subveniunt, *leg. 2. ff. si minor se majorem dixerit*, malitia enim supplet ætatem; hinc delictum perpetrans non pro minore, sed pro majore habetur odio criminis perpetrati; ubi tamen interdum ratio ætatis haberi solet, ut mitius puniatur, *l.108. ff. de Reg. Jur.*

Moderamen inculpatæ tutelæ tunc dicitur esse observatum, quando quis se in casu necessitatis aliter defendere non potuit, ad vitæ, salutis & bonorum suorum periculum effugiendum: *l.1. C.unde vi.* sic necessaria corporis defensio omni jure licita est, *d.c. 1.* ob id asserunt JCti, quod defensio & non ultio hominibus sit impunè permissa.

missa. Ergo qui latronis manus tutò effugere potest, & latronem nihilominus ulciscendi animo occidit, is non omnino excusatur, quia non in terminis licitis, sed violentis versatur. Hoc moderamen inculpatæ tutelæ tria requisita requirit. (1) causam, (2) modum, & (3) tempus. Hoc est, ut quis (1) ex justa causa se contra aliorum vim defendat, nec (2) modum defensionis excedat, & (3) ut illa defensio tempestivè fiat, & non post illa tempora vindicandi animo. Hinc fundamentum moderaminis inculpatæ tutelæ est injusta offensio, vide *constit. crimin. art. 142. & art. 140.* So einer jemand mit einen tödlichen Waffen/oder Wehr überläufft/anficht oder schlägt/und der Benötigte kan füglich ohne Gefahr nicht entweichen/ der mag sein Leib und Leben/ohne alle Straf/durch eine rechte gegen Wehr retten; und so er also den Benötiger entleibet/ ist er darumb nichts schuldig/ ꝛc.

Monachi à rebus civilibus se regulariter abstinere debent; nemo enim militans Deo, se implicet negotiis secularibus. *caus. 21. q. 3. can. 4.* ne à cultu Divino, cui unicè devoti ac dedicati esse debent, impiè avocentur ad curas seculares; sicque pias suas meditationes vanitate mundi miserè distrahant, ac dissipent; quod est contra monachi nomen: *μόνος* enim in lingua græca latinè denotat unum; & *ἄχος* græcè, latinè indicat tristem; sedeat ergo solitarius & tristis, ut officio suo eò religiosius & ferventius vacare possit, *d. caus. 16. q. 1 c. 8.* Ergo pessimè facit Monachus, si contra statum suum monachalem velit aliorum causas in judicio publicè defendere, quod est munus Advocatorum: ideo rectissimè asseritur, quod unumquemque deceat, intra professionis suæ metas se continere, nec aliorum negotiis ad se non pertinentibus temerè se involvere, ne promiscuis rerum actibus turbentur officia, unde confusa discordiarum semina sæpè excitari solent, *l. 23. C. de test.* ob id piè dicit S. Paulus, nemo militans DEO negotiis secularibus se implicare debet.

Monachorum vita solitaria quàm grata Deo, & quàm utilis homini sit, si piè, honestè & justè semper instituatur, hoc describit Imp. Justinianus *Novell. 5. princip.* Monachus enim civiliter censetur mortuus, renunciando seculo; mortuus est mundo, ut vivat Deo, *caus. 16. q. 1. can. 8.* varias occasiones peccandi in hoc statu cautè vitare potest, si velit; nihil habet proprii, sed quicquid habet, & quicquid acquirere potest post professionem religionis, id omne cedit Monasterio. *d. Novell 5. c. 5 caus. 18. q. 1. can. unic.* Contra, quàm detestanda sit

da sit Monachorum vita, si contra votum Deo solennissimè datum helluando vel scortando impiè peragatur, attestantur Theologi. De talibus dissolutè viventibus haud injustè dicitur:

Vos Monachi vestri stomachi sunt amphora Bacchi,
Vos estis, Deus est testis, acerrima pestis. &c.

Hæc salvo ordine, & salvis piis, de gulæ & ventri indulgentibus saltem intelliguntur. Nota, qui monasterio præest ut caput & Magistratus, apud Cistercienses & Benedictinos vocatur Abbas; apud Dominicanos appellatur Prior, & apud Franciscanos & Capucinos nominatur Guardianus. Hic quæritur, an Monachis salvâ conscientia liceat accusare suum Abbatem coram Episcopo, vel Ordinario suo? Resp. si Monachi prægnantem habeant causam accusandi Abbatem, illis maximè licet, *can. 11. X. de accusat.* e. gr. si Abbas cum monasterii ruina proprium suum interesse impiè quærat, bona Monasterii immobilia sine Capituli, vel Ordinarii consensu injustè alienando, privilegia Monasterii aliis vel peregrinis oppignorando, helluando & commessando reditus dissipet; quoniam Abbas scire debet, se saltem nudum esse Monasterii, & bonorum Monasteriensium Administratorem, & non Dominum, cui bona Monasterii hæreditaria non sunt facta. Ast si Monachi injustè vel frivolè accusent suum Abbatem, eique, ceu capiti suo, temerè resistant, graviter sunt puniendi; & quidem ob duplicem causam, (1) quia votum obedientiæ temerè violarunt, & (2) in terrorem aliorum, ut alii tantò magis parere discant.

Monopolium est, quando penes unum aliquem, aut paucos solos tota alicujus rei vendendæ potestas existit, *l. un. pr. C. de monopol.* quia verò monopolia reipubl. nociva regulariter esse solent, ideo in jure Romano generaliter sunt prohibita, & censentur illicita *d. l. un.* ob eam rationem adhuc hodie in imperio Romano-Germanico sunt abrogata. *Recess. imp. de anno. 1500. 1512. & 1548. tit. 18. die Monopolia* und schädliche für-Kauf. Ratio prohibitionis est, quia monopolia exercentes omnia tentant, & excogitant, quibus civium opes ad se trahant, dum soli coëmunt omnia (puta, vinum si umentum &c.) tolerabili vel vili pretio, quæ postea pro lubitu civibus carissimè divendunt; sicque libertatem commerciorum in totius reipubl. omniumque civium detrimentum quovis modo impediunt: quo casu gravissimè peccatur contra justitiam particularem & charitatem Christianam. Eo fine Princeps & Magistratus incidente

dente annonæ caritate solet publicè mandare, sivè jubere, ut frumenta extra territorii fines sub gravi pœna non vendantur; item ne divites in civitatibus ultra certam quantitatem & mensuram frumenti emant, quo reliqui cives tanto facilius frumentum pro familiæ necessitate sibi coëmere possint. Interdum tamen reipubl. utilitas suadet, ut Principes in certis negotiis & artificiis monopolia ob certas rationabiles causas temperanter concedant, certum pretium mercibus definiendo; qualia monopolia concedere solent coctoribus cerevisiarum, sartoribus & aliorum opificum collegiis, quæ regulariter iis gaudent privilegiis, ne extranei intra miliare, vel duo miliaria ab urbe, in quâ habitant, illorum opificiis noceant, quod fit in civitatum emolumentum, ut per hoc crescant & floreant; Magistratus enim officium exigit, omnia dirigere in subditorum utilitatem, *leg. 34. C. de inoffic. testam.* præsertim cum artificibus & opificibus carere nequeat respubl. tantò enim beatior est, quantò magis in republ. florent commercia & artes mechanicæ; quod exemplis suis comprobant emporia sequentia, ut Venetiæ, Genua, Florentia, Norinberga, Ulma, Amstelodamum, Hamburgum &c. Ubi notandum, omnia collegia absque Principis consensu reprobantur, quia indè suum habent robur, suaque privilegia.

Monstrum quid, & quale est, & quomodo in jure considerandum? Resp. Qui contra formam humani generis nascuntur, pro hominibus non censentur; ut si mulier monstrosum quid, aut prodigiosum enixa sit, *l. 14. ff. de statu homin.* Ergo si partus cum bruti capite & pedibus nascitur, brutum est: ob id talis jus liberorum non consequitur. Monstrum quod capite & pectore formam hominis refert, est baptizandum; secus si bestialem formam refert: quod si monstrum habeat membra geminata, ut quis meritò dubitet, num sit unus homo, an duo homines, duplex baptismus conferendus est, unus absolutè, alter sub conditione, *teste Theolog. Busenbaum.* Nota, quando mulier contra naturam edit monstrum, id regulariter non sine delicto accidere præsumitur, Deo sic disponente in vindictam criminis commissi; ut si canem, capram, vel partum belluino capite pariat; quales monstrosos partus ratione & formâ humana planè carentes statim occidere convenit. Interdum tamen monstrosus ejusmodi partus fataliter, & absque delicto matris accidit, superveniente perversa quadam matris imaginatione: sic etiam pro-

pter virilis seminis debilitatem, aut menstrui resistentiam & impuritatem sæpè monstrosa generantur. Monstra dicuntur esse peccata naturæ, quæ natura non intendit facere; ideo naturæ finis non est, monstra procreare. Hic porrò quæritur, an partus tria brachia, tres pedes, vel tres manus aut oculos habens, vel horum saltem unum, censeatur monstrosus, & per consequens an sit occidendus? Resp. quod non, quia talis partus non essentialiter est monstrosus, sed duntaxat quoad certa membra; ideò ob rationis usum sine peccato mortali occidi nequit.

Mora in genere est solvendi, vel accipiendi crediti frustratoria dilatio, vel mora specialiter dicta est injusta dilatio debitoris tardius solventis, aut creditoris tardius recipientis debitum. Mora duplici modo committitur, (1) ex persona, & (2) ex re. Mora ex persona nascitur per interpellationem personæ, quæ debet, vel cui debetur *l. 32. ff. de usur.* exempli gratia, quando debitor opportuno loco & tempore interpellatus, debitum non solvit *l. 23. ff. de verb. oblig.* Interpellatio est admonitio testato fieri solita, solvendi vel accipiendi ejus, quod debetur. Mora ex re committitur sine interpellatione, solo tempore tardæ solutionis, juris interpretatione, *l. 46. §. 4. C. de Episcop. & Cleric. l. 3. C. in quibus caus. in integr. restit. necess. non est.*

Mora cuique sua regulariter nocere debet, & non alii, *c. 25. de R. J. in 6to.* ne alterius delicto alius iniquè prægravetur *l. 173. §. 2. ff. de R. J.* nam sicuti suus dolus cuique justè nocet, & non alteri, *l. 15. ff. de tut. & ration distrah.* ita & mora; quod in duobus reis (debitoribus) promittendi videre licet; hinc mora unius ex correis debendi non nocet alteri, *l. 32. ff. de usur.* ne alterius factum alteri iniquè noceat. Qod si vero quis moram commisit, & post moram commissam res alterius interiit, tenetur moram committens de interitu rei, etiamsi postea casu fortuito interierit, quia mora præcessit, *l. 23. ff. de verb. oblig.* Item à tempore moræ fructus & usuræ, & id genus accessionis in bonæ fidei judiciis debentur, *d. l. 32. §. 2. ff. de usur.* ut si quis interpellatus est à die (quo scilicet die solvere antea promisit,) vel ab homine tempestivè interpellatus est; si habuerit possibilitatem dandi, statim dare debet, aut mora sibi nocet, *arg. l. 88. ff. de R. J.* Si interea res debita perierit, res perit moram injustè nectenti; nam qui in mora est, illius periculo res perit, *l. 5. ff. de reb. credit.* Contrarium observatur, quando quis non est interpellatus à die, vel ab homine: ratio est, quia ubi nulla est petitio, ibi nulla mora dicitur fieri, vel com-

commissa censetur, *dict. l.88.* hinc limitatur regula: nisi quis ex justa causa fuerit in mora; talis namque dilatio justa excusationem meretur: ideò liberat debitorem in tali casu à mora. Ea de causa moram non facit, qui ex justa causa ad judicium provocat, qui justam habens litigandi causam judicium suscipit, *l. 24. pr. ff. de usur.* Ergò jura rectissimè statuunt, quod non omnis, qui differt solutionem, intelligatur in mora esse, *l. 21. ff. de usur.* Sed ille demùm, qui temerè hoc facit.

Mors est vel naturalis, vel civilis. Mors naturalis est, ubi anima à corpore separatur, & homo planè exstinguitur. Civilis verò mors est, quâ quis ob delictum atrox è numero civium tollitur; sic talis homo delinquens civiliter censetur mortuus, cui vel libertas cum civitate simul est adempta, vel sola civitas, vid. *tit. Inst. de capit. diminut.* Hîc notanda sunt tria praecipua mortis genera; (1) est naturale, quando homo vel morbo, vel senio exstinguitur, (2) fortuitum, quando quis per adversum casum ex naufragio, incendio, ruinâ, lapsu, &c. perit; & (3) est violentum, quando quis à latronibus, pyratis, hostibus, tyrannis, vel aliis crudeliter interficitur, aut quis sibi ipsi manus violentas infert.

Mors militibus in fuga est foeda, in victoria verò est gloriosa; ideò qui pro reipublicae salute mortem fortiter obeunt, in perpetuo per gloriam vivere creduntur, *pr. Inst. de excusat. tutor.* Hinc Romanis olim probrosum habebatur, à tergo accepisse vulnus; ratio est, quia tales praesumebantur, metu mortis à praelio aufugisse, tergaque dedisse.

Mors omnia solvit, *Novell. 22. c. 9.* omniumque rerum terminus & meta est, ad quam omnes properamus; attamen mors non absolutè & simpliciter omnia solvit, sed saltem quoad personam extinctam, patriam potestatem, usumfructum & tutelam, &c. non verò quoad patrimonium sivè haereditatem relictam, quam haeredes illaesam accipiunt, inque defuncti jura succedunt in solidum. Sic etiam quando fur suspenditur, domino nihilominus datur potestas rem furto sibi ablatam vindicandi, ne furis haeredes contra moralia & juris naturae principia cum aliorum damno injustè locupletentur, arg. *l. 14. ff. de condict. indeb.* Mors servitutem etiam invito domino remittit, mors captivorum catenas levat, & contra omnes injurias vitae beneficium miseris & oppressis tutò suppeditat. Ast hoc eheu! post mortem temporalem apud inferos & daemones

non observatur, ubi quidem mortem vident damnati, sed vivacissimam, ac doloribus plenissimam: nam sicuti ibi nullus lugendi & dolendi finis, ita nec moriendi finis est; quoniam decem millibus annorum elapsis succedunt centum millia, post hæc sequuntur tot myriades & millies annorum, quot in firmamento reperiuntur stellæ, & in littore maris arenæ, post hæc infinita annorum spatia quasi nihil de pœnis damnatorum sublatum est. O misera miseris deploranda, & beata Beatis exoptanda æternitas! Cæterùm hîc sciendum, quod mors secundum JCtos sit duplex, vel naturalis, vel civilis. Mors naturalis contingit ob defectum humidi radicalis, & caloris nativi; quæ duo sensim cum ætatis incremento deficiunt. Ex opposito, vita hominis consistit in calido & humido, quæ duo in infantibus quàm maximè prævalent. Capilli & ungues vivunt animâ vegetativâ etiam post mortem hominis ob humidum in cadavere adhuc existente, quod per poros se exserit.

Mors hominum pro diversis subjectis & subjectorum qualitatibus in jure diversimodè est consideranda: nam quoties duo sunt mortui, & ignoramus, uter prius peste, naufragio, incendio, vel aliâ fatali morte perierit; tunc in tali casu ex præsumtione dicimus, matrem citius patre, & impuberem citius parentibus periisse; quia mater patre, & impubes parentibus præsumuntur debiliores, & per consequens citius exspirasse.

Mors diem incertum habet, *l. 1. §. 2. ff. de condit. & demonstrat.* nullus enim hominum certò scire potest, quo anno, mense, vel die moriatur; licet mors quidem hominibus sit certa, hora tamen mortis est incerta; nec quisquam mortalium sibi certò certius crastinum diem polliceri potest; igitur vigilandum, ne mors nos imparatos inveniat, & opprimat; cum à momento mortis dependeat æternitas.

Mulieres ad hoc natura progenuit, ut partus edant, & maxima omnis in hoc est constituta, *l. 2. C. de indict. viduit.* quod si verò mulier quinquagenaria pepererit, quod rarissimè accidit, partus dicitur mirabilis, *l. 12. C. de legitim. hæred.* quoniam generandi qualitas in illa ætate mulieribus regulariter præsumitur sublata; eo etiam respectu olim Lege Julia & Lege Papia prohibebantur viri sexagenarii, & mulieres quinquagenariæ matrimonium contrahere; hodiè verò omnes, si modo sint puberes facti, in omni ætate matrimonium licitè contrahere possunt, *princ. Instit. de nupt.* etiamsi

vir

vir sit septuagenarius, & mulier sexagenaria, quales principalem matrimonii finem, (nimir. procreationem sobolis) nec consequi, nec sperare possunt.

Mulieres officiis civilibus regulariter præesse non debent, *l. 2. ff. de reg. jur.* ratio est, quia eas partim debilis conditio naturæ, ipsaque verecundia indè retrahere videtur; partim fragile & infirmum earum consilium ac judicium, multis captionibus expositum, *l. fin. C. de arbitr. l. 1. ff. de minor.* Ergò tutelæ officium subire nequeunt, nisi mater & avia ob singularem gratiam ad id duntaxat admittantur, *Novell. 118. cap. 5.* nec Magistratus esse possunt, quia in illo major requiritur prudentia, quàm in fœminis regulariter invenitur. Excipe, nisi sint Reginæ vel Principissæ, prout olim glorioso exemplo Regina Sueciæ Christina regno laudabiliter præfuit, quæ postea amore Catholicæ religionis, relicto sceptro & coronâ Romam abiit, ibique adhuc commoratur.

Mulieribus tunc succurrendum est, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur, *l. 110. §. fin. ff. de reg. jur.* ratio hujus regulæ est, quia deceptis, & non decipientibus jura subveniunt, fœminarumq; simplicitas & infirmitas, non autem earum calliditas auxilium meretur, *l. 2. §. 1. ff. ad SCt. Vellej.* ne mulieres hoc modo ad delinquendum invitentur.

Mulierum conditio in multis juris articulis deterior est, quàm masculorum, *l. 9. ff. de stat. homin. & l. 2. ff. de R. J.* nam in quibus negotiis præstantia masculi attenditur, in iis fœminæ sunt deterioris conditionis, *l. 9. l. 19. ff. de stat. hom. l. 8. & 12. ff. de Senator. l. 19. ff. de jurisdict. l. 1. §. 5. ff. de postul. l. 12. §. 1. ff. de judic. l. fin. ff. de tutor. §. 6. Inst. de testam. ordin. & l. 18. ff. de injur.* masculus enim naturâ est melior, quàm fœmina, quia animo & corpore fortior, robustior, & constantior invenitur; ideò mulieres non possunt esse Judices, nec Magistratus, nec Advocati, nec pro alio fidejubere: sic nec mulier in testamento testis esse potest, *l. 20. §. 6. ff. de testam.* ob id JCtus Ulpianus fœminas removet ab omnibus officiis civilibus & publicis; sic meritò sceptri censentur incapaces. Ex opposito, in quibusdam conditio fœminarum est melior, quàm virorum, quod fit propter sexûs imbecillitatem, & periculum in partu sustinendum; exempla sunt sequentia, *pr. Inst. quib. alien. licet. 1. ff. & C. ad SCt. Vellej. l. 12. C. qui potior. in pign. l. 5. §. 3. C. ad L. Jul. Maj. l. 15. §. 4. & 5. ff. ad L. Cornel. de fals. l. 2. §. ult. ff. de jur.*

fisc.

fisc. & *Novell.* 134. *cap.* 10. Hinc Imperator in *dict. l.* 12. §. 1. *C.* piissimè asserit, quis mulierum, inquit, non misereatur propter obsequia maritis præstanda, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem & educationem: sæpè enim edendo partum miserè moriuntur, cum deplorabili mariti, & consanguineorum aspectu & luctu.

Mutuum est contractus realis, quo quantitas datur, ut alia ejusdem generis & qualitatis posteà reddatur; vel quo quantitas sivè res fungibilis, hoc est, pondere, numero, & mensura æstimabilis eâ mente datur, ut fiat accipientis, sivè mutuatarii; ita tamen ut mutuanti tantundem ejusdem generis & qualitatis post certum tempus reddatur; nam mutuatarius obligatur postea idem genus in eadem quantitate & qualitate reddere mutuò danti. Indè colligere licet, quod in mutuo propriè non transferatur dominium, quia idem genere reddere debet, sed impropriè, dum dominium speciei, & non generis in mutuatarios transit, *l.* 2. §. 2. *ff. h. t.* Causa efficiens mutui est consensus contrahentium, nimir. mutuantis & mutuatarii, arg. *l.* 18. *ff. de reb. cred.* Causa materialis sunt res mutuò datæ, pondere, numero, & mensurâ constantes, quæ vocantur fungibiles, quæ functionem in suo genere recipiunt; nam unaquæque res ex isto genere vicem alterius subit, eademque esse videtur, si modo in eadem quantitate & qualitate reddatur, *l.* 2. §. 1. *ff. d. tit.* quales res (1) ratione ponderis in mutuum veniunt, aurum, argentum, panis, caro, piscis, &c. quia hæ res ut plurimùm ponderari solent: ast non liber, vel vestis: (2) ratione numeri sunt nummi, tegulæ, &c. non grex, neque jumentum, nec bos, aut sus, &c. quia hæ res quidem in numero conveniunt: verùm differunt in pondere, qualitate & pretio; & (3) ratione mensuræ, vinum, cerevisia, oleum, triticum, siligo, hordeum, avena: in his rebus omnibus bonitas, tanquam interna rerum fungibilium qualitas imprimis consideranda est, &c. Forma mutui in eo consistit, ut mutuans mutuatario rem fungibilem tradat, ut accipiens eâ pro arbitrio uti, vel abuti possit, *l.* 2. §. 16. *ff. d. t.* ejusque fiat, ut de meo fiat tuum: ita tamen, ut idem genus in eadem quantitate & qualitate posteà reddere obligetur. Unde liquet, (1) quod non liceat mutuatario novum vinum pro veteri bono vino reddere, licet sit idem genus, cum non sit ejusdem bonitatis sive qualitatis; (2) quod nummi crediti scil. ducati, vel imperiales in specie, in eadem quantitate & quali-

& qualitate, quâ dati sunt, reddi debeant; (3) nec plus quàm datum est, reddere debet mutuatarius, *l. 11. §. pen ff. h. t.* In mutuo tenetur mutuatarius casum præstare, in aliis contractibus non item. Ergò is, qui mutuum accepit, si rem mutuò datam incendio, ruinâ, naufragio, aut latronum vel hostium incursu amiserit, manet nihilominus mutuanti obligatus, *dict. l. 11. ff. h. t.* Causa finalis mutui est, ut res ad vitæ necessitatem opportunæ, quarum in consumtione usus est, inter homines communicentur, & ut alij aliorum beneficiis & auxilio benignè gaudeant, ac fruantur. Effectus mutui est duplex, (1) quod in mutuo transferatur dominium speciei & non generis in mutuò accipientem, *l. 2. §. 2. ff. de reb. credit.* (2) effectus est obligatio & actio ex contractu mutui oriens, quæ vocatur condictio certi ex mutuo ad hoc, ut creditum in eo genere, eâdem qualitate & bonitate reddatur, quâ datum est, *l. 3. ff. h. t.*

N*aturalia* non sunt turpia in se & suâ naturâ: indè non sequitur, ergò de pudendis, de coitu, de scortatione, illicitis amplexibus, & actibus aliis libidinosis coram virginibus & juventute liberè disserere licet; negatur consequentia; quoniam naturalia ratione circumstantiarum maximè sunt turpia, præsertim si proferantur contra moralia præcepta, vel jus divinum, aut bonos mores. Sic primum juris præceptum, (honestè vivere) gravissimè læderetur. Ergò semper piè, sobriè, castè, justè & honestè est vivendum. Hîc quæritur, an nuditas corporis homini naturâ sit probrosa, hoc est, ut homo nudo corpore incedat? Resp. quod non; ratio est, quia nuditas corporis in statu innocentiæ homini fuit naturalis, qui demùm post lapsum pudenda foliis tegere quæsivit.

Naufragorum res, in cujus terra sive territorio sunt appulsæ, apprehendentium vel domini territorij non fiunt, *auth. navigia C. de furt.* Excipe, nisi sint talia navigia, quæ pyraticam exercent pravitatem; ratio regulæ est, quia est contra jus Divinum, naturale, & humanum, ut miserè afflictis præter meritum addamus afflictiones, & ut ex aliorum damno iniquè quæramus commoda; estque contra æquitatis regulam in jure naturæ fundatam: quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.

Necare videtur, non tantum qui partum suffocat, vel abigit, sed & is, qui eum abjicit, vel qui ei alimenta denegat: item is, qui partum publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet, *l. 4. ff. de agnosc. & alend. liber.*

Necessitas (intellige inevitabilis) non habet legem, *l. 7. §. 3. ff. quod vi aut clam.* nam multa propter summam & urgentem necessitatem licent, quæ necessitate cessante non licerent, *can. 9. de consecrat. distinct. 1.* hinc statuunt jura, quod ea, quæ propter necessitatem recepta sunt, non debeant trahi in consequentiam, *l. 162. ff. de R. J. & c. 78. X. de R. J. in 6to.* sic (1) nemini regulariter licet esse judex in propria causa; ast si quis vi invadatur à latrone, vel alio malitioso, nec tutò absque vitæ periculo effugere potest, tunc Judex in propria causa esse potest, ut aggressorem, ad mala à se avertenda, necessitate sic urgente graviter vulneret, vel eum è medio planè tollat, quoniam vitam redimere quâlibet ratione innocentibus impunè permittitur, *l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sentent. mortem sibi consciv.* (2) tempore extremæ famis homini valdè esurienti licitum est, panem clam alteri auferre ad conservandam vitam; quia fames vitæ hostis est, & ensis acutissimus; jam verò contra hunc hostem, ejusque arma cuilibet extremè esurienti præsidia quærere licitum est, *l. 1. C. quando licet unicuique sine Judice se vindic.* talis quidem dicitur quadantenus furtum committere, attamen non dolosè contrectat rem alienam lucri causa; quoniam tempore necessitatis omnia ad victum pertinentia meritò debent esse communia, *distinct. 47. can. 8.* ideò in talibus casibus solent accuratiores JCti distinguere inter crimen & pœnam; crimen, dicunt, urgente etiam penuria committit homo, esculenta alteri auferens; pœna verò ob necessitatis vim illi remittitur. Sic (3) propter redemptionem captivorum permittitur rerum Sacrarum alienatio; ratio est, quia animæ hominum quibuscunque vasis, &c. præferendæ sunt, *l. 21. C. de SS. Eccles.* idem comprobat D. Ambrosius, aurum, inquit, habet Ecclesia, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus, &c. Extra necessitatis casum res sacras vel Ecclesiasticas alienare non licet: nam quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum vel exemplum trahi, *l. 162. ff. de reg. jur.* Sic (4) divites tempore summæ necessitatis in obsidione urbis cogi possunt, ut cibaria & alimenta in commune conferant ad omnium & singulorum necessariam sustentationem.

Negotiorum gestio est quasi contractus, quo quis sine mandato absentis & ignorantis negotia utiliter gerit, seque ad rationem de negotiis gestis reddendam tacitè obligat, *t. ff. de negot. gest.* & absentem quoque dominum sibi ad restituendum id, quod impensum est, ad-

ſtringit. Obligatio hæc ex negotiorum geſtione ob publicam utilitatem eſt introducta, ne abſentium & ignorantium negotia pereant, *l. 1. ff. de obligat. quæ ex quaſi contract.* nam accidit interdum, ut homines peregrè proficiſcantur, quaſi ſtatim redituri, & ob id nemini negotiorum ſuorum curam demandant; poſtea novis cauſis intervenientibus ſpe diutius interdum abeſſe coguntur. Quod ſi in his & aliis ejusmodi caſibus negotiorum geſtori non daretur valida actio ad neceſſarias, vel utiles impenſas ſibi refundendas; nullus utique abſentium negotia cum proprio ſuo damno curaret. Actio hæc negotiorum geſtionis perrarò frequentatur, dum refrigeſcente hominum charitate pauci inveniuntur, qui res alienas ob dominorum abſentiam neglectas ad ſe pertinere exiſtimant, easque fideliter adminiſtrare deſiderant. Ex dictis patet, quod tria ſint negotiorum geſtionis requiſita, (1) eſt, ut negotium abſentis & ignorantis ſit geſtum; nam ſi dominus ſciret, negotium ſuum geri, & cum poſſet, non prohiberet, mandaſſe intelligeretur; ratio eſt, quia qui tacet, in hoc caſu conſentire videtur, (2) ut negotium alterius ſine mandato geratur, & (3) ut alter ſe ſponté ſine juſſu alterius huic negotio obtulerit.

Nemo regulariter poteſt plus juris in alium transferre, quàm ipſe habet, *l. 54. ff. de reg. jur.* hæc regula ex jure naturæ deſumta eſt: natura enim non patitur, ut quis alteri plus dare poſſit, quàm ipſe habet, *c. 79. de reg. jur. in 6to.* huc commodè referuntur ſequentes regulæ, (1) nemo plus commodi heredi ſuo relinquit, quàm ipſe habet, *l. 120. ff. de R. J.* (2) non debeo melioris conditionis eſſe, quàm auctor meus, à quo jus in me tranſit, *l. 160. §. 1. ff. de R. J.* Ergò legatarius, cui fundus legatur à teſtatore, non poteſt meliori conditione accipere fundum, quàm quâ fuit antea penes teſtatorem, (3) qui in jus, dominiumvè alterius ſuccedit, ejus jure uti debet, *l. 177. pr. ff. de R. J.* Limitatur dicta regula 54. niſi Judex autoritate legis aliquid fecerit, qui imploratus dominium in alium per ſententiam validè transferre poteſt, quod tamen ipſe non habet, *l. 2. §. 1. ff. ſi ex noxali cauſa agatur.*

Nobiles immediatè imperio ſubjecti, nullum Statum imperii vel Principem præter Cæſarem agnoſcunt Dominum, quales ſunt in Franconia, Suevia, & circa Rhenum: attamen non ſunt Status imperii; ratio eſt, quia in imperii matricula non reperiuntur, nec ad Comitia imperialia vocantur, multò minus ſeſſionem, & jus ſuffra-

gii in iisdem habent; olim tamen Comitiis interfuerunt, quod successu temporis abrogatum, *Aur. Bull. Carol. 4. tit. 1.* §. der Fürsten und Rittermässigen Personen / ꝛc. Ex dictis constat, quod duo sequentia sint diversa, (1) Imperio Rom. esse immediatè subjectum, & (2) esse Statum Imperii. Illud habent suprà dicti Nobiles, hoc non item; sed Electores, Principes, quidam Comites, Barones, & liberæ civitates sunt Status Imperii, & ad Comitia admittuntur.

Nobilitas est cognita virtus & dignitas, ab Imperatore in homine virtuoso solenniter approbata, & in posteros jure sanguinis translata. Causa efficiens nobilitatis est Imperator, jus nobilitandi ex se habens. Causa materialis est homo ad nobilitandum idoneus, quem vel virtus militaris, vel prudentia civilis ad has eminentes dignitates gloriosè provehit. Causa formalis nobilitatis est ipsa à plebeja conditione exemtio per speciale privilegium vel diploma Imperatorium; sic Nobilitas ob eximiam virtutem civilem vel militarem alicui confertur. Effectus nobilitatis est legitima per continuam seriem sanguinis & familiæ in posteros continuatio. Nobilitas acquisita non transit in parentes, vel collaterales, sed saltem in descendentes sivè liberos utriusque sexûs jure hæreditario.

Nobilitas ex virtute suam trahit originem; virtus autem nobilitatem generans est duplex, militaris & civilis; illa legionibus, hæc legibus paratur; illa autorem habet Martem, hæc Apollinem sivè artes liberales. Virtus hominem verè nobilem facit, non divitiæ, non parentes, *Tiraquell. de nobilitat. c. 4.* quia virtus & animi qualitates cum spiritu in liberos non transferuntur, sed labore acquiruntur. Marius *teste Sallustio in oratione* dicit inter cætera: Nobiles antiquo stemmate nati contemnunt novitatem meam, (hoc est, nobilitatem meam nuperrimè acquisitam) ego illorum ignaviam; mihi fortuna, illis probra objectantur: quanquam ego naturam unam & communem omnium existimo, sed prudentissimum & fortissimum quemque generosissimum esse; & paulò post inquit: quod si jure me despiciunt, faciant idem majoribus suis, quibus uti mihi ex virtute nobilitas cœpit; deinde pergit; nunc videte, quàm iniqui sunt, (scilicet Nobiles origine sivè stemmate tales) quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt; scilicet quia imagines non habeo, (er kan nicht seine 16. Ahnen weisen von Vatter, und Mütterlicher Seiten) & quia mihi nova

nova nobilitas est, quam certè peperisse melius est, quàm acceptam corrupisse &c. Multi sanè ob virtutem ex infimo loco ad Regnum, Principatum, summaque honorum fastigia ascenderunt: exemplum habemus in Saule, asinas anteà pascente, *1.Reg.9.* & in David pascente oves: hi duo Juvenes nihilominus Reges facti sunt. Verùm teste Tacito *libr.17. annal.* mortalibus naturâ est insitum, recentem aliorum felicitatem ægris oculis intueri; hinc sæpè fieri solet, ut viro virtute propria nobilitatem generosè acquirenti ignominiosè objiciatur, er ist ein neugebackener von Adel. Sic per imprudentiam loquentes pessimè faciunt, dum virtutem, virtutisque præmium invidiosè supprimere cupiunt; cum virtus hominem virtuosum supra astra attollat, ac collocet. *Seneca Epist.88.* Ergo si nobilis potius genere, quàm virtute præclarus exprobrare tentet novo Nobili virtute illustri ignobilitatem, ei congruè respondere potest, genus meum à me incipit, tuum verò in te turpiter desinit; virtute non sanguine niti decet; quoniam miserrima res est, majorum & parentum saltem ostendere virtutem, nec ullam habere propriam. Hic quæritur, an nobiles in officiis tam civilibus, quàm militaribus obtinendis semper præferendi sint aliis? Resp. quod illud principiis juris regulariter sit adversum; ratio est, quia virtute, & non sanguine officia ambire oportet. Si verò Nobilis candidato cuidam ignobili virtute & dotibus animi sit par, vel melior, meritò præfertur; quia talis non tantum propriâ virtute se tali officio dignum reddidit, sed parentum meritis & splendore præ aliis maximoperè commendatur: hinc virtus dicitur in antiqua nobilitate fulgere, sicuti gemma in auro.

Nobilitas à primo acquirente incipit, in filiis pubescit, in nepotibus adolescit, & in pronepotibus perfectam demum consequitur ætatem; quod hodiè in principalibus & superioribus collegiis Canonicis sivè Ecclesiasticis & cathedralibus (auf den hohen Dhum-Stifftern) inter Principes, Comites, Barones & Nobiles accurate observatur, ut recipiendus in eorum ordinem octo generationes nobilium ex utroque latere (parente) sine ullo nobilitatis defectu probare possit, alioquin non admittitur; Daß einer von Vatter und Mutter / und derselben Groß- und Elter Vatter / auch Groß- und Elter Mutter von alters her ererbten Helm und Schild völlig auffzulegen habe; Sic olim etiam ad ludos equestres zum turniren non admittebantur, nisi qui suam nobilitatem ex 4. avis paternis & maternis probare potue-

rint, quod hodie meritò non obſervatur; ne Nobilitas virtute quæſita plus nimiò vileſcat. Ideo jus canonicum nullam antiquæ nobilitatis habet rationem; quoniam non generis, ſed virtutum nobilitas, vitæque ac morum honeſtas gratum & idoneum DEO faciunt ſervum; ad cujus regimen non multos ſecundum carnem ſivè ſanguinem ſaltem nobiles & potentes pro familiarum & generis ſplendore vocavit, (ſpretis omnibus aliis ingenio, doctrinâ, virtute & pietate illuſtribus, quos ut ut ortu ignobiles, ſed ſpiritu illuſtres præ aliis ſibi elegit Deus; quoniam Deo non nuda nobilitas virtute & pietate deſtitutâ eſt grata) verum illos, qui juxta virtutem & pietatem ſedulò operantur, prout ex Apoſtolorum exemplis patet &c. Attamen poteſt Imperator vi ſupremæ poteſtatis novo homini, (h.e. nuperrimè Nobili creato) gratiam facere, ut eum ad Collegia canonica cathedralia ſivè ſuperiora, & ad ludos equeſtres habilem efficiat vide *Pruckman in tract. de Regalib. c.4.* Hic nota, quilibet homo habet duos parentes, quatuor avos, h.e. avum & aviam à patre, & avum aviamque à matre, octo proavos, & 16. abavos; ſic ſemper aſcendentes duplicantur; ex his perſonis regulariter computatur antiqua nobilitas.

Nobilitas ex virtute orta non tollitur ob rerum egeſtatem, *l.7.C.de inceſt. nupt.* nam licet divitiæ ſint nobilitatis ornamentum, ac decus nobilitatis augeant, conſerventque; attamen non ſunt de nobilitatis ſubſtantia: interim familiæ nobiles & illuſtres abſque divitiis, vel ſufficientibus bonis ſæpè ſordeſcunt: quoniam divitiæ & opes pariunt potentiam, potentia dignitatem, quæ ſplendorem & decus familiarum nobilium ſummoperè augent & extendunt; hinc vulgò dici ſolet; præſtat divitem eſſe, & popularem, quàm Nobilem & mendicum. Ideo etiam Nobilibus egeſtate ſordentibus vita videtur eſſe ſupplicium, & mors ſolatium, cum nobilitas paupertate valdè deprimatur, *cap.8. X. de teſtib.* hoc eſt, paupertas Nobilium dignitatem valde obſcurat, diminuit, ac ſupprimit: hinc dicunt JCti, quod paupertas magnum ſecum trahat opprobrium, jubens neceſſitate ſic ſaudente quidvis facere, & pati; ſic pauper ſæpè à virtutis & honeſtatis tramite recedere cogitur &c. Quod ſi verò Nobilis utatur vilibus artibus mechanicis, nobilitatem amittit, *Tiraquell. de nobilit. c. 27.* quo reſpectu jura Romana prohibent, Nobiles commercia exercere, ne ſe contra dignitatem ad inferiora ſordidè demittere videantur. *l.3.C. de commerc. & mercat.* Sic nec Clericis vel

per

per se, vel per alios negotiari licet, quia commercia sine peccato regulariter esse non possunt, sed animum cupidine lucri occupant, ac ad varias mundanas curas indignè trahunt.

Nocens quomodo secundum jura tractandus? Resp. quod pro delicti qualitate sit puniendus *l. 16. ff. de pœn.* ast quoties in criminalibus dubium est, utrum accusatus sit nocens, vel innocens, tunc in dubio præstat nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare. *l. 5. ff. de pœn.* quod fit propter periculum sanguinis, & favorem innocentiæ, ne innocentes per calumniam & mendacium iniquè perire cogantur.

Nolle quid in jure denotat? Resp. juxta juris regulam, ejus est nolle, qui potest velle, *l. 3. ff. de R. J.* id est, qui habet potentiam volendi, ei datur etiam licentia nolendi; ratio est, quia nolle & velle tanquam relata ita se mutuò respiciunt, ut alterum sine altero esse nequeat. Hæc regula in testamentis habet locum; nam potest quis habere velle, (h. e. voluntatem condendi testamentum) & potest quoque habere nolle; h. e. liberè à condito, vel condendo testamento recedere; quia ultimæ voluntatis liber est stylus *l. 1. C. de Sacrosf. Eccles.* idem ratione contractuum dici potest, intellige, antequam contractus sunt initi; contrarium verò observatur post initos contractus; quia tunc neutri contrahentium invitâ altera parte ab initio contractu impunè resilire licet, cum res non amplius sit integra; nam quod ab initio in contractibus est voluntatis liberæ, id postea fit necessitatis *l. 5. C. de oblig. & action.* Cæterum furiosus, infans, impubes, mente captus &c. nec velle, nec nolle possunt; quia principia velle & nolle ipsis deficiunt, puta intellectus & voluntas, de quibus vide actiones humanas in antecedentibus, & in Medulla mea Justinianea Parisiis impressa.

Nolle. Superior regula à juris Interpretibus sequenti modo inflectitur: ejus est non nolle, qui potest velle, *l. 3 ff. de R. J.* ideo eam sic explico: quod ille possit aliquid pati, permittere & tacitè consentire, qui expresè velle, & consentire potest; ratio est, quia velle expressum & manifestum consensum arguit, *l. 5. C. de locat.* Contra, nolle expressum & manifestum dissensum postulat; ast non nolle tacitum consensum exprimit, dum tacens non contradicit: sic inter nolle & velle, non nolle est medium, patientiam significans: hinc quoties in jure quæritur, an quis aliquid noluerit, tunc ante omnia inspiciendum, an etiam voluisse potuerit; quoniam velle & nolle

ceu

ceu relata se invicem respiciunt, quorum alterum sine altero consistere non potest; sic nemo videtur nolle adire hæreditatem, qui eam jure adire nequit. Hanc regulam illustrat Seneca, si vis scire, inquit, an velim, effice, ut possim nolle; & Aristoteles *3. Ethic. ad Nicomachum.* quæ sunt in nostra potestate, ut ea agamus, etiam ea non agere in nostra potestate situm est; & vicissim, quæ non sunt in nostra potestate, ea non agere; nec in nostra potestate est, ut ea agamus.

Nomen falsum an homini impunè fingere liceat? Resp. falsi nominis vel cognominis adseveratio pœnâ falsi coërcetur, intellige, si quis in fraudem aliorum nomen dolosè mutaverit, *leg. 13. ff. ad L. Cornel. de fals.* Ast si sinè fraude & aliorum præjudicio nomen mutaverit, id facere licet, *l. un. C. de mutat. nom.* Nec arma sivè insignia in præjudicium alterius familiæ mutare permittitur; ratio est, quia illa inventa sunt ad cognoscendas & distinguendas familias, *leg. 1. §. 6. ff. de ædilit. edicto.* sicuti nomina sunt inventa, ad res & homines distinguendos & cognoscendos, *l. 10. C. de ingen. manumis.*

Notio in jure est duplex, (1) est simpliciter & in specie talis, vel (2) qualificata, quæ propriè vocatur jurisdictio *l. 99. ff. de verb. signif. l. 5. pr. ff. de re judic.* Notio in specie est nuda potestas cognoscendi & judicandi, jurisdictionem in se non comprehendens; qualem habent Judices pedanei, Centumviri, Arbitri, & olim Episcopi, *d. l. 5. & l. 8. C. de Episc. audient.* Notio qualificata sivè jurisdictio est potestas de causis controversis cognoscendi, judicandi, & judicati exsequendi, *t. ff. de jurisdict.*

Novi operis nunciatio est solennis prohibitio, vicino ædificanti facta, ne prius in opere novo ædificando pergat, quàm de jure ædificantis satis constiterit, hoc est, ne quis ædificando vel demoliendo in alterius præjudicium pergat. *l. 1. pr. ff. de novi oper. nunciat.* Hanc novi operis nunciationem sivè prohibitionem facit quis, aut juris sui conservandi causâ, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratia, *d. l. 1. § 16.* quando quis ædificando aut demoliendo pristinam formam ædium, vel aliûs operis illicitè immutat, *d. l. 1. §. 11.* Sic si quis sub ædibus suis cellam fodiat, id domino sic facere licet, ne vicinarum ædium fundamenta labefactet; sic etiam vicino ædificanti non licet, aliquid in vicinas ædes pro arbitrio immittere, nec supra alienum solum projecta facere, nec stillicidium in suo tecto ita diri-

dirigere, ut aqua pluvia in vicini aream, ædes, vel hortum cadat. Si vicinus hæc viderit, novi operis nunciatione illud damnum præcavere potest; quia factâ nunciatione ædificans prohibitus statim quiescere cogitur ab opere incepto, donec Prætor sivè Magistratus cognoverit, num justè, vel injustè ædificaverit. Quod si ædificans spretâ novi operis nunciatione (sivè prohibitione) ædificare pergat, dicendo; periculum esse in mora, vel nunciationem esse planè injustam; quo casu ædificans interdicto restitutorio conventus, opus contra prohibitionem illicitè exstructum, propriis impensis destruere cogitur, aut læso interesse præstare, si læsus eo contentus esse velit. Hæc novi operis nunciatio (sivè prohibitio) post ædificationem jam factam, ut opus destruatur, non amplius competit, sed tunc transeundum est ad interdictum, quod vi aut clam factum est, restituatur in priorem statum. Hac novi operis nunciatione solent interdum vicini ædificando nocere vicinis, (1) dolosè ex temeritate, (2) ex avaritia, (3) ex errore, vel (4) ex ignorantia: hiscè malis mederi solet Magistratus per novi operis nunciationem, sivè prohibitionem: nam nunciare hîc significat prohibere, *l. 1. ff. de nov. oper. nunciat.* Causa efficiens novi operis nunciationis remota est Prætor, qui hoc nunciandi jus introduxit, *l. 1. pr. ff. h. t.* Causa proxima est voluntas nunciantium, qui hoc jure utuntur. Causa impulsiva est naturalis æquitas, ut vicinus onera iniqua à se justè depellat; quoniam melius est, in tempore remedium contra intentatas injurias quærere, quàm demum post vulneratam causam, *l. ult. C. in quibus caus. restit. in integr. non est necesse.* Materia circa quam versatur, sunt structuræ, & res solo conjunctæ, non etiam mobiles *l. 1. §. 12. ff. h. t.* Forma ex præcedentibus patet, quia prohibitio hæc, ne quis in ædificando pergat, fit autoritate Prætoris sivè Magistratus per apparitorem *l. 16. ff. h. t.* Finis est, ut jus nostrum conservetur, damnumque depellatur, aut publicum jus tueatur, *l. 1. §. 19. ff. ibid.* Effectus est, ut cesset ab opere inchoato ædificator, donec Magistratus cognoscat, utrum justè, vel injustè ædificet; si verò id non fecerit ædificans, omne postea ædificatum destruitur, *l. 21. §. 1. ff. h. t.*

Nullius res quomodo tractandæ? Resp. res commercio hominum subjectæ, si nullius sint, cedunt occupanti, *§. 12. Inst. de rer. divis.* Ergo jure gentium aves, pisces, & feras in naturali sua libertate adhuc existentes, omnibus hominibus jure naturæ & Divino capere licet; DEUS enim omnibus hominibus in omnia bruta ani-

niantia terrestria, aquatilia, & volatilia dominium promiscuè concessit, *Geneseos 1. v. 28.* quod hodiè speciali jure Regum & Principum privatis ob certas rationes politicas severè est prohibitum; partim ut Reges & Principes venationem sibi, suæque animi recreationi tanquam magnum regale habeant reservatam; partim ne rustici venationis studio contra reipubl. salutem ab aratro avocentur, & latrocinari discant.

Nummus (pecunia) inventus est commercii & permutationis facilitandæ causa, ut commercia eò facilius exerceri possent, *l. 1. pr. ff. de contrah. empt.* antiquis enim temporibus nemo pro indigentia rerum poterat sibi absque nummorum subsidio ea, quibus indigebat, facilè comparare; quia id rarissimè accidebat, ut alius (Titius) id haberet superfluum, quod alter (Mævius) desideraret, & vice versa, ut Titius id accipere vellet, quod Mævius permutaturus offerret; neque res hinc inde extarent æqualis pretii & proportionis, quæ duo ob inæqualitatem & diversitatem valdè impediebant rerum permutationem: igitur necessum fuit, inveniri medium, quod vice rerum esset, & quædam quasi mensura ac ponderatio, quæ pro rerum diversarum varietate augeri & minui posset; ideo electa est argenti & auri materia, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret, & illa materiæ formâ publica percussa est, ut indè constaret, quanti valeret. Sic necessitas usum nummorum introduxit, *d. l. 1.* Nummorum verò valorem definire solent Imperatores, Reges & Principes imperantes, quorum publica signa, effigies vel emblemata in iis cusa exprimuntur. Attamen valor sivè æstimatio nummorum sic est facienda, ut à communi vicinorum populorum, cum quibus commercia exercentur, æstimatione non recedat: si enim unus vel alter imperans hoc non observaverit, sed pro sua autoritate nimis magnum valorem suis nummis imposuerit, vel materiam nummorum nimis vilem efficere curaverit, tum subditorum suorum commercia, cum vicinis populis corruptos hosce nummos accipere recusantibus, redduntur difficiliora; & per consequens toti reipubl. & omnibus subditis, imo sibi ipsi magnum damnum temerè infert.

Nundinæ à nono die, quasi novendinæ appellantur, quod ab antiquo Romanorum more originem trahit; quoniam rustici circa Romam habitantes olim quovis nono die res suas venales Romam defere-

ferebant. Hodiè sic describuntur nundinæ, quod sint conventus hominum mercandi, vendendique causa instituti. Nundinæ sunt vel vulgares (Wochen-Marckt/) vel solennes (Jahr-Marckt) quæ bis, vel ter quotannis in qualibet civitate vel villis instituuntur. Dantur etiam nundinæ generales, & maximè privilegiatæ die Messen/ quales sunt nundinæ Francofurtenses & Lipsienses, in quibus mercatores ob debitum civile contractum regulariter conveniri non possunt, *l.un. C.de nundi.* multò minus pro debito arrestari, quod fit ob eam rationē, ne nundinarum usus rigorosâ debitorum exactione quadantenus impediatur: nam si extraneis mercatoribus non concederetur illa immunitas & securitas, nundinas has generales sine metu judicii & arresti liberè adeundi, & indè impunè discedendi, nemo extraneorum mercatorum facilè peregrina loca commerciorum exercendorum causa adiret: ideò Imperator nundinas illas generales in tantum reddidit privilegiatas, ut quilibet â creditorum vexatione durantibus nundinis sit immunis. Ab hoc privilegio excluduntur fures nundinarum, & delinquentes alii, quos in securitatem Reipublicæ pro delictorum qualitate puniendos jura censent.

Nuptiæ dicuntur â nubendo sivè velando; quoniam olim mulier nupta pudoris ergo faciem tegere solebat velamine lutei coloris, inque mariti domum ducebatur. Hæc nuptiarum vox est æquivoca, triplicem admittens significationem, ideo in sua æquivocata est resolvenda, cum errorum genetrix sit æquivocatio semper. (1) accipitur pro festivitate & solennitate diei nuptialis *l. 24. C. de nupt.* quo sensu dicimus, convivas invitare ad nuptias, (2) sumitur pro ipsa corporum conjunctione, in hoc sensu sponsus convivas non vult invitare ad nuptias; manum de tabula: in hac significatione dicit facetus Comicus Plautus de muliere quadam valdè lasciva, illa quotidie viro nubit, nupsitque hodiè, nubet mox noctu, &c. (3) vox nuptiarum accipitur pro conjunctione animorum, quæ nascitur ex consensu matrimoniali, ut nuptias non concubitus, sed consensus facit *l.30. ff. de R. J.* Ex hac juris regula colligere licet, Imperatorem magis respicere ad conjunctionem animorum, quàm corporum; illa primariò, hæc per consequentiam saltem requiritur; quoniam corporum conjunctio ad matrimonii perfectionem non desideratur, *d.l. 30.* sed saltem ad ejus consummationem & complementum. Nuptiæ autem sivè matrimonium est legitima viri & mulieris con-

junctio, individuam vitæ consuetudinem & cohabitationem continens; quia hâc intentione & mente matrimonium ineunt desponsati, ut ad vitæ finem semper cohabitare, omniumque rerum, jurium & corporum communionem habere velint. Unde etiam nuptiæ vocantur consortium omnis vitæ, ut tam adversa, quàm prospera fortuna conjugibus sit communis, *l. 1. ff. de nupt.* Causas nuptiarum vide in titulo matrimonii.

Nuptiæ cum quibus contrahendæ, an eas æq; cum consanguineis, & affinibus, quàm cum peregrinis promiscuè contrahere liceat? Resp. quod non; ratio est, quia in nuptiis contrahendis pudor naturalis & jus sanguinis probè considerandum, *l. 14. §. 2. ff. de rit. nupt. l. 197. ff. de R. J.* ne quis cum illa matrimonio jungi quærat, quæ ex linea ascendenti vel descendenti est ob parentum liberorumque respectum *l. fin. ff. de rit. nupt.* nec eam sibi eligat, quæ ex linea collaterali sibi sanguinis nexu conjuncta est; ideo jus Divinum *Levitic. 18.* generaliter prohibet, quod nemo debeat ad proximam sanguinis accedere, ut relevet turpitudinem ejus; ideo nec soror ex fornicatione suscepta, uxor duci potest, quia idem subest sanguinis nexus, licet non sit ex legitimo matrimonio nata, *d. Levitic. 19. v. 9.* Attamen matrimonia inter fratrum, sororumque liberos tam jure divino, quàm jure civili sunt licita: sic quinque filiæ Zelaphehad nupserunt 5. patruelibus suis, *Num. 36. v. 8. & seqq.* item Amramus duxit Jochebedem patruelem, quæ ei peperit Aaronem, & Moisem. *Exod 6. v. 20.* licet jure canonico & jure hodierno germanico tales nuptiæ censeantur illicitæ, dum jus canonicum in quarto etiam gradu lineæ collateralis prohibeat matrimonium.

Nuptiæ vel sunt justæ, vel injustæ; hæ iterum sunt vel nefariæ, vel incestæ. Nefarias nuptias contrahunt ascendentes & descendentes in linea recta contra jus divinum; & in linea collaterali illi, qui sunt in primo gradu, vel in secundo lineæ inæqualis, quales nuptias Loth cum filiabus suis, Nero cum matre Agrippa, Caracalla cum Julia, Seleucus cum patris uxore impiè contraxerunt &c. Incestas nuptias contrahunt collaterales reliqui. Nefarias nuptias jura puniunt pœnâ mortis, *Levit. 20. v. 11. & 14.* sive fiant ratione consanguinitatis, sivè affinitatis: incestas verò mitius puniunt.

Nuptiæ secundæ quomodo in jure considerantur? Resp. parum honestè loquitur Imperator de secundis nuptiis, si mater secundis nuptiis jam funestata est, *l. 3. §. 1. C. de secund. nupt.* idem facit Chrysostomus

homil.

homil.2 omnes, inquit, scitis, secundas nuptias, quamvis contrahere legibus non prohibeantur soluti, multis tamen vituperiis esse obnoxias, & D. Ambrosius asserit, primas nuptias sub DEI benedictione celebrari, secundas verò & tertias esse permissas, sed absque gloria & benedictione: causæ odii in secundas nuptias sunt sequentes, (1) quia secundæ nuptiæ intemperantiam & libidinem præ se ferunt, (2) quia mulier bis nubens prioris mariti memoriam extinguere, eumque non sincerè ac constanter amasse videtur, & (3) mulier superinducto vitrico liberos prioris matrimonii negligere præsumitur, cujus salutem & amorem liberorum saluti & amori longè præfert: indè etiam querelæ inofficiosi testamenti nasci solent, quando parentes novercalibus delinimentis & instigationibus corrupti, contra proprium suum sanguinem, hoc est, liberos prioris matrimonii impiè condunt testamentum, *l. 4. ff. de inoffic. testam.* Quantum secundæ nuptiæ liberis prioris matrimonii sæpè noceant, norunt illi, quorum parentes ad secunda vota transierunt.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit, *l. 80. ff. de reg. jur.* quia illæ in contrahentium consensu essentialiter consistunt. Ob id asserit JCtus Ulpianus & Canones, quod non coitus & defloratio virginitatis matrimonium efficiat, sed maritalis affectio, *l. 32. §. 13. ff. de donat. inter vir. & uxorem, caus. 27. quæst. 2. c. 5.* cum initiatur, inquiunt, conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur, non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis, &c.

O*Bedientia* subditorum tàm jure Divino, quàm humano præcipitur. Ex illo fundamento tenentur omnes subditi in conscientia suis Regibus & Principibus venerationem, fidelitatem, & obedientiam præstare, vide *Paul. ad Roman. cap. 13. pr.* Ast si quid forsan contra jus Divinum subditis severè injungant, id non tenentur facere, *caus. 11. q. 3. can. 101.* ratio est, quia plus DEO, ceu Regi omnium summo, quàm hominibus est obediendum, quoties hi duo contraria jubent; in tali atroci casu dicas, clementissimè Domine, excuses tergiversationem meam; tu carcerem & mortem minaris, si jussui tuo severo non paream; verùm DEUS, si jussum tuum adimplevero, mihi minatur infernum, & mortem æternam, &c. Quis ergò mortalium, si micam conscientiæ habuerit, non magis timeat eum, qui animam cum corpore, quàm qui cor-

pus saltem delinquentibus occidit: sequamur ergò potius constanti animo pium illud Poëtæ monitum, quàm impiorum jussum:

Terra fremat, regna alta crepent, ruat orbis & orcus,
Cui comes est Christus, nulla ruina nocet.

Attamen ob turpe vel impium Regis vel Principis mandatum nihil contra eorum majestatem & unctos Domini hostiliter est tentandum: quia in Reges & Principes nemo habet potestatem aut censuram; sed illi solum DEUM agnoscunt Judicem & vindicem, *Psalm. 50. & caus. 23. quæst. 5. can 20.* ideò piè asseritur *Sapient. 6.* quod Reges ob libidines, crudelitates, latrocinia, impietatem, &c. pœnas dent non tibi, sed Deo, & quidem graviores cæteris; potentes enim potenter tormenta ferent, *d.c.6.*

Objecta (sivè materia) juris, vel Jurisprudentiæ sunt tria. (1) Personæ, (2) Res, & (3) Actiones, *§. fin. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* circa quæ tria omne jus versatur. Ast propriè loquendo, res saltem sunt objectum jurisprudentiæ; ratio est, quia justitia administratur personis de rebus per remedia actionum civilium. Ergò jus in personis est subjectivè, & in rebus objectivè; nam jus personis (quarum causa constitutum est) redditur de rebus controversis per actiones civiles in judicio institutas, tanquam remedia quædam; idcircò rectissimè dicimus: quamvis omnia, quæ in toto jure comprehenduntur, ad tria illa, nimir. ad personas, res, & actiones referantur, attamen propriè & formaliter non sunt objecta juris, sed res tantùm. Hîc posset quis Imperatorem Justinianum accusare ignorantiæ, quod præposterè obligationum materiam ad secundum juris objectum pertraxerit, cum illa potius ad primum juris objectum spectare videatur; dum persona personæ obligatur, *l. 3. ff. de O. & A.* Sed Resp. persona hîc non obligatur personæ ad personam solvendam, sed ad aliud aliquid: quoniam in obligationibus non agitur de statu & qualitate personarum, utrum persona sit sui, vel alieni juris, prout agitur in *t.t. Inst. de jur. person.* sed persona personæ obligatur ratione rei, quæ est remedium obligationis, ex qua tanquam ex causa dominium rei acquiritur; quod etiam est juxta obligationis definitionem, &c. Unde statuimus, quod obligatio sit in personis subjectivè, in rebus verò objectivè; quia obligatio non afficit personas quà tales, sed quatenus hic est debitor, & ille creditor; debitorem autem & creditorem esse, fit respectu rei, quam debitor creditori debet. Cæterùm hîc sciendum, quod mate-

materia juxta Philosophorum mentem sit duplex, prima & secunda. Materia prima est subjectum illud, quod consideratur sine omni forma tàm substantiali, quàm accidentali, (propriè vocatur ens rationis) quam intellectus sic sibi fingit, & ab omni forma præscindit: e. gr. animal à rationali & irrationali præscinditur; ejusmodi fictiones, seu chimeras nunquam existentes homo Philosophus sibi infinitas mente concipere potest, parum utilitatis in vita communi & studio juridico habentes, &c. Materia secunda vocatur eadem materia, sed illa affecta est formis vel accidentalibus, vel substantialibus. Circa hanc versatur jus & justitia.

Obligatio in genere est juris vinculum, quo quis ex quacunque causa astringitur ad aliquid alteri præstandum, dandum, restituendum, vel faciendum. Ex hac definitione constat, quod omnis obligatio fit ex jure, ideò etiam vocatur vinculum juris. Ergò omnis obligatio valida debet fieri juxta legum præcepta: nam quoties obligatio vel legibus, vel bonis moribus adversatur, tunc censetur nulla, & inutilis, vim obligandi non habens, *l. 7. §. 14. ff. de pact. & l. 5. C. de legib.* Hinc dum jus omnem obligationem producit ex facto hominis, inde sequitur, quod illud hominis factum ad producendam obligationem in se contineat vel conventionem, (sive contractum) vel delictum; hisce enim duobus modis jus ad obligationem inducendam uti voluit: quoniam homo non minus ex delictis commissis, quàm ex contractibus initis validè obligatur; hoc est, sicuti quis ex contractu inito quid debet, ita etiam ex commisso delicto ad pœnam subeundam obligatur: nam qui spontè delinquit, & directò peccare vult, per necessariam consequentiam pœnam tacitè mereri vult; seque quasi propriâ voluntate pœnæ subdere studet, *l. 34. ff. de jur. fisc. & l. 8. C. ad L. Jul. Majest.* Hîc porrò quæritur, utrum ex delictis nascatur quoque obligatio naturalis? Resp. affirmando, quia sequentes leges sunt naturales, & nobiscum natæ, (1) ut honestè vivamus, (2) ut neminem lædamus, & (3) ut suum cuique tribuamus. Ergò qui contra has leges naturales dolosè agit, is utique naturaliter se ad pœnam spontè obligat. Sed objicis: nemo præsumitur se spontè ob naturalem hominum inclinationem, (quâ sibi non malè, sed benè volunt) ad puniendum, corpusque suum affligendum obligare velle; dum potius omnia imminentia mala, cruciatus & pœnas à se manibus, pedibusque depellunt. Ad hoc Resp. licet delinquentes pœnam corporisque affli-

afflictionem immediatè nolint, & aversentur, per necessariam tamen consequentiam id quoque maluisse intelliguntur: alioquin ab illicito facto abstinuissent; qui enim non vult puniri, non debet delinquere. Causa efficiens obligationis est consensus contrahentium, *l. 1. §. 3. ff. de pact.* Causa materialis sunt omnes res, & omnia facta licita; nam rerum turpium non datur obligatio. Forma obligationis est pro voluntate contrahentium diversa; nam obligatio vel nudis verbis, vel literis, sivè chirographo, vel solennibus verbis sivè stipulatione, vel re contrahitur. Finis internus est, ut aliquid detur vel fiat, sivè ut aliquid præstetur. Finis externus est, ut actionem ad exigendum producat. Hinc etiam dicimus, quod obligatio non transferat in alium immediatè ipsius rei dominium sed personam obliget & astringat ad rem: quod fit ad confusiones & rixas in republica evitandas, ut id creditori solvatur, quod ei specialiter promissum est.

Obligatio est triplex, (1) vel naturalis tantùm, (2) vel civilis tantùm, vel (3) naturalis vel civilis simul. Obligatio naturalis est vinculum juris naturalis, quo quis astringitur ad solvendum id, quod debet naturaliter. Hoc vinculum JCtus Papinianus eleganter vocat vinculum æquitatis, quo solo obligatio naturalis sustinetur, *l. 95. §. 4. ff. de solut.* Hæc naturalis obligatio ex sola honestatis & æquitatis naturalis ratione profluit, ac jus naturæ pro fundamento habet, quæ in foro civili hominem non necessariò obstringit, e. gr. homo obligatur naturaliter ad ἀντίδωρα, sivè remunerationem, *l. 25. §. 11. ff. de petit. hered.* Sic etiam homo naturaliter obligatur ad eleëmosinas pauperibus distribuendas, attamen nemo cogitur ad eas solvendas actione quadam civili. Obligatio civilis tantùm est vinculum juris civilis, quo quis adstringitur ad solvendum id, quod debet civiliter tantùm. Obligatio naturalis & civilis simul est, quæ utroque illo vinculo & æquitatis & juris civilis nititur, in qua obligatione duo illa salubriter inter se commixta sunt: ob eam rationem dicitur obligatio mixta & valida. Hinc nuda obligatio naturalis, vel nuda obligatio civilis, absque naturali obligatione non producunt actionem aliquam civilem, *l. 7. §. 4. & l. 27. §. 2. ff. de pact.* Contrarium docet Jus Canonicum, *c. 1. X. de pact.* ex hoc fundamento; quia nihil tàm conveniens est æquitati naturali, quàm ut ea, de quibus contrahentes inter se convenerunt, custodiantur, ne fidem dolosè vel temerè frangere accusentur, *l. 1. ff. de constit. pecun.* Nuda ob-

da obligatio naturalis competit donatori, qui alicui aliquid donat, nam mediante beneficio donatarium sibi naturaliter habet obligatum ad remunerandum; attamen quia civilis obligatio non accessit, donatarius ad remunerandum jure cogi nequit: hinc dicunt JCti, quod nuda naturalis obligatio sit saltem philosophica quædam honestas, necessitatem remunerandi non inferens. Hîc notandum, quod non eadem ubique sit ratio & conditio omnium obligationum naturalium, cum una alterâ sit validior, alterâ debilior, cui jus civile non assistit: sic (1) pater filium ex naturali obligatione alere tenetur, approbante jure civili, *t. ff. de agnosc. & alend. liber.* (2) Mulier naturaliter saltem obligatur, quando illa contra SCtum Vellejanum pro alio intercedit fidejubendo; ratio est, quia SCtum improbat talem obligationem ob fragile mulierum judicium, *l. 16. in fin. ff. ad SCtum Vellejan.* quod fit in favorem mulierum, ne dote priventur: sic etiam (3) pupillus pubertati proximus ex consensu suo naturaliter duntaxat obligatur; ratio est, quia jus civile ejusmodi obligationem ob imperfectum & lubricum impuberis judicium infirmat in ejus favorem, ne iniquè lædatur, vide *in Medulla mea Justinianea Parisiis anno 1666. typis excusa. tit. ff. de SCto Macedon.*

Obligationes civiles in jure naturæ fundatæ non debent pendere ex alieno arbitrio, *l. 17. & l. 108. §. 1. ff. de O. & A.* nam si obligationes essent absque necessitate juris, vim stringendi non habentes, tunc frustraneæ forent, dum quilibet contrahens ab inito contractu pro arbitrio impunè recedere posset.

Obscurum in jure quomodo considerandum? Resp. semper in obscuris, quod minimum est, sequimur, *l. 9. ff. de reg. jur.* ubi primò inspiciendum, quid inter contrahentes dictum, actum, & cogitatum sit, *l. 3. ff. de reb. cred.* quod ex negotii circumstantiis colligi potest: si verò non apparet, quid actum sit, videndum, quid verisimilius, & quod plerumque fieri solet in hisce negotiis, *l. 114. ff. de R. J.* quod si nec ita obscuritas tolli possit, ad regionis consuetudinem confugiendum est, in qua contractus est celebratus, *l. 34. ff. de R. J.* quia ea, quæ sunt moris & consuetudinis, etiamsi expressè conventum non sit, veniunt in bonæ fidei judiciis, *l. 31. §. 20. ff. de ædilit. edict.* Dicta observantur in ultimis voluntatibus, contractibus, sententiis judicum, & delictis. Hinc si testator duos fundos ejusdem nominis, sed diversi pretii habens, unum ex his alicui

alicui legaverit, nec legatarius doceat fundum majoris pretii sibi specialiter relictum, tunc in dubio minorem duntaxat consequitur, *l. 39. §. 6. ff. de legat. 1.* ratio est, quia testator in dubio præsumitur heredem in eo saltem gravare velle, quod minus est, *l. 67. §. 8. ff. de legat. 2.*

Occasio est tempus actionis humanæ perficiendæ opportunum, quod in aggrediendo ac conficiendo negotio aliquo maximum habet momentum: hinc qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur, *l. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil.* ideò dicitur in *l. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar.* nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat.

Oculis magis, quàm auribus in testimonio ferendo regulariter est credendum; ratio in *§. ult. Inst. de gradib. cognat.* est expressa; quia veritas magis oculatâ fide, quàm per aures animis hominum infigitur: hinc etiam testimonium testis longè validius est, si dixerit: casum propositum scio, quia eum hiscè meis oculis vidi; quàm si dixerit, casum scio, quia à multis audivi, rem ita se habere. Eapropter dicunt JCti, testimonium de auditu non esse propriè tale, nisi in materia auditui subjecta. Cæteroquin non debent de negotiis, quæ sub præsentia eorum non sunt facta, ferre testimonium, *caus. 3. quæst. 9. can. 15.*

Officia, ad quæ quilibet mortalium jure naturæ obligatur, commodè ad tres classes referuntur, (1) officium hominis est, ut religiosè observet, quomodo se juxta dictamen rectæ rationis erga DEUM gerere debeat, quod in duobus maximè consistit; primò ut de DEO rectè sentiat, & secundò ut actiones suas ad DEI voluntatem piè componat; ne DEO summo Legislatori & gubernatori totius mundi in ullo temerè resistat; (2) officium hominis est, ut accuratè observet, quomodo erga se ipsum se gerere debeat; quod in sequentibus consistit: ut omnia faciat ad sui conservationem; & quæ ad sui destructionem vel incommodum directè, vel indirectè tendunt, pro viribus prudenter avertat: ne in ullo negotio humano iniquè lædatur, vel supprimatur, (3) officium hominis est, ut cautè & circumspectè notet, quomodo erga alios homines se gerere debeat, ne aliis sit molestus vel noxius; sed eos quovis potius modo adjuvet; ad quod eum partim dictamen rectæ rationis, & æquitatis regula obligat, (quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris) partim naturalis cognatio & socialitas invitat: nam natura cognationem quandam inter homines induxit; ideò consequens est, ut homo

ho-

homini potius prosit, ac officia præstet, quàm iniquam sibi invicem conditionem malitiosè proponant, aut insidias struant, vel vim inferant, *l. 3. ff. de just. & jur.* Hinc ob socialitatem humanam conservandam homines jure naturæ obligantur, sibi invicem mutua officia ultrò præstare, ut alter alteri inserviat, qui fructus est maximus socialitatis humanæ. Cæterùm officium liberorum erga parentes in obedientia, honore, & timore sivè reverentia consistit: filio enim semper honesta & sancta persona patris videri debet, *l. 9. ff. de obseq. par.*

Officia virtute ambire oportet, non prece, aut pretio, *t. t. ff. ad L. Jul. de ambit.* malè enim se res habet in republica, quando homines id pecuniâ illicitè expugnant, quod virtute solummodo occupare deberent. Sicuti in statu seculari per ambitus crimen mediante pecunia dignitates & honores sibi comparant indigni; ita nonnulli in statu Ecclesiastico interdum sacerdotia, vel dignitates Ecclesiasticas sibi per simoniam sordidè coëmunt, quod jus canonicum damnat, *t. t. X. de Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.*

Officium quodlibet personæ debet esse conveniens. Hinc nemo debet simul subire duorum officia, si sint incompatibilia; e. gr. nemo potest simul esse judex & actor, vel reus & testis in eadem causa: sic Advocatus non potest absque infamiæ & prævaricationis notâ duobus litigantibus sibi contrariis inservire in eadem causa controversa, *t. t. ff. de prævaricat.* Ast si officia fuerint compatibilia, iis quis licite præesse potest; sic potest quis simul esse Advocatus, & Notarius publicus, cum hæc duo sibi invicem non sint contraria; item potest quis esse simul Professor Juris, & Consiliarius Principis.

Officium suum nemini debet esse damnosum, *l. 7. ff. testam. quemad. aper.* Excipe, nisi quis proprio dolo, vel culpa sibi inde damnum contraxerit; damnum enim, quod quis propriâ culpâ sentit, sentire non videtur: sibi imputet, quod non cautius egerit, *l. 203. ff. de regul. jur.* Ergò si Procurator vel Advocatus ob propriam contumaciam à Judice pœnâ aliquâ pecuniariâ mulctatur, non potest damnum illud à cliente suo repetere contrario mandati judicio; ratio est, quia id damnum sibi ipse ex proprio delicto frivolè contraxit, *l. 46. §. 5. ff. de Procurator. & can. 86. de reg. jur. in sexto.*

Onera sunt duplicia, realia & personalia. Literatis & Clericis vacatio onerum personalium est concessa; onera tamen matrimonialia pro rebus & possessionibus ferre debent, *l. 5. C. de SS. Eccles.* ratio est, quia hæc onera ipsis rebus inhærent, non autem personis & capitibus: prædia enim per se ratione tributorum sunt obligata, & persona possidens non per se, sed prædiorum causa saltem est obligata, *l. 7. ff. de publican. & vectigal.*

Onera quis ferre debet? Resp. is regulariter ferre tenetur onera, qui percipit emolumenta; ratio est, quia secundum naturam est; commoda cujusque rei eum sequi debere, quem sequuntur incommoda, *l. 10. ff. de regul. jur.* Interdum tamen contrarium obtinet, ut si fœmina, vel furiosus, aut infans sint hæredes, qui ad hæreditatem admittuntur absque tutelæ onere, *§. un. in fin. Instit. de legitim. patron. tutel.* tunc alius cogitur esse tutor, nimirum proximus agnatus.

Oppignoratio rerum non transfert dominium in creditorem, sed possessionem saltem naturalem, *l. 35. §. fin. ff. de pignor. act.* quod fit in securitatem creditoris.

Ordo mortalitatis dicitur turbari, quando filius ante patrem moritur; ordo enim mortalitatis vult, ut is, qui prius in mundum venit, prius è mundo exeat, sivè moriatur, *l. 15. de inoffic testam.* & per consequens, ut filius patri, & non pater filio succedat in omne patrimonium, fiatque ex asse heres: attamen contingere solet, ut tàm facilè filius antè patrem contra patris votum, quàm pater ante filium moriatur.

Ordo in omnibus rebus multum facit; præsertim in studiis & processibus tàm civilibus, quàm criminalibus plurimum juvat, causam controversam illustrat, & faciliorem reddit, ac Judicem longè facilius instruit, ut sciat, quid de proposito negotio sit sentiendum, vel statuendum; qui verò ordinem in processibus non observat, summa imis miserè confundit, & equum per caudam frænare dicitur. Tales confusos Advocatos gravissimè reprehendit Crassus *apud Cicer. libr. 2. de Oratore.* Ita confusa, inquit, est oratio, & ita perturbata, nihil ut sit primum; nihilque secundum; tantaque insolentia ac turba verborum, ut oratio, quæ lumen debet adhibere rebus, ea obscuritatem & tenebras afferat, ac sibi ipsi quodammodo in dicendo obstrepere videatur. Ordo generaliter ita definitur: est rerum parium dispariumque apta dispositio.

Otium

Otium sumitur generaliter pro vacatione à negotiis: sed in sensu morali regulariter pro vitioso actu, hoc est, pro desidia accipitur, quo sensu dicunt: otia dant vitia, suntque pulvinar Sathanæ. Hinc Ovidius:

Quæritur Ægysthus, quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

(Idem Ovidius de Pont:)

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ.

Ob eam rationem homines otiosos in benè constituta republica tolerare non debet Magistratus, præsertim si tantum in bonis non habeant, unde victum & amictum honestè acquirere possint, tunc enim ad vitæ subsidia consequenda malis artibus operam dare solent; quoniam homines nihil agendo, malè agere discunt. Ad hæc mala in republica saluberrimè præcavenda, constitutæ sunt domus disciplinares (Zuchthäuser) in quas otiosi & desperatæ emendationis homines detruduntur, ut ibi ad labores cujusque ingenio, ætati & viribus convenientes pro viribus sic astringantur, ut, si debitum laboris pensum præfixo tempore non perficiant, non solum victûs vel alimentorum tenuitate; sed & fustibus, virgis, vel alio corporis cruciatu ad id condignè compellantur. Utili hoc compendio, & otii tollendi remedio flagitiorum radices in republica circumciduntur, vel eradicantur, & virtutis semina substituuntur: ideò ergastulis inclusi non priùs indè dimittuntur, quàm indubitata emendatioris vitæ signa publicè ostendant; ut sic imposterum reipublicæ utilitati, parentum autoritati, & familiæ honestati undique consulatur. Quod si talia ergastula sivè domus disciplinares ubique essent constitutæ, tot validi & petulantes mendici & homines otiosi, ceu inutilia terræ pondera, ubique locorum non invenirentur. Mendici corporibus validis secundum juris civilis dispositionem solent artificibus, ut pistrinariis, vel aliis ad ministerium tradi, *Novell. 80. c. 5.* ut in sudore vultûs, & non otio stipem petendo panem sibi acquirant. Eo fine *in Recessibus Imperii de anno 1548. & de anno 1555. sub tit.* von Bettlern und Müssiggängern/ prudentissimè cautum est. Wir wollen auch / daß ein jede Obrigkeit der Bettler und anderer Müssiggänger halben ein ernstliches Einsehen thue / damit niemand zu betteln gestattet werde / der nicht mit Schwachheit oder Gebrechen seines Leibes beladen / und dessen nicht

nothdürfftig sey. Item, daß auch der Bettler Kinder/ so sie ihr Brod zu verdienen geschickt seyn/ von ihnen genommen/ und zu den Handwercken/ oder sonsten zu Diensten geweiset werden/ damit sie nicht für und für dem Bettlen anhangen/ ꝛc. Parisiis, Amstelodami, & in aliis benè constitutis rebuspubl. mendicantes validi fossis civitatis, & viis publicis purgandis addici jubentur; ut eorum exemplo alii ab otio abstinere discant. Ex eodem principio Recessus imperii de anno 1576. tit. 28. Cingaros (Germanicè die Zigeüner) ceu pessimum hominum genus, ac imperio R. Germanico perquàm noxium sub gravissimâ pœnâ ê republ. tollere volunt: verba sunt sequentia: Derjenigen halber/ so sich Zigeuner nennen/ und hin und her in den Landen herumb ziehen/ gebieten wir allen Churfürsten/ Fürsten und Ständen bey den Pflichten/ damit sie dem heiligen Reich verwandt/ ernstlich/ und wollen/ daß sie hinfüro dieselben Zigeuner (nachdem man glaublich Anzeig hat/ daß sie Erfahrer/ Verrähter und Ausspeher seind/ und die Christen Lande dem Türcken und andren Christen-Feinden verkuntschafften) in und durch ihr Land nicht ziehen/ handlen/ noch wandlen lassen/ noch ihnen dessen Sicherheit/ und Geleidt/ auch kein Paßport geben/ da auch die Zigeuner einige Paßport erlanget hetten/ oder nachmahls erlangen würden/ diselbige wollen wir hiemit cassiret/ vernichtet/ und aufgehoben haben; meynen/ und wollen auch/ daß sich die Zigeuner des nächsten aus den Landen Teutscher Nation thun.

P*Acta* in genere sunt vel publica, vel privata. Illa sunt, quæ circa causam publicam â Principe vel Duce belli reipubl. causa fiunt. *l. 5. ff de pact.* Hæc scilicet privata sunt, quæ â privatis de rebus suis ineuntur. Hic probè observandum, quod pacta publica in genere variè dicantur; (1) ratione causæ efficientis; sic pactum publicum est, quod â publicâ persona fit, v. gr. ab Imperatore vel Principe, (2) pactum dicitur publicum respectu objecti, quod de republ. fit, e.gr. pactum passaviense, recessus imperii, pactum de regimine, vel legibus &c. quæ propriè vocantur pacta publica; ratio est, quia panguntur â personis publicis, & quidem de republ. propter utilitatem publicam. (3) pactum intuitu finis censetur publicum, quod pacis causa fit, ut instrumentum pacis, *d. l. 5.*

Pacta nuda jure civili non obligant, quia stant in puris terminis conventionis, quæ nullo legis auxilio juvantur, ad civilem obligationem producendam. Ideo ex nudo pacto non oritur actio civilis, sed saltem exceptio datur, *l. 7. §. 4. de ff. pact.* ratio juris civilis est; quod si homi-

homines, ob quævis promissa leviter vel inconsideratius facta, statim necessariò obligarentur, nullus unquam in foro humano litium esset finis; ideo ad excitandum virtutis studium longè honestius & utilius pro conservanda reipubl. Romanæ tranquillitate duxerunt JCti antiqui R. quædam ut nuda pacta relinquere hominum inter se spontaneæ fidei & probitati, quàm omnia arctis legum vinculis, ac durâ obligationum necessitate adstringere; ut pacta nuda ex libera potius voluntate, & bona fide paciscentium pendeant, quàm ex aliqua legum coactione: cum in necessitatibus nullus sit virtuti locus. Has politicas rationes Romanas jus canonicum negligit, contrarium statuendo: pax, inquit, servetur, & pacta custodiantur, *c.1. X. de pact.* ratio juris canonici est, quia illud non curat juris apices, sed substantiam fidei promissæ penitus considerat; imprimis verò animarum salutem in omnibus pactis, contractibus, & negotiis civilibus piè respicit. Idcircò sicuti Deus inter simplicem & solennem loquelam non facit differentiam, ita nec jus canonicum inter pactum nudum, pactum vestitum, contractum & stipulationem ullum facit discrimen, sed ex iis omnibus validam depromit actionem, *caus.22. q.5. can.12.* ratio prægnans est, quia in verbis nostris non debet esse mendacium; naturæ etiam humanæ nihil magis congruit, quàm fidem promissorum servare, ut fiat, quod dictum vel promissum est; nam fidem fallere grave est, *l.1. ff. de constit. pecun.* Ergo quicquid promisisti, servare debes; in quo justo ac pio fundamento hodierni mores & praxis omnium judiciorum jus canonicum sequuntur.

Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt servanda, *l.27. §.4. ff. de pact. & l.5. C. de legib.* e.gr. (1) si quis promiserit, quod velit hominem occidere, vel cucurbitare maritum (hoc est, marito cornua imponere) thorumque alterius conjugalem impiè violare; nam quicquid est contra bonos mores & conscientiam, illud nobis fingere debemus impossibile; ne gravissimè peccemus *l.15. ff de condit. instit.* sic (2) turpe est, si quis paciscatur de viventis hereditate; quia talis præsumitur habere votum captandæ mortis, *l.fin. C. de pact.* quò occasio commoda subministratur, vitæ ejus, cujus hereditatem sperat, insidias struendi; item (3) turpe est, si Advocatus cum suo cliente de quota litis pactum fecerit, ut si victoriam litis obtinuerit, quod tertiam vel quartam partem summæ controversæ pro mercede accipiat; quo casu Advocatus præsumitur patrocinium

causæ

causæ non amore justitiæ, sed cupidine sordidi lucri suspicere, ad vexandum quovis modo suum adversarium, quod tamen contra bonos mores & conscientiam; ne autem in talibus casibus delicto aperiantur fenestræ, jura Advocatis sub infamiæ pœnâ pactum de quota litis prohibent.

Pacta contractibus in continenti, hoc est, in initio sivè exordio contractûs adjecta, contractibus insunt, fiuntque pars contractus. Talia pacta adjecta certam contractibus dant formam & legem. *l.7. §.2. ff. de pact.* Ex hoc fundamento statuunt jura, si creditor cum debitore ratione pignoris in securitatem debiti sibi traditi ita contraxerit, ut debitor intra 8. vel 10. annos debitum solvat; sin minus, creditori liceat pignus vendere; quod hoc pactum contractui pignoratitio adjectum sit justum, vimque obligandi habeat. Ergo elapso isto præfinito tempore potest creditor pignus etiam absque denunciatione licitè vendere; ratio est, quia dies interpellat pro homine, *l.12.C.de contrah.stipul.* & pignus videtur debitoris voluntate vendi, qui ante in id liberè consensit; sed secus se res habet, quando de pignore post certum tempus distrahendo inter creditorem & debitorem nihil conventum.

Pacta dotalia fiunt 4. modis, vel (1) de dote constituenda; quia dos regulariter constituitur pactis dotalibus *l.4. ff. de pact. dotal.* vel (2) fiunt de illa exigenda, *l.11. ff. ibid.* vel (3) de ea retinenda, *l.24. ff. d.t.* vel (4) de dote restituenda, *l.9. & 10. ff. h.t.* Omnia talia pacta valent, quatenus sunt honesta, nec dotem in mulieris præjudicium valdè diminuunt; ne mulieres superstites indè reddantur indotatæ, quod non licet. Pacta dotalia maritus & uxor tam ante, quàm post nuptias licitè facere possunt: sic conjuges pactum dotale inter se facere possunt, ut superstes conjugi demortuo in omnia bona succedat. Ex dictis colligere licet, sicuti reliquis contractibus pacta adjecta legem & formam dant, *l.7.§.2.ff. de pact.* ita & doti pacta adjecta idem præstant, si saltem sint juxta leges & bonos mores. Ergo non valet pactum dotale, ut dos post mortem mariti, uxore adhuc superstite permaneat penes mariti heredes, *l.3. C. & l.2.ff. h.t.* ratio est, quia hoc fieret contra naturalem æquitatem in fraudem uxoris, quæ sic dote injustè privaretur. Cæterum pacta dotalia ex supervenientia liberorum corruunt; ratio est, quia liberis instinctu naturæ juxta parentum votum hæreditas debetur, *l.7. in fin. ff. unde liber.* Ob eam rationem parentes liberis sua bona auferre non præsumun-

sumuntur, cum sit commune parentum votum, ut sibi post fata sua succedant liberi, sintque ex asse heredes.

Pacta gentilitia reciprocæ successionis (Erb-Verbrüderung) In casu deficientium liberorum masculorum quidam Principes Germaniæ & certæ familiæ Illustres inter se facere & observare solent; ut si paciscentium alter sine herede masculo decesserit, superstes vigore pacti & jure quasi hereditario in omnia bona & jura defuncti succedit. Tale pactum fraternitatis ac reciprocæ successionis est inter Ducem Saxoniæ, & Landgravium Hassiæ, à Carolo 4. Imperatore in Comitiis confirmatum, ut si horum alter sine herede masculo moriatur, superstes sit universalis heres & successor legitimus; attamen sub hac restrictione, ut uterq; de decem millibus florenorum ante mortem liberè disponere possit. Tale etiam pactum Marchiones Brandeburgenses olim cum Ducibus Pomeraniæ iniverunt; unde Elector Brandeburgensis justo titulo Pomeraniam solus occupare prætendit, remoto Suecorum Rege: item Duces Bavariæ, & Comites Palatini; unde postea gravissimæ ortæ sunt lites. Ejusmodi reciproca pacta de mutua successione in omnia bona inter privatos jure civili sunt prohibita. *l. fin. C. de pact.* quia talibus pactis datur occasio commoda, alterius vitæ insidias struendi, ut ejus morte hereditatem per fas & nefas iniquè consequatur alter, qui beneficio pactorum eam prætendit.

Pacta quædam pignoribus adjiciuntur, quorum nonnulla sunt vel licita, vel illicita. Pactum licitum sequenti modo adjicitur; ut creditor fructus rei à debitore oppignoratæ pro usuris percipiat, donec illi pecunia credita plenè sit soluta, *l. 1. §. pen. & l. 11. §. 1. ff. de pignor.* tale pactum vocatur antichresis, *d. l. 1. §. 1.* verb. gr. ut creditor fructus fundi percipiat, vel domum debitoris inhabitet usurarum vice, *l. 33. ff. de pignor. act.* Antichresis oblatione sortis acceptæ tollitur, nam si creditor tantum ex fructibus rei oppignoratæ perceperit, ut sortem adimpleat, ulterius nihil accipere debet, *d. l. 33.* ideo pactum illud antichreseos nihil iniquitatis secum ferre dicitur, sed creditor suum creditum licito saltem modo reperit, & nihil ultra. Pactum illicitum pignori adjicitur, quando creditor cum suo debitore ita paciscitur, ut nisi debitor ad constitutum diem solvat debitum, pignus sit commissum, hoc est, debitor cadit dominio & proprietate pignoris, quod acquirit creditor; quale pactum meritò improbatur, cum sit contra *l. 14. ff. de condict. indeb.* in jure naturæ fundatam; nam qui

Ggg quæ-

quærit locupletari contra charitatem proximi, is injustè agit, & meritò rejicitur.

Pactum in jure dupliciter accipitur, (1) generaliter pro qualibet conventione, quo sensu contractum in se latitudine sua comprehendit, *l. 1. §. 3. & l. 7. pr. ff. de pact.* ita ut omnes contractus, transactionem, stipulationem &c. in se complectatur, (2) specialiter accipitur pro conventione minus valida, quæ à contractu differt, estque pactum propriè sic dictum. Pactum hoc est duorum, vel plurimum in idem placitum de dando vel faciendo conventio sive consensus &c. Pacta variè dividuntur, ut (1) in pacta publica & privata. Pacta publica sunt, quæ à Cæsare, Rege, Principe, vel Duce belli Reipublicæ causa fiunt *l. 5. ff. h. t.* verb. caus. quando de bello componendo, & pace ineunda tractatur. Privata sunt, quæ à privatis personis de propriis eorum rebus fiunt &c. (2) pactum est vel expressum, vel tacitum. Illud expresso contrahentium consensu constat; hoc ex tacito contrahentium consensu, sivè voluntate elicitur. Sic quando creditor debitori præstitam cautionem reddit, videtur tacitè pacisci de non petendo, *l. 2. §. 1. ff. h. t.* & qui reddit pignus in securitatem debiti sibi datum, jus pignoris remisisse censetur, *l. 1. §. 1. ff. de libert. leg. l. 7. Cod. de remiss. pignor.* attamen ob pignus redditum petitio debiti non tollitur, *l. 3. ff. h. t.* sic etiam res invectæ & illatæ in prædium urbanum locatum & conductum tacitè pro mercede ædium domino pignori sunt obligatæ, *l. 4. ff. ibid.* item fructus, qui in prædio rustico nascuntur, tacitè sunt pignori, *l. 7. §. 1. ff. in quib. caus. tacitè pign.* Ast in prædium rusticum illata tacitè non oppignorantur; ratio est, quia in illis expressa requiritur conventio, *l. 4. ff. ex quib. caus. ping.* (3) pactum est vel nudum, vel non nudum, sivè vestitum, *l. 15. ff. de præscript. verb.* Illud in nudo placiti fine consistit, & obligationem non producit; hoc scilicet pactum non nudum est iterum triplex, (1) est pactum legitimum, quod est obligatorium; ratio est, quia lege aliqua specialiter confirmatum est, ut ex eo actio nascatur. (2) est contractus, & (3) est pactum contractui in continenti adjectum, *l. 6. & 7. pr. & §. 1. 2. 3. ff. de pact.* Quamvis præceptum juris naturæ sit: quicquid alteri promisisti, id eidem serves; hoc tamen legislatores Romani olim per omnia in republ. R. ob corruptum hominum statum observare noluerunt, præsertim si quis saltem leviter alteri aliquid mediante nudo pacto promitteret, ut indè validè obligaretur, ad lites in republ. amputandas; hinc nemo ex con-

conventione nuda & promissis suis efficaciter obligabatur, nisi promissum nudi pacti terminos excederet; qualia vocantur pacta vestita, vel contractus. Ex dictis patet, quod Romani obligationem naturalem non planè sustulerint, sed eidem duntaxat in foro Rom. non adstiterint. Ast jus canonicum & praxis hodierna omnium Tribunalium in eo recedunt ab antiquo jure R. dum pacta nuda non minus censeant obligatoria, quàm pacta vestita, ut quis ex nudo pacto validè obligetur, & inde in judicio conveniri possit, *can. 1. & 3. X. h. t.* ratio est, quia omne promissum cadit in debitum. Causa efficiens pactorum propinqua est contrahentium consensus, *l. 1. §. pen. ff. h. t.* remota est lex, consensum paciscentium approbans, *l. 5. & seqq. ff. h. t.* Causa impulsiva est justa conventionis causa. Materia circa quam, sivè objectum, sunt res, vel facta honesta, quæ naturâ aut lege non prohibentur, *l. 7. §. 7. & l. 28. ff. h. t.* ob hanc rationem jura prohibent pactum inter ægrotum & Medicum contractum metu concussionis. *l. 9. C. de Profess. & Med. & l. 3. ff. de extraord. cogn.* sic etiam regulariter pacta non valent de hæreditate viventis, *l. 5. C. de pact. convent.* ratio est, quia talia pacta videntur conscientiæ & pietati contraria, *l. 2. §. 2. ff. de vulg. & pupill. subst.* ne inducant votum captandæ mortis contra nonum præceptum, non concupisces &c. Forma pacti in eo consistit, quod pactum sit promissio sine solenni interrogatione, sivè illud fiat per epistolam, sivè per nuncium, sivè vivâ voce, *l. 2. ff. h. t.* Finis pactorum est, ut id in effectum deducatur, quod in pactis est promissum. Effectus pactorum ratione juris naturalis & gentium, juris Canonici, & morum hodiernorum est, ut quis inde validè obligetur, *l. 7. §. 1. ff. h. t. l. 10. & 13. C. eod.* ratio est, quia congruum est humanæ fidei, in jure naturæ & gentium fundatæ, promissa & facta servare, *leg. 84. ff. de R. J.*

Parentes usque ad Tritavum speciali nomine in jure R. vocantur, ulteriores non habent specialia nomina, sed generaliter vocantur Majores. Contra, liberi usque ad trinepotem speciali quoque nomine vocantur: ulteriores generaliter appellantur posteri. *l. 11. §. 7. ff. de gradib. cognat.* Hic probè notandum, quod vitricus & noverca, privignus & privigna, parentum & liberorum loco generaliter habeantur *§. 7. Inst. de nupt.* intellige respectu nuptiarum & matrimonii, quod ideo inter se inire non possunt. Ast non censentur tales respectu successionis, à qua ab aliis heredibus sanguine conjunctis justè excluduntur.

Par in parem regulariter non habet imperium; ideo nec Prætor in Prætorem, nec Consul in Consulem habet imperium: datur exceptio à regula; nisi par vel æqualis (imo etiam major) se paris, vel æqualis (vel minoris) jurisdictioni spontè subjecerit *l. 13. §. 4. ff. ad SCt. Trebell. & l. 14. ff. de jurisd.*

Pares curiæ (sive curtis) aut domus dicuntur convasalli, sive Pares, qui ab eodem Patrono (Imperatore, Rege, vel Principe) feuda dependentia receperunt, quasi ejusdem patroni Clientes, *lib. 1. feud. tit. 11. 18. & 26.* qui feuda sua habent in eodem territorio, in quo beneficium feudi controversi situm est. Hi Pares Curiæ regulariter sunt Judices, quoties inter dominum feudi & vasallum ratione feudi oritur controversia *1. feudor. 22. §. 2.* ratio triplex est, quare Pares Curiæ, & non ordinarius Magistratus in ejusmodi controversiis constituantur Judices. (1) quia Pares Curiæ non præsumuntur aliquid contra juramentum fidelitatis præstitum Domino feudi detracturi; nec convasallo suo, seu consorti nocituri, ne sibimetipsis inde periculum immineat. Altera ratio est, quia Pares Curiæ sivè convasalli melius norunt morem illius curiæ, quàm Judex ordinarius, vel alius. Tertia ratio est, quia Pares curiæ ideo censentur necessarii, ne quid excogitetur falsitatis in perniciem domini, aliis testibus adductis, corruptis fortè pecuniâ, odio vel gratia; quæ omnia non sunt suspicanda in Paribus curiæ, *2. feud. 58. §. item sciendum.* Hic porro quæritur, an non omnes Pares curiæ debeant esse ejusdem dignitatis, hoc est, ut omnes sint vel Comites, Barones, Nobiles, Doctores &c. Resp. negando ob sequentes rationes. (1) quia juris est, ut Judex inferior possit inter reum & actorem majoris dignitatis licitè ferre sententiam, *l. 14. ff. de jurisdict.* (2) quia Pares curiæ non indè habent nomen & denominationem, quasi eorum par status, qualitas & potestas præcisè esse debeat, hoc est, ut si Vasallus, cum quo de feudo litigatur, sit Comes, vel Baro, ut omnes Pares curiæ quoque sint Comites vel Barones; cum & Nobiles, Doctores, vel alii esse possint, modo sint convasalli & ejusdem territorii. Ideo Pares curiæ dicuntur à paritate fidelitatis, vel quod pares & æquales sint inter se in eo, quod ipsorum res feudales unius domini territorio & curiæ, hoc est, domui dominicali subsint, *1. feud. 26 princ. v. testes & §. 1. ibi Pares domo domini.* Ast si vasalli ratione territorii sint dispares, licet unum eundemque habeant feudorum Dominum, tunc Pares

res curiæ non sunt censendi, e. gr. si vasalli non in uno territorio habitent, sed quidam in curia Francica, & quidam in Suevica aut Bavarica, qui feuda ab eodem domino recognoscunt, tales non habentur Pares curiæ propter curiarum disparitatem.

Paria sunt ratihabitio & mandatum, (intellige ratione effectus) *l. fin. C. ad SC. Maced.* nullum habere titulum, vel vitiosum; aliquid contra leges fieri, vel non fieri, *l. 6. ff. qui satisdar. cog.* ubi enim eadem est ratio, ibi idem quoque est jus. Hinc qui contra leges condit testamentum, vel facit contractum, ipse nihil facere videtur; quoniam hæc omnia irrita sunt, *l. 5. C. de legib.*

Parricidium propriè est homicidium dolosum, quo quis hominem arctissimo sibi sanguine conjunctum ex linea ascendenti, (parentum) vel linea descendenti, (liberorum) dolosè occidit, cujus pœna est culeus vel rota, vid. *Medull. meam ad tit. ff. ad Leg. Pomp. de parricid.* Quod si quis parentem, vel infantem suum præter intentionem & occidendi animum culposè necaverit, tunc gravissima mortis pœna non habet locum, sed alia levior delinquenti imponitur; quod comprobat Carpzovius in criminalibus *p. 1. q. 15. &c.*

Pars major alicujus collegii in votis ferendis pro toto collegio regulariter accipitur. Hinc quod major pars legitimè facit, regulariter omnes facere videntur; ratio est, quia major pars & totum ratione votorum in hoc casu æquiparantur: ex hoc juris fundamento regulariter refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partem, *l. 160 §. 1. ff. de R. J.* ita ut reliqui diversum sentientes in idem consentire cogantur: alioquin difficile, vel interdum nunquam negotia Universitatis vel Collegii expedirentur, si omnium consensus necessariò desideraretur, juxta commune Germanorum dicterium: viel Köpffe seynd schwer unter einen Hut zu bringen/ ob cōmunem dissensum. Omnes tamen, qui sunt de collegio vel universitate, ad negotium decidendū vocādi sunt, ne quid in eorum præjudiciū, vel contra eorum autoritatē fiat. Qui ritè vocati si cōparere nolunt, vel venire non possunt ob fonticas causas, perdunt vota: quod si verò quidā dolosè non sunt vocati, ut alii diversum sentientes majora faciant vota circa negotium, quod in collegio agitur, tunc id non habetur ratum, quia negotium non legitimè & solenniter tractatum est, *l. 47. ff. de R. J.* Regula hæc non in omnibus negotiis valet, sed de iis tantùm loquitur, & intelligenda est, quæ communia sunt pluribus quà universis, sive toti collegio; nam in iis negotiis, quæ com-

petunt pluribus quà singulis, ubi singulorum specialiter interest, major pars non potest præjudicare minori, *l. 11. ff. de servit. rust. præd.* sed consensus singulorum in illo negotio est necessarius; ratio est, quia quod omnes quà singulos tangit, ab omnibus etiam approbari debet, *c. 29. de reg. jur. in 6to.* Sic quando agitur de Archi-Episcopo eligendo & confirmando, in cujus consecratione debent esse præsentes omnes Suffraganei Provinciæ, quia illud negotium omnes tangit, ideò ab omnibus approbandum, *distinction. 66. c. 1.* Ut paucis rem absolvam; vota majora sivè plura valent in rebus ad universitatem vel collegium quà collegium spectantibus; ast non in iis rebus, quæ ad singulos de universitate vel collegio quà singulos pertinent: nam in his omnium & singulorum approbatio est necessaria; e. gr. si major pars collegii alicujus in tantum faveret partibus Regis Galliæ, ut salaria sua & reditus annuos ad conscribendum & alendum militem in Regis Galliæ auxilium contra hostes conferre vellent; reliqui, (sive minor pars) id in sui præjudicium contra spontaneam voluntatem approbare non tenentur, quia id negotium singulos concernit, eorumque ventrem arctius stringere videtur; hinc in omnibus negotiis, quæ sunt contra naturalem æquitatem, vel unius, aut alterius è collegio salutem iniquè lædunt, votorum pluralitas non observatur, sed voti robur ponderandum est, *t. ff. quod cujusque univers. nomine agatur.*

Partus septimestris à die nuptiarum vel morte mariti computandus dicitur partus legitimus & perfectus, sive sit in principio mensis septimi, sive in fine ejus natus, *l. 12. ff. de stat. hom.* & quicquid nascitur à septimo usque ad undecimum mensem exclusivè & non ultra, censetur legitimum, *l. 3. §. 11. ff. de suis & legit. l. 29. ff. de liber. & posthum.* quia JCti & Medici non putant, partum undecimo mense post mariti mortem demùm editum, ex defuncto esse conceptum; quia tempus gestationis in utero tamdiù regulariter non extenditur; quamvis certum collegium Medicum partum post mariti mortem sub initio decimi tertii mensis editum ex certis causis declaraverit legitimum, quorum sententiam pro articulo fidei non habeo. Num causa morbi genetricis partum tamdiù vitalem ultra legitimum tempus illæsum detinere possit, plurimi mecum dubitant. Quod si aliis in hereditate, feudis, & juribus indè non magnum inferatur præjudicium, ex misericordia conservetur genetricis honor, quæ impostertum cautius vivere discet, vel citius partum

edere

edere maturabit; sic etiam illæsus conservatur partus innocentis status, ne perpetuâ quâdam maculâ notatus ignominiosè vivat. Ex dictis colligere licet, quod partus quintimestris, vel sextimestris à die nuptiarum non sit legitimus, sed extra matrimonium concèptus, die verliebte Personen haben ihr Liebes-Feuer ein wenig zu zeitig angezündet / hinc factum, quod Pamphilus invito patre Simone apud Terentium vitiaverit Glycerium, &c.

Pater cogi potest ad alendos liberos pro modo facultatum, *l. 5. §. 7. ff. de agnosc. & alend. liber.* quia jure naturæ tenetur alere & conservare suum partum: cum nec lupus, nec corvus partum deserat, sed eundem tamdiu alit, donec sibi de victu ipse prospicere valet. Sic vice versa liberi tenentur alere parentes, si ad inopiam redacti sint, *l. 8. C. de bonis, quæ liber.* quoniam liberi post DEUM parentibus vitam debent, iisque pro alimentis, educatione, & curâ in infinitum jure naturæ sunt obstricti, quorum ingratitudo erga parentes DEO valdè displicet, estque contra quartum præceptum, *honora patrem & matrem.*

Patria est, ubi quis natus est: ast in sensu civili patria viro bono & virtuoso est, ubi ei benè est; quoniam omne solum in toto terrarum orbe viro literato est patria, ut piscibus æquor. Hinc in lingua vulgari haud incongruè dicitur: durch sonderbare Göttliche providenz und disposition geschiehet es / zu besserer Erhaltung der Menschlichen societät / daß die Menschen bald in dieser / bald in jener province und Königreich promoviret werden/auf daß qualificirte subjecta in fremden Ländern/ gleichwie schöne Blümlein in fremden Garten versetzet und gepflantzet werden; woselbst sie so viel besser zunehmen und hervor kommen. Wenn diese Verwechselung und translatio hominum nicht zulässig / wie viel vornehme ingenia würden zu Grunde gehen/ die in ihrem Vatterland nicht promoviret werden. Wie viele Unglaubige und Irrende/ so in proximo conversionis gradu seynd/würden sich von dem allgemeinen seligmachenden Glauben hâc injustâ denegatione unchristlich abhalten / die sonsten durch dieses gute Mittel heilsam darzu gezogen werden. Ideò rectissimè dicitur, nihil refert, in quo quis loco & regione natus, modò se virtuosè alibi gerat; ego potius bonum Germaniæ civem credam eum, qui in extrema Scythia natus benè de Germania, in qua pro tempore vivit, cogitat ac meretur, quàm qui in Germania natus & educatus locum, libertatem & gloriam ejus perdere mavult, & impiè conatur, quàm eadem

omnia

omnia in salutem dulcis patriæ piè conservare quærit; ratio efficax est in promtu, quoniam virtus & fidelitas faciunt peregrinos naturales & cives, ut quasi ibi & nati, & perpetuò exstitisse credantur.

Patria potestas est jus personæ patri, vel avo in liberos ex justis nuptiis procreatos, jure civili competens, *t. Instit. de pat. potest.* Hic quæritur, utrum patria potestas soli patri, an etiam matri competat? Resp. affirmando prius, & quidem ob sequentes rationes, (1) quia pater est familiæ caput, qui naturâ liberis imperat, ut Rex subditis, *l. 196. de verb. signif.* (2) quia uxor marito, tanquam capiti parere cogitur: ideo illa æquale cum patre in liberos jus prætendere nequit &c. Hæc patria potestas tribus constituitur modis, (1) justis nuptiis, sicuti regulariter fieri solet, (2) adoptione, & (3) legitimatione; hi duo posteriores modi sunt irregulares: hinc fit, quod omnes illi, qui ex injustis nuptiis, aut concubinatu nascuntur, in patria potestate non sint; quoniam tales patrem propriè habere non intelliguntur, *l. 19. & l. 24. ff. de stat. hom.* is enim solus & propriè dicitur pater, quem nuptiæ demonstrant, *l. 1. ff. de in jus vocand.*

Patria potestas in jure diversimodè consideratur: nam si velimus patriam potestatem absolutè & indefinitè, hoc est, ratione originis considerare, tunc non est juris civilis, sed juris naturæ, ut patet *ex l. 2. ff. de J. & J.* ratio est, quia naturæ humanæ insitum est, patri obedientiam præstare; Ideò pater naturâ liberis suis imperat, eosq; regit, sicuti Rex suos subditos. Verùm si patriam potestatem relativè consideremus, tunc est juris civilis, *l. 3. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. jur. & l. fin. C. de patr. potest.* quoniam parentes jure Romano immensam & immoderatam olim in filios habebant potestatem, (1) habebant jus vitæ & necis in liberos, *l. 11. in fin. ff. de liber. & posthum. hered. instit.* (2) patri impunè erat permissum, filium premente fame vendere, *l. 2. C. de patr. qui fili. distrab.* (3) filius non poterat mutuum contrahere, sive pecuniam mutuò sumere absque patris consensu, *t. t. ff. ad SCt. Maced.* (4) quicquid acquirebat filius, patri cedebat, exceptis bonis castrensibus, & quasi castrensibus, (5) filius non poterat celebrare nuptias invito patre, *l. 2. & 3. ff. de rit. nupt.* hanc immoderatam patriam potestatem restringunt hodierna jura, ne pietas & naturalis in liberos affectus impiè violetur. Hinc sicuti hodiè dominorum in servos, ita parentum in liberos potestas est coarctata: quoniam parentum potestas magis in pietate, reverentia, & obsequio, quàm in atrocitate consistere debet.

Ergò

Ergò illis amplius non competit jus vitæ & necis, prout olim *l. 11. ff. de liber. & posthum l. 5. ff. de parricid.* Permittitur tamen parentibus adhuc hodiè, filium immorigerum modicè castigare, vel verberare, aut conclavi alicui includere, ad corrigendos ejus perversos & corruptos mores.

Patria potestas per matrimonium filiæ solvitur, dum ex patris familia in mariti familiam transit, *l. 195. §. fin. ff. de verb. signif.* etiamsi illa cum marito ædibus & mensâ patris utatur, fruatur; tamen immunis est à patria potestate; ratio est, quia mulier in tutelam mariti perveniens, non potest amplius esse in potestate patris, arg. *§. 3. Instit. de tutel.* ideò filia dicitur familiæ caput & finis. Finis dicitur familiæ paternæ, ex qua abit, & caput est illius, scilicet mariti, in quam transit, dum novam cum marito constituit familiam.

Patriæ potius, quàm parentibus parendum est, si utrique in eodem casu parere non possumus, *l. 19. §. 7. ff. de captiv. & postlim. reverß.* quia salus publica privatæ saluti est præferenda, aliàs in omnibus casibus licitis quantum possibile, parentibus parendum est, ne eorum maledictio liberis gravissimè noceat.

Pauperies est damnum sine injuria facientis datum, *l. 1. §. 3. ff. si quadrup. paup. fecis. dicat.* ubi damnum ab animali irrationali illatum resarciendum est; hinc actio de pauperie est, quâ damnum à quadrupede mansueta, vel alio animali irrationali contra naturam sui generis spontè commoto illatum vindicatur; quo casu convenitur istius animalis dominus, ut is aut animal, quod nocuit, dedat, aut æstimationem noxæ, sive damni solvat, *d. t. ff. & §. 1. Inst. ibid.* nam quando animalia mansueta ratione carentia damnum alicui ultrò inferunt, id dicitur pauperies, quia animalia hæc ob rationis exilium propriè delinquere non possunt. Ergò quoties animal mansuetum ex lascivia contra naturam sui generis alteri nocuit, vel animal ferum in alicujus dominio & custodia existens damnum alicui intulit, tunc dominus animalis æstimationem damni solvere, vel animal noxæ offerre cogitur, *d. l. 1. pr.* Hinc hodiè in ordinatione criminali Caroli quinti *art. 136.* cautè provisum est, quod pauperies sive damnum ab animali illatum arbitrio judicis, vel boni viri sit æstimandum, & à domino animalis nocentis solvendum. Quod si verò damnum ab homine libero dolo, vel culpa sit datum, id vindicatur lege Aquilia, *t. ff. ad L. Aquil.*

Pauperes adjuvandi sunt; quoniam pium & gloriosum est subvenire egenis, ac iis de alimentis prospicere, ne ullâ urgeantur necessitate, *l. 12 C. de SS. Eccles.* hæc est via regia, hominem virtuosum ad cœlum directè ducens.

Paupertas quidem non est de genere malorum, *c. illa. 15. quæst. 1.* attamen in judicio plus creditur testi diviti in causa controversa ardua, quàm pauperi ob metum subornationis, *l. 3. princ. ff. de testibus.* quoniam talis ad depellendam famam facilè pecuniâ corrumpi potest.

Pax est belli finis optabilis, attestante S. Augustino, quia Reges & Principes ideò justa vel injusta gerere solent bella, ut adversarios suos vincere velint; & sic mediante gloriosa victoria auream pacem tandem consequi: etenim pace nihil est exoptabilius, cum pax sit vinculum charitatis, rerum ac personarum securitatem pariens, *c. 13. X. de judic.* prout ex ipsius DEI promisso *Levitic. 26. v. 20.* satis constat: dabo pacem in finibus vestris, dormietis, & non erit, qui vos exterreat, &c. Quantum commodi ac salutis secum ferat pax, nobis annunciat Salvator *Matth. 5. v. 9.* beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur, &c. Pacem quidem optat voluntas, sed bellum cogit necessitas; igitur bellum necessarium jure Divino & humano est licitum ad sui, suorumque defensionem, *Recess. Imperii de anno 1542. §.* und dieweil/ *l. 3. ff. de just. & jur.* cum vim vi repellere liceat.

Peccatum in genere dicitur temeraria legis violatio; vel quod idem, peccatum juxta Sanctum Augustinum dicitur malum voluntarium; ratio est, quia peccata regulariter ex voluntate procedunt, *c. 1. c. 15. q. 1.* hinc deficiente peccandi voluntate regulariter in jure deficit peccatum, *l. 53. ff. de furt.* Hic Calviniani incautè asserunt, Deum esse quadantenus autorem peccati, quod contra Dei misericordiam, & ejus assertum, (ita vivo, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.) Hinc mens & voluntas hominis moventur à DEO, non quidem per necessitatem absolutam, acsi homo in rebus mundanis pro suo arbitrio nihil agere possit, vel agat; sed secundum quid, ut homo res mundanas & externas pro suo placito sedulò disponat & curet; DEUS enim mortalium neminem sic cogere vult, ut eum quasi obtorto collo in regnum cœlorum coactè trahat; sed dicit, quærite regnum cœlorum, & dabitur vobis, &c. Causa peccati primaria est diabolus, homines ad peccata committenda

mira-

mirabili astu astutè impellens. Secundaria verò causa est perversa hominis delinquentis voluntas, *Rom. 5.* quæ pravis concupiscentiis & affectibus obsequium præstat, quod fit contra DEI voluntatem; quoniam DEUS peccatum non vult, sed odit, detestatur & punit *Psalm. 5. v. 5.& 7.* Ob id meritò optandum foret, ut ad evitanda peccata mortalia sequens pium & constans sanctorum Virorum assertum omnium mortalium mentibus firmiter esset impressum, quod mori, quàm semel mortaliter peccare mallent, cum peccatum sit omnium miseriarum pelagus, ac animæ mors. Ejusmodi sanctissimas cogitationes fovit verecundissima Susanna, melius est mihi, exclamavit illa, absque opere meo incidere in manus vestras, quàm mortaliter peccare in conspectu Domini: nam sicuti surculus successu temporis sensim excrescit in sylvam, gutta tumescit in oceanum, & scintilla gliscit in incendium, ita unum peccatum mortale secum infinita trahit, æterno suppliciorum cruciatu compensanda. Eâ de causa Sanctus Chrysostomus prudentissimè ac piissimè dixit: se Regum & Principum minis & irâ non terreri, sed saltem peccatum mortale gravissimè timere, ne eo animam mortaliter polluat; quoniam homo lethali crimine contaminatus, justè censetur vilior & miserabilior cane, porco, lupo, vel alio sordido bruto animali, dum hæc animalia unam duntaxat naturæ mortem debent; homo verò in mortali peccato existens duas debet mortes, unam naturæ brevem, sed alteram DEO æternam: sic peccatum mortale sævit in hominem indesinenter à sæculo ad sæculum, nisi antè vitæ finem condignè expietur. Vah quàm momentosa & ponderosa est æternitas! quàm inexplicabile æternum Beatorum gaudium, quàmque horribilis & inexplicabilis æternus damnatorum cruciatus! Spretis nihilominus hiscè omnibus tàm liberè peccant homines, quasi DEUS eos peccantes non observaret; tàm audacter in peccatis perseverant, quasi DEUS peccata non prohiberet, tàm impudenter peccata committunt, quasi DEUS hæc omnia non videret.

Peccatum regulariter non dimittitur, nisi restituatur ablatum, *c. 4. de R. J. in 6to.* intellige, si subtrahens facultatem restituendi ablatum habeat, quia rem alienam contra animi sui conscientiam, & contra bonam fidem in proximi damnum dolosè detinet, sicque peccatum mortale committit, & ad gehennam ædificat, *c. 13. X. de restitut. spolit.* quod si autem auferens omni modo facultate restituendi sit

destitutus, & propositum restituendi sincerè habuerit, remittitur ei peccatum, superveniente cordis contritione; quoniam peccati venia non datur nisi correcto, *c. 5. de reg. jur. in 6to.* qui enim in errore & peccato impiè persistit, ei venia culpæ sive peccati concedi nequit, *caus. 24. quæst. 2. can. 2.* multò minùs venia pœnæ eidem remittitur, ut si quis alat concubinam, & confiteatur confessario suo, se in tali hærere carnis peccato, sed concubinam à se non dimittit, talis non corrigitur, quia nullum habet propositum corrigendi vitam libidinosam; ob id confessio ejus confitenti non prodest quoad salutem æternam; cum non sit correctus, sed hæret adhuc in eodem crimine & peccato mortali, & manet inimicus DEI. Verùm si delinquens in confessione cum cordis contritione firmum propositum corrigendi vitam habuerit, veniam culpæ sivè delicti consequitur, *caus. 24. quæst. 2. can. 2.* attamen non statim etiam veniam pœnæ plenè intelligitur consecutus, *2. Reg. 12. vers. 14.* hæc venia pœnæ appellatur impunitas, quam per bona opera, pœnitentiam & alia pietatis officia tandem consequitur delinquens. Hîc porrò nota, quod jejunia, piæ orationes, & alia bona opera, quamvis in se pia, & ad vitam æternam consequendam plurimum operentur, homini nihil prosint, nisi mens ab iniquitate & perpetratis peccatis revocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur, *c. 23. de consecratione distinct. 5. & c. 21. de pœnit. distinct. 3.* nam cui non est constans propositum piè emendandi vitam, sed post devotionem, pœnitentiam, & confessionem mox iisdem peccatis se spontè contaminat, is parum aut nihil ad sui conversionem & salutem æternam operatur; ideò *Matth. 7. v. 21.* expreßè docetur: non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonné in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia non novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem: omnis ergò, qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum supra Petram, &c. Quod is non facit, qui decem præcepta ex proæresi temerè violat, vel eadem per nova entia moralia innovare, & impiè evertere conatur, ut Magister Samuel Puffendorff, qui insuper sibi falsò persuadet, ea rusticis & simpliciori-

bus

bus saltem à DEO esse præscripta, non verò sibi, vel politicis, aut majora ambientibus. Vah quanta in homine docto mentis perversitas! O DEUS misericors effice misericordiâ tuâ in nobis, ut omnia illa vitia, quæ nostra malitia & fragilitas humana nobis conciliavit, ê cordibus nostris eradicentur; illumina mentem nostram mundanis vanitatibus obscuratam, ut squalorem peccatorum nostrorum plenè cognoscamus verâ cordis contritione, & piâ confessione. Fac nobis hanc gratiam, ut cum Petro peccatore peccata nostra intimitus deploremus, cum suspirantibus Ninivitis clementer exaudiamur, cum pœnitentiam agente Davide absolvamur, cum tristi peccatrice Magdalena in fide erigamur, ac cum humili Publicano justificemur; dissolve mentis nostræ duritiem, ut agnitis nostris peccatis in viam virtutis, pietatis & salutis tempestivè reducamur, tibique uni vero DEO æviternum plenariè inserviamus, & in omnem æternitatem cum omnibus electis in cœlo pleno ore cantemus: Gloria in excelsis DEO. Amen.

Peculatus crimen est fraudulosa contrectatio pecuniæ publicæ, ab eo, cujus fidei & custodiæ commissa est, perpetrata, *t. t. ff. ad Legem Juliam peculat.* hinc in jure nota differentiam, quod ob dolosam rei privatæ subtractionem clam aufertur, vocatur furtum, & quod ob pecuniæ publicæ subtractionem aufertur, vocatur peculatus.

Pecunia censetur omnium rerum mensura, & est rerum gerendarum nervus; hinc sicuti Medici negant, hominem sine nervis ambulare posse; ita sine pecunia hominem non posse commodè vivere, statuo; cum pecunia hominibus sit quasi alter sanguis & animus, quam qui non habet, inter vivos ut cæcus & irrationalis ambulat, & ut mortuus vivit; nam divites, ut ut naturâ simplices, plus ratiocinantur pecuniâ, quàm optimus Philosophus vel JCtus: ad hoc respexit Poëta, cum dicit:

Vita hominum pelagus, Regina pecunia nauta,
navigat infelix, qui caret hujus ope.

Quanquã pessima hominum opinio in corruptis his ultimis mundi temporibus contra Dei voluntatem & moralia præcepta indignè introduxerit morem, ut pecunia plus, quàm virtus, eruditio, & dotes animi sit in pretio; quo fit, ut divites Mercatores, opifices & alii vulgares personæ ob divitiarum præsidium sæpissimè viris eruditione & animi dotibus ac dignitate fulgentibus injustè præferantur &c.

Ex pecuniæ defectu etiam interdum fit, ut Duces tempore belli summis vitæ periculis exponantur, quando militibus stipendium debitum justo tempore ad necessaria vitæ subsidia consequenda exigentibus id non solvunt; sed iis loco stipendii verbera & vulnera solvunt, aut eos carceri mancipant; tunc tumultuari & rebellare solent, prout nuperrimè in Franconia à militibus Lüneburgensibus factum, Gallis eo nomine in sinum gaudentibus. Ergo juxta principia politica haud absurdè dicitur, quod pecuniæ obediant omnia, dum ei & ratio, & prudentia sæpissimè cedant; ubi & genus & formam regina pecunia donat: quò refertur id, quod vulgò dici solet: amor vincit omnia, das leuchst du spricht pecunia, denn wo ich pecunia nicht bin/ da kombst du amor selten hin: Wie mancher praver junger Kerl liebet eine alte Frau / oder gebrechliche Jungfrau umb das blosse Geld; & vice versa, manche schöne Jungfrau liebet einen alten/ kalten/ heßlichen und wiederwertigen man umbs Geld ꝛc. Hinc cum Imperatores, Reges & Principes viderunt, tantam vim & efficaciam inesse pecuniæ, summâ ope nisi sunt, ut ærarium & arcam publicam sibi procurarent, in quâ pecunias quovis honesto modo collectas congererent custodiendas, quibus tempore necessitatis reipubl. subvenire, hostium incursiones validè avertere, bella justè gerere, publica ædificia & sacras ædes erigere, academias dotare, ægris subvenire, bene meritis stipendia & honoraria tribuere, & totam rempubl. salutari hoc remedio in tranquillum statum reducere possent. Contra, inordinata pecuniæ cupido plurima mala secum ferre solet, quod ex subsequentibus meis versiculis patet.

Geld ist der Welt ihr Gott/Geld treibt zu böse Thaten/
Hasst Tugend wie das Gifft/ thut Leib und Seel verrathen;
Geld hasst was heilig ist/ beschimpfet manchen Mann/
Durch böser Frauen List/ die er nicht leiden kan (a)
(a) (sæpissimè enim uxorum pudicitia amore auri evertitur)
Geld blendet die Natur/ daß Eltern Kinder hassen/
Daß Brüder/Schwester/Freund aus Geitz sich thun verlassen (b)
(b) (dum de hereditate & bonis inter se dividendis acriter pugnant)
Geld macht viel tausend Streit / bringt Leib und Seel in Noth/
Daß mancher Geitzhals ist im Leben gleichfalls todt.
O sehr verfluchter Geitz! der gar zum Teufel führet/
Der Leib und Seel verraht/ wie man gar offt verspühret/

Der

Der Länder setzt in Noth/ wie neulich ist geschehen/
Da man dem Käyser selbst nachs Leben dürffte stehen/
Da Holland war verkaufft von Pensionar de Witte,
Der deßfalls hängen must/ daß er doch billig litte.
So muß man Judas Freund mit Schwert/ Feur/ Galg' bezahlen/
Daß andre sich zum Nutz die Höll zum Schreck' abmahlen.

Plura de pluribus Principibus verè scriberem, ast quia veritas odium parit, tacere, quàm loqui præstat. Hic porrò quæritur, an pecunia sit fructuosa? Resp. quod pecunia suâ naturâ censeatur sterilis, ast industria hominum efficitur fructuosa, præsertim in commerciis exercendis, ubi interdum centum imperialibus mercator lucratur centum & eò amplius

Pecuniæ sivè monetæ bonitas est duplex, (1) intrinseca, & (2) extrinseca. Intrinseca pecuniæ bonitas consistit in materia, pondere & formâ, ut sit justi ponderis, & probæ speciei, ac formâ publicâ percussa, *l. 1. ff. de contrab. empt. & l. 1. & 2. C. de veteris numismatis potestate.* Extrinseca pecuniæ bonitas consistit in valore. Ergo si thalerus valeat 45. albos, & postea valor mutetur, ut 50. albis æstimetur, tunc extrinseca saltem bonitas intelligitur mutata. Bonitas verò pecuniæ intrinsecà dicitur mutata, quando pecunia cuditur minori pondere, vel deteriori materia, quæ multo ære vel cupro contaminata est. Ea de causa tenetur debitor creditori pecuniam probam mutuò danti talem in eadem bonitate & qualitate reddere, quâ eam tempore contractus accepit: valor enim & qualitas monetæ considerandus & inspiciendus est à tempore contractus, non autem à tempore solutionis; si forsan postea moneta quoad extrinsecam, vel intrinsecam bonitatem sit mutata in pejus, vel in melius *l. 102. ff. de solut.* Idem observatur in testamentis, sivè ultimis voluntatibus, e. gr. si testator trecentos imperiales vel coronatos alicui legaverit, tunc considerandus est valor, qui fuit tempore conditi testamenti, non autem tempore mortis testatoris *l. 41. §. 4. ff. de legat. 3.* quod si pecunia sivè moneta, quæ fuit tempore conditi testamenti, vel contractus, non amplius reperiatur tempore solutionis, tunc solutio pecuniæ in alia monetâ usu receptâ est facienda, sed juxta valorem & qualitatem intrinsecam antiquæ monetæ; ne creditor in eo inique lædatur, sed veram æstimationem consequatur; nam tempus contractus vel conditi testamenti in hisce casibus præcisè observari

debet

debet. Ex dictis constat, quod pecuniæ bonitas ex materia & forma colligatur. Ergo si pecunia quoad materiam & formam fuerit bona, ejus pretium solet crescere, vel est constans: si vero pecunia quoad materiam & formam est mala, tunc ejus pretium solet decrescere.

Pecuniæ valor est duplex, (1) est valor physicus, qui magis est intrinsecus, & (2) est valor pecuniæ moralis, sivè civilis, & hic est magis extrinsecus. Valor physicus pecuniæ iterum duplici modo consideratur, vel (1) intuitu materiæ (Korn oder gehalt) an materia pecuniæ satis bona sit, vel (2) intuitu ponderis (Schrot und Gewicht) an nummi sint satis ponderosi &c. Valor pecuniæ moralis sive civilis à Principe imponitur, jus monetæ cudendæ habente, (die volvation des Werths/wie viel es gilt/) ut hic vel ille nummus autoritate principis, Regis, vel Imperatoris cusus tot assibus, dimidio floreno, floreno, thalero vel ducato æstimetur. Optandum foret, ut nummorum valor quoad intrinsecam & extrinsecam naturam & formam semper esset idem, & immutabilis, ad commercia facilitanda: cum pecunia res omnes reliquas æstimare soleat, & non à cæteris rebus æstimetur *l.42.ff.de fidejuss.* sed hodie nihil magis ubique locorum variatur, quàm pecuniæ æstimatio; quæ varietas commerciis plurimum nocet.

Peregrinatio tempestivè & prudenter instituta multum utilitatis secum trahit. Optimus peregrinationis fructus & finis est, scientiam & prudentiam quærere; nam non sufficit, plurimarum urbium munimenta, & amœnum provinciarum situm curiosè lustrare, ac diversum diversorum populorum habitum examinare, sed variarum rerumpublicarum leges & instituta accuratè observare, & regimina dignoscere convenit, ut ea notitia in reipubl. cui postea inservire prætendit peregrinans, utilitatem tandem convertatur.

Perfidia est temeraria fidei datæ violatio, quæ omni jure improbatur; quo perfidiæ crimine nihil est turpius & scelestius; quoniam illo tam jura divina, quàm humana, jus naturæ & gentium impiè violatur. Ideo fidem hosti, vel heretico datam absque peccato mortali temerè frangere non licet: ast dolo, insidiis & fraude (quatenus pro solertia militari accipitur) contra hostem uti licet, *l.1.§.3. ff. de dol.* prout Abraham, Josua, & alii viri probi in bello licitè usi sunt. *Genes.14.v.15. Jos.8. vers.4. & seq.* Hoc crimen est maximo-

perè

perè puniendum, dum omnia humana negotia incerta & dubia reddit, ac societatem humanam gravissimè lædit. Ergo qui temerè rumpit fœdus cum alio solenniter initum, is & verbis & armis meritò castigandus est.

Perfidis pro innata malitia nunquam prætensa causa & ratio deficiunt, cur pactis vel promissis non stent; dum semper honestum aliquem juris prætextum perfidiæ suæ tegendæ impiè quærere conantur; susque deque æstimando, quo jure, quavè injuria ad propositum suum finem promiscuè perveniant; sed illis sufficit, sordidè & impiè obtinuisse, quod malitiosè quæsiverunt. Tales in jure meritò censentur infames, quibus nulla amplius fides habetur; quoniam fidem frangere perfidiosum & nefarium est, teste Cicerone: ideo de talibus rectissimè asseritur, qui fidem temerè frangit & perdit, is nihil amplius perdere potest.

Permutatio est contractus innominatus, quo res propria datur alteri, ut is vicissim danti aliam rem propriam det. Hic contractus, in quo merx pro merce datur, est omnium contractuum antiquissimus, qui tunc demum vigere cœpit, cum res communes multiplicato genere humano inter homines jure gentium dividi cœperint; quo sensim effectum, ut mortales pro necessitate temporum ac rerum utilia inutilibus permutarent; quoniam id sæpissimè contingere solet, ut id, quod alteri præter necessitatem superest, alteri desit; quamvis difficile sit, ut res absque nummorum interventu in alium commodè transferri possint; dum ob inæqualitatem rerum & pretii commodè permutari non possint; e. gr. si sutor pane indigens velit cum pistore calceos cum pane permutare: quoniam fieri potest, ut pistor eo tempore, quo sutor hanc permutationem instituere vult, calceis non egeat: sic miser ille sutor panem suo labore acquirere non potest. Ut autem gentes hæc incommoda commodè effugere possent; nummus sivè pecunia, ceu legitima omnium rerum mensura ad commercia facilitanda est reperta, quâ postea sibi quilibet omnia necessaria coëmere posset. Sic emptio à permutatione est distincta, *l. 1. ff. de contrab. empt.*

Persona sivè homo in genere consideratur dupliciter, (1) naturaliter, & (2) civiliter. Persona naturaliter considerata est mas vel fœmina, vel hermaphroditus. Persona civiliter consideratur juxta statum, conditionem, ætatem, & potestatem. (1) ratione status homo alius est liber, alius servus, (2) ratione conditionis alius est civis, alius pe-

regrinus, alius Comes, Baro, Nobilis, Theologus, Juris-Consultus, Medicus, Philosophus, Orator, Poëta, Opifex, Rusticus &c. (3) ratione ætatis alius est majorennis (viginti quinque annorum) alius minorennis, alius pubes (ut mas quatuordecim annorum, & fœmina duodecim annorum) alius impubes; alius infans (infra septem annos) alius infante major, qui septennium jam excessit. (4) ratione potestatis alius est sub potestate maritali, ut uxor; alius sub potestate patria, ut liberi; alius sub potestate herili sivè dominica, ut servi & ancillæ.

Philosophia in genere est studium sapientiæ, quæ dividitur in theoreticam & practicam; quarum hæc est longè præstantior & nobilior. Theoretica Philosophia consistit in cognitione rerum: ast practica in operatione boni, probitate, & virtutum exercitio. Philosophia rationibus progreditur ad majora & altiora, duo præprimis in se continens, puta, judicium veri, & finem bonorum: Philosophia hæc in rebus mundanis multum habet utilitatis; quoniam philosophari est benè ratiocinari circa ea, quæ occurrunt. Illo sensu jurisprudentia dicitur vera Philosophia, quâ æquum ab iniquo, & justum ab injusto accuratè separatur & distinguitur. Natura dat homini vivere, sed Philosophia dat rectè vivere, ut quis virtuosè, piè ac prudenter vivat.

Pignus utriusque gratia datur, & debitoris, quò magis pecunia ei credatur, & creditoris, quò magis ei in tuto sit creditum. *§. fin. Inst. quib. modis re contrahitur oblig.* vox pignoris est æquivoca, triplicem admittens significationem. (1) denotat rem pignori datam. *§. 7. Inst. de action.* (2) Contractum pignoratitium, *t. t. ff. de pignorat action.* Et (3) jus contractu hoc constitutum, quod creditor in re pignorata habet, *t. ff. de pign. & hypoth.* Hic accipitur in prima significatione; sed sequens definitio ex secunda significatione est: pignus est contractus realis, quo res creditori traditur in securitatem crediti, quæ soluto debito in specie est restituenda. Quod si creditor soluto debito pignus reddere recuset, actione pignoratitia ad id jure cogi potest à debitore &c. Pignus non tantum expressè, sed & tacitè constituitur ob favorem debiti; sic (1) fiscus tacitum pignus habet in bonis civium ob tributa Principi solvenda; (2) Maritus tacitum pignus habet pro dote sibi promissâ præstandâ in bonis ejus, qui dotem marito promisit, (3) uxor tacitum pignus habet pro dote restituenda in omnibus bonis mariti, ne dote miserè privetur.

Pigno-

Pignore reddito creditor non censetur ex tacito pacto remisisse debitum, *l.3.ff.de pact.* ratio est, quia pignus saltem continet causam accessoriam (nimirum securitatem debiti) quâ sublata, remanet nihilominus id, quod est principale. Quod si verò creditor debitori expressè remiserit debitum, contrarium statuitur, *d.l.3.* quia tunc donare videtur.

Pœna est noxæ sivè delicti vindicta: vel pœna est coërcitio & punitio delicti sivè criminis, quam Magistratus delinquenti jure imponit *l.131. ff. de verb. signif.* vel est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis; etenim pœnæ eo fine delinquentibus infliguntur, ut delinquentes dolore pœnæ emendentur, vel alii ad delinquendum proclives, delinquentium capitali pœnâ ceu terribili exemplo à delictis absterreantur; ob eam rationem sententiis criminalibus solet inseri sequens clausula: daß dieses dem delinquenten zur wolverdienten Straf / und andern zum Exempel und Abscheu geschehe; ut sic reipubl. tranquillitas & securitas religiosè conservetur, *l.12.ff.de offic. Præsid.* Nec Magistratus habetur crudelis, qui maleficos occidi jubet, *caus.23.quæst.5.can.28.* quo fine JCtus Baldus dicit, quod contra malos & atrociter delinquentes non sit utendum emplastro, sed gladio, ad malum amputandum. Attamen non omnia delicta sivè crimina in forò civili directò puniuntur; quoniam multa dantur vitia in vita humana, quæ legibus & pœnis non coërcentur in foro civili: ut sunt avaritia, ingratus animus, invidia, ambitio, superbia, iracundia, inhumanitas, hypochrisis, simultas, ebrietas, violatio sabbathi, &c. quæ omnia ob humanæ carnis imbecillitatem, & delinquentium multitudinem in ultimis & corruptis hisce mundi temporibus puniri nequeunt, nisi Magistratus omnes mortales, paucis exceptis, punire vellet. Verùm hæc vitia in foro poli & conscientiæ accuratè notantur, quorum diabolus, ceu vigilans Registrator perfectum habet catalogum, quem die novissimo coram supremo Judice Deo accuratè recitare, subdolè machinabitur. Cæterum Thebani olim mirati sunt, Rempubl. Lacedæmoniorum adeò florere, cives eorum in officio tranquillè contineri, rara in eorum civitatibus vitia grassari. Ad hanc civilem disciplinam observandam miserunt Philonium Philosophum, ut is singula observaret, quæ ad benè constituendam rempubl. essent necessaria; leges & quidquid civici juris esset, scriptò ad se perferret: Philonius omnibus exactè observatis, Thebas rediit, & ut publicè de legationis suæ munere re-

sponderet, horrificam supellectilem per theatrum publicè exposuit, puta, virgas, laqueos, taureas, flagra, fidiculas, catastas, equleos, secures, rotas, cruces; aliquandiu altum silendo, demum in vocem erumpens, en, inquit, oculis vestris spectate ô cives Thebani, quid Lacedæmoniorum disciplinam civilem communiat, eosque tranquillos reddat. Nemo apud eos vitiosus est impunis, sunt sua virtuti præmia, sunt & sua sceleri supplicia, eaque seria: hinc mores illorum nostris tantò sunt emendatiores &c. Summus Legislator Deus mortalibus mortaliter delinquentibus non furcas, non secures, nec rotas pro meritis pœnis proponit, sed gehennam & rogum in æternum arsurum ipsis minatur, nisi in tempore resipiscant, & à peccatis desistant.

Pœna delicto suo commensuranda est, ne modum delicti in excessu vel defectu violet, *caus.24 quæst.1. can.21. & l.11. & 16.ff. de pœn.* hinc quò majora sunt delicta, eò majores debent esse pœnæ; ideo adulterium gravius punitur, quàm scortatio simplex; & parricidium gravius punitur, quàm simplex homicidium: ratio est, quia duo illa delicta atrociora & graviora sunt reliquis duobus. De his egregiè scribit *d.l.11.pr.* quod Judex delinquentem neque durius, neque remissius, quàm causa delicti deposcit, punire debeat; ne severitatis vel clementiæ gloriam affectare videatur. Pœna semper ex delicto provenit, & delicta nascuntur à voluntate, & malo proposito delinquentium: hinc qui casu delinquit, is propriè delinquere non censetur, quia præter suam intentionem & voluntatem delinquit. Hic quæritur, num homo ad mortem propter commissum atrox delictum justè condemnatus, fugam salvâ conscientiâ arripere, seque mediante fugâ pœnæ capitali licitè subtrahere possit? Resp. quamvis amor vitæ sit perquàm magnus, ut quilibet ad conservationem vitæ jure naturæ sit obligatus; nam cuilibet, qui sanguinem seu vitam quavis ratione redimere conatur, ignoscendum est, *l.1.ff. de bon. eor. qui mortem sibi consciv.* attamen hoc in thesi saltem procedit & observatur, (quatenus quis est innocens, aut parum, vel nihil deliquit,) non autem in hypothesi, in omnibus promiscuis & illicitis capitalibus casibus. Hinc sic rectissimè argumentamur: quicunque justè obligatus est, is ab obligatione se prius eximere, & liberare nequit, quàm præstito vel impleto eo, ad quod est obligatus. Ast delinquens per delictum atrox commissum ad pœnam capitalem se justè obligavit (nam sicuti quis per contractum obligatur ad id præstan-

standum, quod in contractu antea promisit, ita etiam delinquens delinquendo se se obligat ad pœnam; à qua obligatione non potest prius liberari, quàm sustinuit pœnam.) Ergò pœnâ capitali nondum solutâ, ab obligatione nondum liberatus esse potest, & per consequens talis salvâ conscientiâ justè fugere nequit. Hic porrò datâ occasione quæritur, an Imperator, Rex vel Princeps ex plenitudine potestatis possit doloso & temerario homicidæ pœnam mortis licitè remittere? Resp. negando. *De his vide titulum Delictum sive crimen in antecedentibus & tit. de jure aggratiandi.*

Pœnæ sunt duplices, (1) capitales, & (2) non capitales. Pœnæ capitales mortem naturalem vel civilem afferunt. Pœnæ non capitales longè sunt mitiores absque vitæ periculo, *l. 28. princ. & §. 1. ff. de pœn. & l. 2. ff. de publ. judic.* quæ vel coërcitionem corporis in se comprehendunt, quales sunt fustigatio, relegatio, manus, auris, vel digitorum amputatio, &c. vel mulctam pecuniariam delinquenti imponunt.

Pœnæ capitales privatorum contractibus impunè remitti nequeunt; ratio est, quia privatorum conventio juri publico, (h. e saluti publicæ & juri communi) non derogat, *l. 45. §. 1. ff. de reg. jur.* Ergò in omnibus delictis non solum interesse privatum, sed etiam publicum in totius reipubl. salutem & tranquillitatem probè est observandum; quod à Carolo Burgundiæ Duce in duobus sequentibus casibus justissimè est observatum. Justus hic Dux duos sibi in officiis tum civilibus, tum bellicis habebat Officiales, primum in aula Comitem, & alterum in castris Tribunum militarem; quorum ille ex belluina libidine rusticæ cuidam puellæ violentum stuprum malitiosè intulerat, & hic civem quendam urbis primarium sub falso criminis commissi prætextu carceri mancipari jusserat, ut formosam ejus uxorem, cujus rarâ formâ libidinosè erat captus, ad detestandam venerem in sui favorem illicitè pertrahere posset. Impia Tribuni intentio commodo successu haud destituta est; nam cum illa apud Tribunum militarem miserabili voce pro mariti sui conservatione humillimè intercederet, hoc responsum dedit impius Tribunus, se marito veniam delicti capitalis sub hac conditione concessurum, si illa sibi corporis copiam pro placito facere vellet; misera illa maritum, ultimo supplicio injustè destinatum, voto, precibus, imò manibus, pedibusque liberare conata, sordido hoc, in tam periculosissimo & tristissimo casu, cum marito communi-

cato negotio, libidini Tribuni invitè annuit, qui impetrato libidinis & adulterii scelere contra datam fidem stupratæ uxoris maritum nihilominus decollari jussit, nullo alio fine, quàm ut hujus miseræ stupratæ uxoris amore semper sordidè potiri posset. Dux Carolus cognitis utriusque delinquentis delictis, diverso tempore malitiosè perpetratis, amore justitiæ conservandæ, utrisque matrimonium cum stupratis perficiendum severissimè injunxit, & quidem sub hac favorabili cautela, ut uxores suas ex asse sibi constituerent heredes. Hoc solenniter peracto, Dux interrogavit antea violenter stupratas, nunc verò conjuges, an sibi hisce circumstantiis observatis plenariè satisfactum crederent; responderunt, sibi ex voto esse satisfactum. Ast mihi, & justitiæ, inquit Dux, nondum satisfactum est; quoniam in delictis persolvendis non solum privatum interesse, sed & publicum DEO & Principi, ceu DEI in terris vicario in reipublicæ salutem est persolvendum. Sic utrumque delinquentem capite truncari jussit, eorum uxoribus antea atrocissimè læsis ex asse relictis heredibus; ut sic juri Divino & humano plenariè satisfieret. Ex dictis colligere licet, temerarium homicidam, vel violentum stupratorem à delicti capitalis pœnâ non esse planè immunem, si cum occisi uxore & heredibus, vel cum stuprata persona privatim transigat; ratio est in dicta lege 45. fundata; quia privatorum conventio juri publico non derogat, cui in hisce casibus non aliter satisfieri potest, nisi supplicia ob promeritas pœnas justè subsequantur.

Pœnæ debent tenere suos autores, scilicet delinquentes, *l. 22. C. de pœn.* qui ad pœnam ex merito, sive delicto sunt obligati; & ne alii non delinquentes sivè insontes injustè puniantur; item ne metus pœnæ ulterius progrediatur, quàm reperiatur delictum; interdum tamen pœna ob criminis atrocitatem etiam ad liberos quadantenus extenditur, si pater crimen læsæ Majestatis commiserit, *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest.* quod fit eo fine, ut omnes alii in Republica viventes detestandum hoc crimen atrocitate pœnæ præcavere studeant.

Pœnæ potius sunt molliendæ, quàm asperandæ, *l. 42. ff. de pœn.* quia odia potius sunt restringenda, quàm extendenda; ne Magistratus secundum juris rigorem, sed æquitatem procedere videatur.

Pœnitentia post delictum non excusat à pœna, *l. 65 ff. de furt.* nam si pœnitentia excusaret à pœna, delictique veniam concederet, nemo

mo unquam, aut rarissimè ultimo afficeretur supplicio; ratio est, quia delinquentes ut plurimum post perpetratum delictum pœnitet facti, sive perpetrati delicti; sic spe impunitatis hominibus ad delinquendum pronis daretur occasio delinquendi; attamen pœnitentia vera interdum pœnam mitigat, quod à Principis gratia dependet.

Polygamia est duplex, (1) simultanea, & (2) successiva. Polygamia simultanea est, quâ quis plures eodem tempore ducit, & alit uxores; hæc omni jure tàm civili, quàm canonico & Divino est prohibita, *Genes. 2. v. 22. & seqq. Matth. 19. v. 5. l. 2. Cod. de incest. nupt. l. 18. C. ad L. Jul. de adult. l. 1. ff. de his, qui notantur infam. c. 32. q. 4. c. objiciuntur.* ratio prohibitionis est, quia conjugium juxta primam institutionem in Paradiso à DEO factam est saltem conjunctio unius maris, & unius fœminæ, ut unus saltem mas, & una fœmina in conjugio sociarentur. Hoc Divinum institutum in novo testamento renovavit DEUS sublatâ omni polygamia, *1. Corinth. 7. Marc. 10. & Matth. 19.* Hinc qui jure civili Romano duas, vel plures simul ducit uxores, notatur infamiâ, & gravissimè punitur, *l. 18. C. ad L. Jul. de adult. & l. 7. C. de repud.* ratio est, quia maritus vivente adhuc uxore, virginem vel honestam viduam in uxorem ducens, duplex delictum committit, (1) adulterium, quia fidem, thorumque conjugalem dolosè lædit, dum corporis sui copiam alienæ mulieri per illegitimum matrimonium, quod reverà nullum est, injustè facit, (2) committit stuprum, qui virginem vel honestam viduam priori matrimonio superinducit, eamque carnali commixtione polluit. Hæc pœna hodiè regulariter est capitalis & gladii, *Ordin. crimin. Caroli V. artic. 121.* quia hoc polygamiæ delictum est adulterio gravius. Ergò hodiè neminem, polygamiam introducturum excusant exempla Patriarcharum, & antiquorum Regum, duas, vel plures uxores olim habentium, *Genes. 4. v. 19. Deut. 21. v. 15. 1. Reg. c. 1. pr. & c. 25. v. 42.* ratio est, quia illis polygamiam tunc temporis partim ob carnis imbecillitatem, partim ad Abrahæ semen multiplicandum, & familias augendas quadantenus permisit, vel potius in iis toleravit Deus misericors, *d. Deut. 21. v. 15.* quod etiam S. Augustinus innuere videtur, dum *libr. de doctrina Christi c. 12.* de Patriarchis dicit: suffulciendæ prolis causâ erat plurium uxorum simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo, &c. Lamech Caini trinepos primus

mus in mundo fuit bigamus, *d. c. 4. Genes. v. 19.* cujus exemplum David, Salomon, & multi alii secuti sunt. Quantum ego ex Sacris Literis, & Theologorum assertis colligere possum, statuendum judico, Patriarchas non ex inspiratione, vel speciali dispensatione quadam divinâ à prima illa conjugii institutione & ordinatione à DEO in paradiso facta recessisse, polygamiam introducendo; sed ex temporum illorum consuetudine, posteritatis latius propagandæ desiderio id fecisse, adeoque hunc Patriarcharum nævum à DEO fuisse toleratum; ideò nobis eam imitari non licet, præsertim cum in novo Testamento specialiter est prohibita, *dict. cap. 19. Matth. & 1. Corinth. 7.* ad inordinatos & belluinos hominum affectus refrænandos; & quia inter duos conjuges, marem & fœminam unam amor maximè firmus censetur; sed amor in plures fœminas dispersus facilè vilescit, liberorumque educationem negligit; quo casu etiam res domesticæ confusè & miserè tractantur, dum quælibet uxorum velit esse rerum domina, & altera alteri semper præferri, suoque marito præ aliis placere. Hinc sic per jocum concludo; cum uxor sit viro malum necessarium, utique una viro prudenti sufficit, ne superinductâ aliâ uxore malum malo imprudenter augeat. Quod Polygamiam successivam attinet, illa est licita, ubi quis demortuâ uxore aliam vel viduam, vel virginem in uxorem ducit, & vice versâ, uxor demortuo marito alii viro licitè nubit; ratio est, quia secundæ, tertiæ, quartæ & quintæ nuptiæ jure sunt permissæ, *l. 4. princ. verba ex priore vel secundo aut tertio seu numerosiori conjugio pervenerint, &c. C. de bon. quæ liber. Rom. 7. v. 2. & 3. & 1. Corinth. 6. v. 39. & Matth. 22. v. 25. & seqq.* ubi allegatur exemplum mulieris, quæ septem maritos successivos habuit, *caus. 32. quæst. 4. c. &c. distinct. 23. c. qui Episcopus.* Cum autem polygamia simultanea viro severissimè prohibeatur, multò ergò magis mulieribus censetur prohibita; quoniam nulla gens tàm barbara unquam probavit, unam fœminam duobus simul maritis esse jungendam; cum sit immediatè contra jus naturæ, quod ob seminis perturbationem à talibus illicitis conjunctionibus abhorret.

Pontifex juxta Canonistarum assertum est Petri successor, & Vicarius Christi, primatum Ecclesiarum possidens: dum Christus Petro dixit, tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni

regni Cœlorum, hoc est, potestatem ligandi, & solvendi, pasce oves meas, *distinct. 21. c. 2. & seq.* quo fine Sancti Patres in primitiva Ecclesia S. Petrum vocarunt omnium Episcoporum coryphæum, Antesignanum & Præsulem Apostolici chori, &c. Hic datâ occasione quæritur, an S. Petrus Romæ vixerit, ibique sedem suam habuerit? Resp. quod sic; ratio est, quia id testantur Eusebius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, & ipse Imp. Justinianus *in l. 1. C. de Summ. Trinit.*

Possessio in genere est factum civile negotiosum circa rem tenendam; inde dicitur generaliter detentio, quæ in jure est duplex, (1) est detentio nuda, qualem habent, qui rem tantum custodiunt, vel administrant, vel qui rei saltem usum habent, quales detentores rem propriè non possident cum affectione & animo possidendi, *l. 1. §. 5. 8. & l. 12. 24. & 29. ff. de acquir. vel amitt. possess.* (2) detentio est qualificata, quando quis rem corporalem cum affectione & animo domini habet conjunctam, talis propriè dicitur possidere; hinc possessio est detentio rei corporalis cum affectione & animo possidendi, sibique habendi; quoniam ad justam & civilem possessionem constituendam non sufficit, rem nudè tenere, sed oportet, ut quis eam suo nomine ac jure, cum animo & affectione possidendi, sibique habendi detineat, *l. 10. ff. de acquir. possess.* Jus possessionis est facultas rem civiliter detinendi, cum affectu sibi habendi, & commodis indè venientibus fruendi. Ex dictis patet, quod nec creditor pignus, nec usufructuarius rem, cujus habet usumfructum, civiliter & propriè possideat, sed saltem naturaliter; quia rem non possident animo domini: sic etiam qui alterum de rerum suarum possessione vi dejicit, naturaliter saltem, & non civiliter possidet; nam jus civile fingit, spoliatum semper possedisse, *l. 17. & l. 22. ff. h. t.* ideò spoliato possessionem vi ablatam statim restituendam jubet, *d. l. 17. & l. 22. ff. h. t.* Ex dictis profluit sequens divisio, quod possessio sit justa, vel injusta. Justa possessio est, quando quis possidet rem bonâ fide, & ex justa causa, sive legitimo titulo; puta, emtionis, donationis, transactionis, &c. *§. 35. Inst. de rer. divis.* Injusta possessio est, quando quis malâ fide possidet, sciens rem esse alienam, *l. 33. §. 1. ff. de usucap.* talis quidem naturalem habet possessionem, non autem civilem; quoniam non animo domini propriè possidet. Causa efficiens possessionis est justa rei apprehensio, & detentio eo animo facta, ut possidere velimus; nam animo

& corpore simul acquiritur possessio, *l. 3. pr. & l. 8. ff. b. t.* Ergò persona acquirens sibi possessionem est causa ejus efficiens. Materia possessionis sunt omnes res in commercio hominum existentes, sive mobiles sive immobiles, *d. l. 3. pr.* Ergò rectè eximuntur res sacræ, sanctæ, religiosæ; item res incorporales; quia hæ nec tangi, & per consequens nec possideri possunt, *d. l. 3.* Forma ex definitione & antecedentibus constat. Finis & effectus possessionis est, ut rebus possessis utamur, fruamur, deque iis pro arbitrio disponamus. Item quod possessor onere probandi liberetur, quia præsumtio est pro possessore, quod rem jure possideat, *l. 2. C. de probat.* hinc in pari causa melior est conditio possidentis, *l. 5. §. 1. ff. de calumniat.*

Possessio est duplex, vel (1) est civilis, vel (2) naturalis. Possessio civilis propriè dicitur possessio, quam quis apprehendit ex justa causa, & bonâ fide, animo domini, qui credit, se esse dominum ejus. Possessio naturalis est impropriè possessio, quam quis corpore solo sine animo domini, sine bonâ fide & justo titulo possidet, qualis possessio est, quæ clam, vi, vel precariò obtinetur.

Possessio est duplex, (1) propria, & (2) impropria. Illa est rerum corporalium, *l. 3. ff. de possess.* Hæc est rerum incorporalium; ratio est, quia tales propriè non possidentur, cum reverà non existant, sed intellectu saltem fingantur.

Possessio plurimum fidei conciliat possidenti. Ergò si quis asserit, se rei, quam possidet, esse dominum, possessio ei sufficit pro intentionis suæ probatione, ut aliam tituli probationem non teneatur edere; nam ex possessione justa, & non vitiosa oritur dominii præsumtio, quæ transfert onus probandi in adversarium, *l. 2. C. de probat.* ob id dicit Carpzovius *in definit. part. 1. const. 16. defin. 72. n. 6.* quod quilibet possessor regulariter ita sit privilegiatus, ut onere probandi planè non debeat gravari.

Possessio non acquiritur, nisi simul animo & corpore naturaliter apprehendatur, & sic in heredem transit, *l. 23. ff. de acquir. possess.* ratio est, quia possessio est facti, quæ absque corporali apprehensione non acquiritur; solo tamen animo rem nostram possidere possumus, *l. 3. §. 10. & l. 6. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. hered.* quia facilior est retentio, quàm possessionis acquisitio, *l. 4. C. b. t.* ideò non est necesse, ut rei meæ semper insistam, & inhæream, sed eam certis temporibus justè relinquere possum, *l. 3. §. salvus. ff. b. t.* hinc si

ad nun-

ad nundinas proficiscar, nemine in possessione, vel ædibus meis relicto, retineo nihilominus possessionem ædium mearum, quia in possessione amittenda affectio ejus, qui possidet, est respicienda, utrum possessionem amittere velit, nec ne, *l. 3. §. 6. ff. h. t.*

Possessio bonorum & bonorum possessio quæritur, num sint in Jure R. Synonima, an verò inter se realiter distincta? Resp. quamvis hæc duo inter se convenire videantur, prout quidam JCti sentiunt, meo tamen, & aliorum judicio inter se differunt, & quidem ob sequentes rationes, (1) quia bonorum possessio denotat jus hereditarium, quod autoritate & decreto Prætoris bonorum possessori acquiritur, ob id bonorum possessio, ceu successio prætoria ab hereditate nihil nisi nomine differat; utraque enim omnia commoda & incommoda in se continet. Sic bonorum possessio & aditio hereditatis quoad effectum sunt idem, sicuti ex definitione bonorum possessionis patet, quod sit jus persequendi, retinendique patrimonii, quod cujusque, cum moreretur, fuit, jure prætorio competens, *l. 3. §. 2. ff. de bonor. possess.* Contrà, possessio bonorum est facti, *prout ex antecedentibus titulis perspicuè cernere licet, & t. ff. de acquir. vel amitt. possess.* (2) quia bonorum possessio spectat ad universitatem bonorum, ubi quis in omnia jura & bona defuncti succedit, & sic in perpetuum durat. Ex opposito, possessio bonorum est regulariter rei servandæ causa; hinc ad tempus saltem durat, vide *t. ff. quibus ex causis in possess. eatur.* Nota, olim Leges 12. Tabb. ceu Jus Rom. antiquum solos suos heredes & agnatos ad hereditatem duntaxat vocabat, exclusis liberis emancipatis, posthumis, & cognatis; quia autem Prætor æquitatis studiosissimus vidit, emancipatos liberos, posthumos, & cognatos injustè à morientis hereditate excludi, dum (1) emancipati liberi æque ac in potestate patria adhuc existentes sunt liberi, (2) dum posthumi patrem non offenderunt, & per consequens se hereditate paternâ indignos non reddiderunt, & (3) cognati cum agnatis in pari gradu existentes jure sanguinis meritò sunt admittendi: idcircò illos etiam ad defuncti hereditatem juxta gradus prærogativam admittere voluit Prætor, &c. Ut ut materia de bonorum possessione hodie parum utilitatis in foro humano habere videatur, sublato agnationis & cognationis jure, (hic excipe materiam feudalem, in qua differentia agnationis & cognationis hodiè observatur) sublato insuper antiquo emancipationis & suitatis discrimine, &c. nihilominus brevibus explicanda est, ne igno-

ratâ hac juris materia per totum jus Roman. sparsâ, ignorentur & alia huic conjuncta, vel inde deducta.

Possessio vera in sensu civili est intelligenda, quoniam nemo sibi causam possessionis mutare potest. Ergò jure fieri nequit, ut is, qui injusto titulo rem possidet, eam justo titulo possideat, *l. 3. §. 19. & l. 18. pr. ff. de acquir. rer. domin.* Sic qui rem precariò possidet, is non potest eam titulo emptionis, vel donationis possidere; nisi ejusmodi justum possessionis titulum sibi posteà acquisiverit.

Possessio dicitur continuata, quæ nunquam ante usucapionem completam fuit interrupta; sed penes usucapientem continuo actu permansit, & quidem vel in una persona, vel in diversis personis, *§. 12. Instit. de usucap.*

Possessionis titulus nihil aliud est, quàm causa possidendi, *l. 1. ff. pro solut. l. 7. ff. de acquir. possess. & l. 24. C. de rei vindicat.* Justi tituli, sivè justæ causæ possidendi sunt sequentes: emptio, venditio, donatio, legatum, dotis datio, &c. Injusti tituli, sive injustæ possidendi causæ sunt depositum, locatio, conductio, pignus, precarium: in iis enim res nudè saltem detinentur, & non animo domini possidentur: hinc titulus malus non relevat in prætensa possessione; e. gr. si fur, vel raptor, aut latro rem furtivam injustè possideant: quoniam justitia possessionis in duobus primariò consistit, (1) in bona fide, & (2) in justo titulo, sive justa possidendi causa; quorum altero deficiente deficit vera & justa possessio. Cæterùm bonæ fidei possessor est ille, qui justis ex causis putat, rem, quam possidet, ad se pertinere. Contrà, malæ fidei possessor est, qui scit, rem, quam possidet, ad se non pertinere. Ergò qui fundum vi, clam, aut precariò possidet, is fundum malâ fide possidet, & jure dicitur malæ fidei possessor, *l. 13. §. 1. ff. de acquir. possess. & l. 1. pr. §. ult. l. 2. & 3. pr. ff. uti possidet.*

Possessor injustus rem alienam dolosè alienans habetur adhuc pro possessore. Ergò qui dolo desiit rem alienam possidere, is adhuc pro possessore habetur, *131. ff. de R. J. & c. 36. de R. J. in 6to.* ratio est, quia nemini debet dolus suus prodesse, sed potius obesse, *l. 22. ff. de rei vindic.* ne quis ex delicto suo sentiat commodum, vel alteri incommodum impunè inferat; ideò dolus rem ipsam, quæ dolosè alienata est in alterius præjudicium, per juris fictionem repræsentat, si possessor rem diutius possidere dolosè desiit, *d. l. 131.* Ergò si tu equum meum iniquè possideres, eumque ad me vexandum dolosè

alie-

alienares, vel necares, possem contra te rei vindicationem instituere ad equi restitutionem, acsi equum adhuc reverà possideres, quod fit in pœnam dolosè alienantis, vel necantis.

Posteriora derogant prioribus, si sibi invicem sint contraria; quæ regula in testamentis & legibus præprimis habet locum; e.gr. quando testator duo testamenta contraria diversis temporibus condidit; si utrumque ratione formæ fuerit perfectum, tunc posterius testamentum derogat priori, *§. 2. Inst. quib. mod. testam. infirm.* ratio est, quia testatori semper licet mutare ultimam suam voluntatem, *leg. 1. C. de SS. Eccles.* Sic etiam Legislator per leges novissimè latas tollit priores, si sibi invicem sint contrariæ, *l. 28. ff. de legibus*

Præmium cui dandum? Resp. benè merentibus præmia dari convenit, *l. fin. C. de statuis & imag.* nam in qua republ. virtuti condigna proponuntur præmia, ibi viri in omni scientiarum genere illustres & præclari existunt; quo fine antiqui Romani benè & prudenter ædes honoris & virtutis junctim locarunt, ut ibi præmia honoris essent, ubi merita virtutis; in honoris templo nullum erat ostium, sed per virtutis templum saltem aditus ad illud patebat; quà sapienter innuere voluerunt Romani, quod janua ad honorem esset ipsa virtus: quò etiam Aristoteles respicere videtur, dum *4. Ethicorum* dicit: virtutis præmium est honor. Si hæc fundamenta Reges & Principes semper probè observarent, utique dignus & indignus promiscuè non admitterentur ad publica officia cum maximo Reip. damno, sed plures aliquid re & nomine dignum spe promotionis addiscerent, quo reipubl. & proximo suo utiles esse possent; cum saltationes, vaniloquia, lingua Gallica, & vestium luxus per se parum ad rem faciant; sed majores animi qualitates, ad virtutes & animi dotes rectè excolendas, requiruntur.

Præscriptio (germanicè die Verjährung/) est exceptio temporis actioni instituendæ præscripti, ut si quis intra præscriptum tempus actionem non instituat, exspirat. Sed qui ob necessariam vel justam absentiam non potuit agere, ei non currit, nec nocet præscriptio, *l. 140. ff. de R. J.* hinc siquis reipubl. causa abest, legatione fungens, ei non nocet præscriptio, *l. 8. ff. ex quib. caus. major.* item qui in expeditione militari est occupatus, *t. t. C. de restit. milit.* vel si quis ob belli vel pestis grassantis calamitatem præsens tutò esse nequeat, ei non currit præscriptio. Quod autem sint varia præscribendarum

actionum & rerum tempora, ex subsequentibus cognoscere licet, (1) post 10. dies elapsos à tempore latæ sententiæ computandos appellatio non admittitur, sed præscribitur actioni, (2) post annum præscribitur plerisque actionibus prætoriis, præsertim pœnalibus: ob eam rationem actioni injuriarum anno præscribitur *l. 5. C. de injur.* ut ea post anni lapsum non amplius institui possit, (3) exceptioni sive querelæ non numeratæ pecuniæ biennio præscribitur *l. 14. pr. & §. 2. C. de non numer. pecun.* sic etiam post biennium exspirat actio de dolo, ex die, quo dolus dicitur commissus; (4) post triennium jure civili exspirant omnes lites, quia intra tres annos finiri debent, & non diutius protelari, *l. 13. Cod. de judiciis* (5) Post quadriennium nemo regulariter amplius in integrum restituitur, qui alioquin restituendus est, quoties se læsum demonstrat; (6) variè præscribitur actionibus in rem pro diverso rerum statu & qualitate; nam quando res est mobilis, actioni præscribitur post tres annos elapsos; si verò res est immobilis, estque inter præsentes, tunc præscribitur actioni decennio, & inter absentes 20. annis; (7) actionibus personalibus & juribus præscribitur 30. aut 40. annis, *t. C. de præscript. 30. anno.* (8) actionibus hypothecariis præscribitur 40. annis, *l. 3. C. d. t.* qui autem intra tanta temporum spatia jus suum non urget, utique eo juxta jus civile ob supinam negligentiam indignus censendus est, jura namque vigilantibus scripta sunt. Ex dictis apertè colligere licet, quod omnes præscriptionum species eò spectent, ne quid in republica vel tardius, vel præmaturius fiat, quàm æquum & bonum videtur.

Præscriptionem tricennalem (30. annorum) prò se habens, rem bonâ fide possidere præsumitur, *vide. t. C. de præscript. 30. vel. 40. annorum*, ratio est; quia antiquus dominus ob tanta temporum intervalla juribus suis renunciare creditur: quod si vero is, contra quem præscriptum est, possit malam fidem possidentis probare, tunc juxta jus canonicum præscriptio antecedens nullum habet effectum, dum præsumptio in hoc casu cedere debet veritati; ut si probare possit, præscribentem initio scivisse, rem esse alienam, quam detinet, tunc malâ fide possidere dicitur, Hinc dicit jus canonicum, quod malæ fidei possessor nullo unquam tempore validè præscribere possit: ex quo fundamento fluit, quod nec centenaria præscriptio malæ fidei possessorem relevet; ratio est, quia quicquid non est ex fide, peccatum est, *c. fin. X. de præscript.* Ergo qui canonicè præscribere vult, is in

is in nulla temporis parte scientiam rei alienæ habere debet *d. c. fin.* vigilanti enim studio præcavendum est, ne malæ fidei possessores simus in prædiis alienis: quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem, *c. 5. X de præscript.* Ex dictis satis colligere licet, Jus canonicum naturalem æquitatem sequens in materia præscriptionis regulariter corrigere jus civile: ea de causa non immeritò debilitat jus canonicum, & communis Tribunalium praxis legem *8. §. 1. C. de præscript. 30. annor.* quæ tricennalem præscriptionem agnoscit validam & legitimam, quamvis mala fide inchoata sit: quæ juris civilis derogatio fit ad peccata mortalia evitanda, ne præscriptio talis cum proximi oppressione contra charitatem christianam sit conjuncta. Justam hanc juris canonici dispositionem etiam sequitur jus Saxonicum, tricennalem præscriptionem secundum quid approbans, es were dann / daß mala fides nicht allein fürgewendet / sondern auch erwiesen würde / tunc non valet talis præscriptio longissimi temporis. Hic quæritur, num ab anno nativitatis Christi 1630. usque ad annum 1648. flagrante belli Germanici flammâ ratione debiti & usurarum currat præscriptio, ut creditor post triginta annorum lapsum neque creditum, neque usuras amplius â debitore petere possit? dum actio personalis spatio 30. annorum præscribitur. Resp. secundum juris civilis Romani disciplinam præscripta hæc tempora in actionibus personalibus maximè currunt, *vid. t. C. de præscript. 30. annor.* Ast juxta recessum imperii *1654. §. 172.* solenniter ac publicè editum præscriptio inter illa tempora non currit, nec usuræ ordinariæ creditoribus â suppressis debitoribus debentur, sed 4ta. saltem usurarum pars debetur, *d. Recess. §. 173.* quoniam tunc temporis tam deploratus fuit omnium civium Germanorum status, ut nemo creditorum sua jura commodè conservare, aut observare potuerit, vel debitores usuras solvere potuerint: e.g. Mævius anno 1629. pro familiæ suæ sustentatione â Cajo mutuò accepit ducentos imperiales sub legitimis usuris, dato chirographo, se intra triennium soluturum debitum solvendis quotannis usuris: sed quia calamitosa belli tempora inciderunt, promissis stare non potuit Mævius debitor; dum interea & principalis debitor & creditor durante hoc gravissimo bello moriuntur, eorum filii interim adeunt demortuorum parentum hereditates; creditoris verò heredes demum post longissima temporum intervalla, hoc est, anno 1672. petunt à debitoris hæredibus ducentos

istos imperiales, quos eorum pater Mævius antea mutuò acceperat; quæritur, an debitoris heredes creditori præscriptionem justè opponere possint, dum mutuum illud datum ab anno 1630. usque ad annum 1672. non sit petitum? Resp. negando, quia ab anno 1630. usque ad annum 1648. durante bello præscriptio non potuit currere, *d. Recess. imp. 1654. art. 172.* sed demum incipit ab anno 1648. exclusivè. Ergo nondum in hoc casu actionis personalis adimpleta est debita præscriptio, puta 30. annorum. Hic probè notandum, quod remissio usurarum durante bello non omnibus debitoribus promiscuè concedatur, sed oppressis, & ad paupertatem redactis saltem, non autem debitoribus satis divitibus, vel solvendo existentibus, vide *art. 171. ibidem.*

Præscriptio immemorialis 100. annorum spatio definitur: in tali præscriptione bona fides, & justa causa possidendi præsumtione juris, & de jure præsumuntur: intra hoc 100. annorum spatium præscribuntur omnia, ut jurisdictio, regalia, & ipsum imperium: attamen tantum duntaxat censetur præscriptum intra definita tempora, quantum est possessum.

Præsumtio est anticipata de re dubia sive controversa opinio, ex argumentis, indiciis, & conjecturis per rerum circumstantias plerumquè evenientibus sumpta, *Menochius de præsumt. l. 1. q. 7.* vel præsumtio est conjectura sivè divinatio in rebus dubiis, collecta per rerum circumstantias ex argumentis vel indiciis valdè evidentibus. Præsumtio est duplex, alia est hominis, alia legis sivè juris; præsumtio hominis est, quando homo sivè Judex ex negotii sivè rei controversæ circumstantiis, qualitatibus, signis, vel indiciis conjecturatur, opinatur, vel aliquid præsumit. Præsumtio legis est, quando lex ipsa conjecturam facit, & aliquid ex negotii dubii sivè controversi signis, indiciis, sive circumstantiis præsumit, quod pro vero tamdiu habet, donec contrarium probetur; attamen nudæ præsumtiones sine aliis adminiculis non faciunt plenam fidem, sed onus probandi transferunt in adversarium, *l. 11. C. de negot. gest.* sic duplex præsumtio est pro omni instrumento, sivè documento scripto: prima præsumtio pro instrumento est veritatis, quod omnia, uti sunt scripta, reverà ita sint gesta. Et 2da præsumtio est solennitatis, quod omnia quoque in instrumento secundum juris normam sint celebrata, *l. 12. C. de fidejuss.* qui contrarium contra has instrumenti præsumtiones asserit, is id evidenter probare cogitur, alio-

alioquin nihil contra instrumentum sua negatione efficiet. Ob eam rationem nuperrimè rusticum quendam astutum Judæo creditori suo debitum absolutè negantem haud iniquè condemnavi; quoniam Judæus instrumento publico in judicio producto solenniter demonstravit, se rustico tantum in præsentia Judicis solvisse &c. Præsumtionis causa efficiens est ratio probabilis, quâ homo, vel lex utitur, ut aliquid statuat, aut definiat; & sicuti illa præsumptionis ratio gravis, vel levis est; ita etiam fortior, aut levior est præsumtio. Causa impulsiva, quâ quis ad præsumtionem movetur, est certum signum, vel argumentum probabilis conjecturæ ex circumstantiis sumtum. Materia sivè objectum præsumtionis sunt negotia sivè facta hominum, ex quibus (prout diversimodè gesta sunt,) diversæ quoque præsumtiones oriuntur. Forma præsumtionis est varia pro varietate objectorum, præsertim quod præsumtio regulariter non inferat necessariam, sed probabilem conclusionem, ex signo vel argumento quodam desumtam. Finis præsumtionis est, ut relevet eum ab onere probandi, pro quo illa militat. Effectus est, quod onus probandi in adversarium transferat, *l. 25 ff. de probat.*

Præsumtio juris, quam ipsum jus ex circumstantiis negotij sive rei concludit, est duplex, (1) est præsumtio juris, & (2) est præsumtio juris & de jure. Illa saltem indicium facit; hæc plenè probat; quales tamen in jure sunt raræ. Præsumtio juris & de jure adeò efficax censetur, ut probationem in contrarium non admittat; quod fit ob prægnantem præsumtionem, & evidentes negotii circumstantias: e. gr (1) quando filius miles pecuniam mutuã accepit, tunc præsumitur eam accepisse in causam castrensem, ut se beneficio SCti Macedoniani juvare non possit, *l. fin. C. ad SCt. Maced.* (2) si tutor pupilli in inventario bonorum pupillarium solenniter confecto, confessus sit certam quantitatem bonorum pupillarium, tunc præsumitur illa bonorum quantitas pupillo adesse; nec postea auditur tutor, etiamsi postea probare vellet, tantam bonorum quantitatem non fuisse, quantam indicavit, *l. fin. C. arbit. tutor.* (3) si quis post sponsalia de futuro contracta, cum sponsa rem habuerit, tunc matrimonium præsumitur inter ipsos contractum de præsenti, ut in contrarium non admittatur probatio, *vid. c. 30. & ult. X. de sponsalib. & matrim.* (4) si â fide dignis hominibus probetur, Petrum, vel Paulum ê domo, in qua brevi post vulneratum hominis cadaver est repertum, cum cruento & nudo gladio exivisse, ve-

stibus insuper sanguine maculatis, talis præsumtio valdè prægnans est, egredientem commisisse homicidium hoc, vide *constitut. crimin. Car. V. art. 33. & seq.* (5) si puella lac in mammis habuerit, præsumitur corrupta. *ibidem art. 36.* (6 si juvenis nudus cum formosa puella nuda in lecto inveniatur, tunc non præsumitur cum illa recitare pater noster, sed libidinem exercere. &c. Quod præsumtiones juris simplices concernit, de iis in subsequentibus titulis specialius tracto.

Præsumtiones generaliter ad tres regulas referuntur. (1) Naturalia præsumuntur semper adesse. (2) Res in eodem statu semper manere præsumitur, donec contrarium sufficienter probatur, (3) Præsumtio regulariter debet fieri in meliorem partem, nisi quis in illicitis rebus versetur.

Præsumtio ex variis causis & circumstantiis oritur: hinc quod regulariter vel generaliter & naturaliter inest homini, semper adesse præsumitur. Sic (1) sensus communis, & sana ratio omnibus hominibus inesse præsumitur; sic (2) mulieribus præsumitur inesse imbecillitas, inconstantia, timiditas. (3) Viris constantia; (4) Adultis præsumitur inesse generandi facultas, & appetitus conjugii, *l. 1. §. 3 ff. de just. & jur.* (5) Conjugibus præsumitur inesse studium procreandi sui similem. (6) parentibus inesse præsumitur dilectio, cura, & educatio liberorum, *l. 8. §. 3. ff. quod metus caus.* (7) In minoribus præsumitur inconsulta facilitas, & ignorantia ob imperfectum judicium, *vid. t. ff. ad SCt. Macedon. & t. ff. de minor.* (8) In senibus præsumitur prudentia, consulta tarditas, & avaritia &c. Hæ & similes præsumtiones pro omnibus tamdiu pugnant, donec contrarium probetur, *l. 6. ff. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* Ergo quamdiu præsumtio per prægnantiorem & fortiorem præsumtionem aut probationem non eliditur, militat præsumtio pro illam allegante, ut aliter se defendere non cogatur, *can. ult. X. de præsumtion.*

Præsumtio est pro Imperatore vel Principe, quod nihil sine causa faciat; sed semper pro reipubl. salute vigilet: nihil enim ipso Principe esset miserabilius, si is semper unicuique è populo teneretur rationem administrationis & regiminis sui reddere; quo asserto nihil esset absurdius & periculosius. Ergo Principi à suis subditis objici non debet, cur id facis Princeps? sufficit enim, quod hoc velit; quia est res iniqua, sordida, & periculi plena, libertatis januam prurienti populo ni-

lo nimium aperire: cum populus ceu indomita bellua, rationis imperio resistens, absque fræno haud facilè regi possit.

Præsumtio varias habet regulas, inter quas sequens in hoc titulo proponitur, & reliquæ in 4. subsequentibus titulis explicantur. Quælibet res (sivè prædium rusticum, sivè urbanum fuerit) à primævo suo statu ex naturali qualitate & insita vi regulariter præsumitur libera ab omni servitute, *l.9.ff. de servit. urban. præd.* ratio est, quia servitutes sunt contra primævum mundi statum, rerumque naturam introductæ, *l.4.ff. de just. & jur.* primis enim temporibus nemo aliquid proprii habuit, sed omnia fuerunt communia; ita omnis homo ratione originis præsumitur liber, donec servus probetur, *l.4.ff. de stat. hom.* Ex hoc fundamento quælibet res regulariter præsumitur allodialis, & non feudalis, *c.1. §.1. tit. si de feudo defunct. controvers. sit.* ratio est, quia feudum est species servitutis, quæ regulariter non præsumitur, (cum sit contra naturam) sed libertas præsumitur, quæ ratione originis tam rebus, quàm hominibus competit. Ergo qui dicit, prædium alterius debere suo prædio servitutem, is prius probare debet, servitutem sibi pacto vel præscriptione immemoriali, aut testamento esse acquisitam, *§. fin. Inst. de servit. præd.* quoniam ipsa natura rebus omnibus libertatem indidit, servitutem verò cœca hominum aviditas.

Præsumtio ex circumstantiis & negotiorum qualitate colligi solet. Sic bonus præsumitur, qui ex bona familia est ortus, vel qui nunquam malus est inventus, *l.31. §.21. ff. de ædilit. edict.* sic quilibet regulariter præsumitur bonæ opinionis & famæ, donec contrarium probetur, *c. fin. X. de præscript.* Contra, malus præsumitur, qui à malis parentibus est natus, (cum filius sit imago patris) vel qui olim malus fuit; nam qui semel deprehensus est malus, semper præsumitur talis, *c. 8. de Reg. Jur. in sexto.* e. gr. si miles nomen dans militiæ se pessimè habuit in militia, vel homo in testem productus præstito juramento falsa contra conscientiam narravit, & statim publicè convincitur perjurii; in his duobus casibus neque militi in bello, neque testi in judicio amplius creditur, quia ex præterito hominis statu præsumitur status ejus præsens. Dantur tamen exempla, ut ex bonis parentibus interdum mali nascantur: ut ex pio Davide impius Absolon, & ex Marco Aurelio Imperatore virtuoso deneger filius Commodus. Contra, ex malis parentibus virtuosi interdum nascuntur: ut ex Salomonis filio Roboam ho-

mine & Rege pessimo natus est pius, probus, & justus filius Abias, religiosè observans Dei mandata, quæ spreverat ejus pater; ob cujus maximos excessus, corruptos mores, & impietatem regnum Israël in duas partes est divisum; sic etiam ex Saule hominum depravatissimo, Jonathas omnibus virtutibus & pietate indutus, prognatus est. Attamen ejusmodi exempla sunt rarissima, cum mala arbor haud facilè bonos fructus ferre soleat, & mali corvi malum ovum. Sic juxta præsumtionem regulariter fortes creantur fortibus, attamen dantur exceptiones, ut Heroum filii noxæ sint.

Præsumtio. Nemo regulariter præsumitur immemor salutis æternæ, ut contra conscientiam perjurium, vel aliud impium scelus dolosè committat; ideo quilibet tamdiu censetur justus & pius, quamdiu contrarium non probatur, *leg. 4. Cod. de edend.* Ast si contrarium probetur, tunc præsumtio cedit veritati, quia plus valet veritas rei, quàm multæ præsumtiones nihil validè probantes.

Præsumtio. Nemo præsumitur dolosè facere, qui jure suo utitur, *l. 55. ff. de R. J.* qui enim permissione legum quid facit, id sincerè absque dolo facere creditur, *l. 51. ff. pro socio.* hinc qui in suo fundo fodit puteum, ac vicino in sui utilitatem absque dolo malo præscindit venas vicini putei, & sic aquam vicino avertit, de damno dato non obligatur, quia jure suo sincerè usus est, *l. 1. §. 12. ff. de aqua pluv. arcend.* quod si verò quis in præjudicium tertii jure suo dolosè utatur, illegitimè amovendo rem communem, furti tenetur, *l. 45. & l. 51. ff. pro socio.*

Præsumtio. Nemo regulariter præsumitur nobilis, sed plebejus; ratio est, quia nobilitas homini naturâ non inest, sed acquiritur arte & marte, ideo probanda est, cum sit facti, & omne factum probandum est, *l. 10. C. de numerat. pecun.*

Præsumtio una est fortior alterâ. Ergo non omnes præsumtiones parem arguendi vel concludendi habent vim; nam quædam sunt fortiores, quædam debiliores, prout ex circumstantiis colligere licet; hinc in concursu præsumtionum præsumtio fortior ac major vincit minorem & debiliorem, *l. 25. ff. de probat. l. fin. ff. quod met. caus. & l. 34. ff. de negot. gest.* Attamen omnis præsumtio cedit veritati; nam qui evidentissimis argumentis demonstrare potest, rem ita se habere, is utique elidit præsumtionem oppositam.

Præ-

Præsumtio pro aliquo militans onus probandi in adversarium transfert, *vide l. 5. ff. de probat.* sic quilibet in officio suo demandato præsumitur probè & diligenter versari. Ergo qui contrarium asserit, quod quis negligenter vel improbè in suo officio versetur, id probare debet ad elidendam præsumtionem.

Prævaricatio est dolosa collusio accusatoris cum reo, ut absolvatur, *t. ff. de prævaricatione.* Hinc prævaricator est, qui adversam partem clam adjuvat, proditâ clientis sui causâ; quod fit, dum veras probationes in clientis sui patrocinium producendas dolosè supprimit Advocatus; & ex opposito, falsas rei excusationes injustè admittit, *d. l. 1. §. 1. & 6. ff. ad SCtum Turpillan.* tales fraudes ideò adhibere solent aliqui Advocati, ut ab utraque parte pecuniam sordidè corradant, quod valdè ignominiosum est: idcircò jure Justinianeo datur contra prævaricatores actio pœnalis famosa ex delicto orta, *l. 4. ff. de prævaricat.* ad pœnam extraordinariam. Ast hodiè secundum *Constitut. crimin. Carol. V. artic. 115.* datur actio ad resarciendum damnum illatum, & fustigationem cum relegatione.

Precarium est actus liberalitatis, quo quis rem alteri sine determinatione temporis gratis utendam concedit eâ mente, ut rem quovis tempore pro suo libitu revocare possit, *t. ff. de precar.* Sic dominus nudum saltem usum rei precariò concessæ in utentem sine certi temporis definitione transfert, ut rem suam quovis tempore licitè repetere possit, *l. 1. & 2. §. 2. ff. h. t.*

Pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum æstimanda sunt; sed quatenus communiter ab omnibus æstimantur, h. e. ex affectione & utilitate totius populi, *l. 33. ff. ad L. Aquil.*

Primogenituræ privilegium in natura & lege principaliter fundatum est. (1) in natura; nam eo ipso, quo quis primo loco, primus ætate, primus stirpe inter fratres constituitur, utique is præ reliquis habet naturæ prærogativam: unde etiam tantò impensius à parentibus amantur primogeniti, (2) in lege, quoniam lex primogenito ceu ætate majori, & stirpi omnes juris prærogativas tribuit, ad familiam tantò melius conservandam. Primogenituræ jus in Regnis, Electoratibus & Principatibus secularibus, & illustribus familiis jure naturæ & Divino valet, quod ex multis Scripturæ locis patet, (1) quia ipse DEUS primogenituram approbat, *Genes. 25. v. 29.* (2) quia primogenitus vocatur in Sacris princeps fratrum, *Genes. 27.* (3) quia Josaphat Judæorum Rex plures filios habens regnum pri-

mogenito suo Joram obtulit, *1. Reg. 21.* reliquis filiis aurum & argentum & civitates quasdam exiguas pro hereditate assignavit, *2. Chron. 21.* (4) quia primogenitus filius jure veteris testamenti accipiebat duplicem hereditatis partem, *Deut. 21.* forsan ideò, quia est principium fortitudinis viri, ac columna familiæ. Ob has rationes hodiè in Regnis, Ducatibus, Principatibus, & Comitatibus primogeniti regulariter solent succedere; reliquis verò fratribus, quos vocant Cadettos, (abgetheilte Herren) certæ annuæ pensiones, & bona pro familiæ & personarum dignitate conservanda ad victum & amictum assignantur; hæc assignata portio vocatur appanagium: (Gallicè apenage.) Quæ inæqualis patrimonii distributio fit ob politicas rationes, ne Regna, Principatus vel Comitatus toties inter fratres, nepotes vel reliquos cognatos dividantur, & subdividantur, ut magnum illud Regnum vel amplus Principatus in exiguas partes in contemtum totius familiæ per tot divisiones & subdivisiones distrahatur. Sic Principes Comitibus vel Baronibus quoad bona redderentur pares, vel debiliores; quod absurdum in favorem familiarum hoc remedio cautè præcavetur. Cæterùm ex dictis colligi potest, quod beneficio primogenituræ secundogenitus primogeniti filio ob jus præsentationis in Regno vel Ducatu præferri nequeat; ratio est, quia in primogenitura est successio de linea in lineam. Ergò ex secunda linea nemo ad successionem admittitur, quamdiu aliquis ex linea prima superest.

Primogenituræ jus in Regnis, Ducatibus, Principatibus, & Comitatibus ob rationabiles causas est introductum, ut conservetur dignitas & splendor familiarum illustrissimarum; nam si Regna, Ducatus, & Comitatus crescentibus agnatis inter illos semper æqualiter dividenda essent, tunc sæpè in tàm minutas dividerentur partes, ut dignitatis & splendoris interitus planè sequeretur; quod ob familiæ & eminentis status conservationem commodè fieri nequit: inde videmus, quod alia ratio in privatorum hereditate dividendâ regulariter observetur, alia in Regnis & Principatibus dividendis: nam in privatorum hereditate dividendâ æqualitas inter heredes regulariter attenditur, ut hereditas in æquales, sive viriles partes dividatur. Ast in Regnis & Principatibus divisio non permittitur ob rerum publicarum salutem, & familiarum conservationem; sed totum Regnum, Ducatus, & Principatus, ut legitima portio primogenito datur exclusis reliquis, quibus appanagium ad honestam

vitæ ſuſtentationem, pro perſonarum dignitate & ſtatu à primogenito quotannis offertur: prout Tiraquellus, Goldaſtus, & alii illuſtres JCti fuſius docent. Ob id dicunt jura, quod feuda regalia, ut Regna, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, & Baronatus ſint ſuâ naturâ individua. Quo fine Livius, Juſtinus (*lib. 2. n. 10.*) & alii Hiſtorici claſſici primogenituram vocant ætatis privilegium, quod gentibus ordo naſcendi, & natura ipſa ſubminiſtravit. Idem approbat Tacitus, jus, inquit, primogenituræ inter Germanos ſemper obtinuit, dum divitiæ & bona ſunt humidum radicale, alter ſanguis, fulcra, & anima familiarum, ut & magna virtutis & ſplendoris inſtrumenta.

Principia juris univerſalia & generalia ſunt tria, (1) honeſtè vivere, (2) neminem lædere, & (3) ſuum cuique tribuere, *l. 10. §. 1. ff. & §. 3. Inſt. de juſt. & jur.* quorum primum conſiderat hominem quà talem; reliqua duo hominem quà civem conſiderant. Ex his tribus tanquam fonte omne jus promanat, & ad illa etiam reduci debet; quoniam ſunt regulæ & norma generalis, juxta quam omnes actiones humanæ examinandæ & æſtimandæ ſunt, utrum juſtæ vel injuſtæ, bonæ vel malæ ſint. Per illa juris naturæ principia nobiſcum nata validè coërceri poſſunt tres exitiales hominum affectus, puta, (1) libido, (2) ira, & (3) cupiditas. Fugatur libido, ſi juxta legum præcepta honeſtè vivatur: extinguuntur irarum flammæ, ſi nemo lædatur; refrænatur cupiditas, ſi ſuum cuique tribuatur. Quamvis primum juris principium (ſive præceptum) latitudine ſua ſequentia duo reliqua complectatur; quia honeſtè vivere, nihil aliud eſt, quàm juſtè vivere, hoc eſt, ſecundum juſtitiam univerſalem, cujus partes integrantes ſunt, facere bonum, & declinare à malo; quæ duo, neminem lædere, & ſuum cuique tribuere denotant, &c. Attamen quia duo poſteriora præcepta alium reſpiciunt, & magis civilia ſunt, ac neceſſitate parendi munita, ideò docendi cauſa tria illa principia juſtè diſtingui poſſunt. Secundum præceptum conſiſtit in omittendo, & tertium in committendo. Secundum juris præceptum videtur latius tertio, ita ut tertium latitudine ſua comprehendat; nam qui neminem juxta ſenſum moralem, ſive civilem, neque quoad vitam, corpus, famam, nec quoad bona ſua lædit, & quidem neque per ſe, neque per alium, is videtur, cuique ſuum tribuere &c. Hîc porrò nota, quod recta ratio in conſcientia nos obliget, honeſta eſſe facienda, & turpia fugienda: quæ duo etiam Ethnici diſtinguere ſciunt.

Prin-

Principia actionum humanarum quot sunt? Resp. Quatuor sunt principia cognitionis, & actionum humanarum; nam in animo hominis sunt 4. unde omnis cognitio & actio humana proficiscitur. (1) Est intellectus, sivè mens, (2) sunt sensus, (3) est voluntas, sivè appetitus intellectualis. Et (4) est libera facultas negotium contrahendi: quorum duo priora, nimirum intellectus & sensus inserviunt cognitioni rerum; tertium verò & quartum inserviunt actioni. Hæc 4. debent omni negotio adesse, quorum uno absente, vel cessante totum vitiatur negotium &c. nam (1) qui non intelligit, non potest contrahere, licet rem, de qua agitur, oculis suis videat; ideo furiosus, mente captus, & infans ob intellectus defectum contrahere non possunt; sic cum dolus, error, & ignorantia intellectui obsint, idcirco uno horum interveniente justè resolvitur contractus. Sic (2) ratione voluntatis contractus dicitur imperfectus, si quis vi contra voluntatem ad ineundum contractum adigatur; ubi voluntas non est libera, sed coacta: nam licet contrahens negotium satis intelligat, ac aversetur, id nihilominus ad majus malum evitandum invitus approbat. Sic (3) ratione facultatis sive potentiæ contractus dicitur imperfectus, quando contrahens ob ætatis vel judicii defectum non habet rerum suarum administrationem: hinc quoties horum quid desit, non intelligitur in idem placitum consensus. Sensus versantur circa singularia, externa & accidentia; ideò sensus etiam afferunt cognitionem: mens autem sive intellectus versatur circa universalia,& scrutatur veras causas & essentiales rerum formas. Proæresis est compositum ex ratione, sive intellectu, & voluntate, quæ nihil habet commune cum sensibus. Mentis sivè intellectus objecta sunt verum & falsum; & voluntatis sivè appetitûs objecta sunt bonum & malum; hinc bona proæresis est, quando ratio & voluntas sivè appetitus rectè se habent, & inter se consentiunt, ut quod recta ratio suadet faciendum vel omittendum & fugiendum, idem voluntas sivè appetitus quoque vult. Mala proæresis est, quando ratio & appetitus inter se dissentiunt: ut quando voluntas id aversatur, quod recta ratio suadet. Ad antecedentia melius intelligenda, sequentia observare oportet. Tres sunt in anima hominis potentiæ sivè facultates immateriales sivè spirituales, quibus ad virtutem & vitium in vita communi & negotiis mundanis uti possumus; (1) est memoria, (2) intellectus, & (3) voluntas: nam quicquid oculus videt,

det, & auris audit, defertur ad memoriam, intellectum, & voluntatem, (1) per memoriam reminiscimur præteritorum, & ea etiam, quæ futura sunt, nobis fictè repræsentamus: (2) per intellectum circa ea, quæ memoria nobis objicit, variè discurrimus, & singula momentis suis ponderamus; & (3) per voluntatem tandem ea, quæ intellectu perpensa sunt, vel amplectimur, vel rejicimus, prout illa vel bona, vel mala esse credimus; e. gr. Titius Petro atrocem injuriam intulit, ejusque famam gravissimè læsit, hoc primùm occurrit memoriæ Petri, is injuriam illatam memoriâ & tacitâ mente secum sic volvit: Titius calumniator pessimus mihi gravem injuriam malitiosè intulit, quid faciam? mox injuriam cum suis circumstantiis exactius expendens, secum sic ratiocinatur, indignum facinus! hic Titius mihi tot, ac tantas præter omne meritum injurias malitiosè intulit, tàm importunis ac contumeliosis verbis, & quidem in præsentia tot Nobilium, Sacerdotum & aliorum, &c. Deinde subsequitur Petri voluntas, ubi sic concludit, sit ita; ast non feram, non patiar impunè, accusabo illum in judicio, plectetur pendens; vel par pari referam, ne maneat inultus, &c. Dolendum est, quod intellectus & voluntas mortalium per lapsum primorum parentum Adami & Evæ valdè corrupti & obscurati sint. Adam rerum naturalium perfectam habuit notitiam, qualem nemo post eum, &c. Cæterùm juxta Varronis doctrinam dantur etiam tres potentiæ sive facultates animæ, quarum duæ priores sunt materiales, tertia est immaterialis sive spiritualis; prima sive infima facultas animæ omnes corporis partes, quæ vivunt, transit, & non habet sensum, sed tantum ad vivendum vel valetudinem facit, ut vis vegetativa: hæc vis in corpore nostro ad ossa, ungues, & capillos se extendit, nec habet sensum, sicuti in mundo arbores sine sensu aluntur, crescunt, & vegetativè saltem vivunt: hæc infima animæ facultas est irrationalis, & iterum dividitur in tres facultates, (1) est nutriens, (2) augescens, & (3) est generans, &c. Altera facultas sive potentia animæ est, in qua est sensus; hæc facultas sensitiva pervenit in oculos, aures, nares, os, & omnia membra per tactum, unde oriuntur quinque sensus. Tertia animæ facultas est primaria & principalis, quæ vocatur facultas rationalis sive animus, in quo intelligentia sive ratio præeminet, quâ homo præ aliis omnibus animalibus tantùm pollet. Ergò in anima est animus seu ratio, & præstantissima ejus facultas; & cor-

pus est quasi vas, & aliquod animi receptaculum. Hoc paucis exprimit S. Augustinus, anima, inquit, secundum sui operis officium variis nominibus nuncupatur; nam (1) dicitur vitalis, dum vegetat, (2) vocatur spiritus, dum contemplatur, (3) sensus, dum sentit, & (4) animus, dum sapit: ista tamen non differunt in substantia, sicuti in nominibus; quoniam omnia hæc recensita uno nomine vocantur anima; ideò dicimus, quod potentiæ animæ inter se ratione saltem, & non realiter distinguantur, quia sunt ipsa anima, à qua non possunt separari realiter. Ob id dicimus, quod anima in corpore humano habitans faciat homines crescere, sentire, percipere, intelligere &c.

Princeps in republica est instar speculi, quem omnes subditi intuentur ac imitantur; si is virtuosus, & subditi tales evadunt; si vitiosus, vitiosos quoque sensim efficit subditos, juxta vulgare illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Ergò summâ ope niti decet Principem, non modò efficere, ut ipse omnia ex officio justè ac prudenter agat, & salutem subditorum pro primaria regula habeat; verum in id summoperè incumbat, quâ ratione omnes tàm nobiles, quàm ignobiles justè, piè, ac tranquillè in republica vivant, ne quisquam iniquè lædatur, aut confusioni in humana societate detur ansa.

Princeps, Rex & Imperator legibus civilibus sunt soluti, intellige ratione coactionis, *l. 31. ff. de legib.* si leges illas ipse condiderit, vel antecessor ejus; ratio est, quia talis præter DEUM & ensem non agnoscit superiorem; ideò nemo ei præscribere potest, ut iis præcisè pareat: altera ratio est, quia nemo potest se ipsum ligare, nec sibi ipsi imperare, aut se prohibere, *l. 51. ff. de recept. arbit.* Neque leges antecessoris eum stringunt; quia par in parem non habet imperium, *l. 13. §. 4. ff. ad SCtum Trebell.* Aliud statuendum ratione legum Divinarum, juris naturæ, juris gentium, & legum fundamentalium, in quas in ingressu regiminis tempore inaugurationis sanctè juravit electus Princeps, vel Imperator; leges enim Divinæ & jus naturæ ipsum summum Pontificem, Imperatorem, omnes Reges & Principes in conscientia strictè obligant; eo etiam respectu Princeps Majestatem habens matrimonium pro arbitrio dissolvere nequit; imò jure gentium ex quolibet contractu cum privato inito justè obligatur, *arg. l. 15. ff. de publican.* quia fidem suam dedit, quam temerè frangere, turpe est, *l. 1. ff. de constitut. pecun.*

Cate-

Cæterum si ipse Princeps leges, quas populo suo observandas tulit, ex honestate in subditorum exemplum strictè observet, ei gloriosum est; cum digna sit vox Majestate Regnantis, legibus se alligatum profiteri, *l. 4. C. de legib.*

Princeps. Quod Principi, Regi vel Imperatori placet, legis habet vigorem, intellige, si is legis condendæ animo aliquid faciat, *l. 1. ff. de constitut. Princip.* nam quemadmodum non omnis vox judicis est sententia, ita nec omnis vox Principis censetur lex, nisi eam specialiter velit pro lege agnoscere: alioquin infinitæ leges sine ratione ex Principum discursu promiscuè formarentur.

Princeps quilibet tantum potest in suo territorio, quantum Imperator in toto imperio, intellige, in juribus communicatis, non autem in juribus Imperatori reservatis. Sic Princeps Imperii non potest propriâ autoritate in suo territorio erigere Academiam, nec nundinas universales instituere, nec Baronem vel Nobilem creare, &c. quæ omnia indultu & autoritate Imperatoris fiunt.

Princeps severus an reipublicæ sit planè noxius, vel non? Resp. Reipubl. nihil est salutarius, quàm si Principem pium, justum, prudentem, sobrium & moderatum habuerit, sub cujus prudenti, justo ac moderato regimine omnes subditi quietè vivere possunt, si velint. Quod si verò respublica eam felicitatem obtinere nequit, sed vel severum, vel nimis mitem eligendum esse, tutius & melius est pro reipublicæ & subditorum salute, habere Principem severum, sub quo nihil impunè licet, quàm nimis lenem, sub quo omnia licent; ratio est, quia ille tranquillitatem reipublicæ, juraque privatorum strictè conservat, hic eadem contrà temerè dissolvit; nimia enim Principum lenitas est imperiorum pestis, & licentiæ inordinatæ mater, quæ injustitiam progenerat, & injustitia oppressionem, omniaque malorum libidini pessimè subjicit; hinc statuunt jura, quod Princeps censeatur crudelior, qui omnibus, quàm qui nulli delinquenti condonat; nam Princeps nimis lenis dissolutâ suâ indulgentiâ causam præbet multorum innocentium pernicici, cum scelerati spe impunitatis semper fiant deteriores. Contrà, severus Princeps virtutum & legum est custos, subditosque metu pœnæ continet in pace & tranquillitate.

Princeps subditis regulariter jus suum quæsitum auferre non potest, ne ipsis apertè sit iniquus: excipe casum summæ necessitatis, tunc tamen subditis pretium pro ablatis refundere tenetur, *arg. l. 13. C. com. præd.*

Principem ut DEI in terrestribus Vicarium non decet, subditos suos ut mancipia tractare, eosque suæ regnandi libidini imperiosè subjicere: quoniam id primævæ hominum institutioni, & rationi naturali maximè contrarium est; cum Principes non propter semetipsos reipubl. præficiantur, ut cuticulam neglectâ subditorum salute curent, eosque medullitùs exsugant; sed propter subditorum salutem præfecti sunt: dum salus populi ipsis suprema lex esse debeat: Finis namque imperii, quo fungitur Princeps, est Gloria Dei, & salus subditorum *Recess. Imp. 1595. in fin. pr.* daß wir solch Käyserlich Ampt und Regierung GOtt zu Lob und Ehr/ auch gemeiner Christenheit/ bevorab dem Heiligen Reich Teutscher Nation, dem gemeinen Vatterland zu Aufnehmen/ Nutz und Wolfahrt tragen/ führen und verrichten mögen. Bonus enim Princeps omnia ad publicam utilitatem referre conatur; tyrannus verò omnia ad suam utilitatem: ob id omnium Regum & Principum scopus principalis esse debet, ut Justitiam & publicam omnium subditorum salutem primariò quærant; hinc haud incongruè dicitur de malo Regum & Principum regimine: Wann die Fürsten ihre Unterthanen unbillig tractiren/ sie gar zu sehr aussaugen/ und ihnen die Gerechtigkeit nicht mittheilen/ so muß der allergerechteste Richter aus billigem Eifer Hagel/ Wolckenbrüch/ Krieg/ Theurung/ Hunger/ Pestilentz/ und sonst allerhand Plagen ins Land schicken/ nur um eines solchen bösen Oberherrens willen/ daß er der Gerechtigkeit nicht besser vorgestanden/ und vieler tausend Armen gerechtes Seufftzen nicht erhöret; da müssen die Frommen der bösen Obrigkeit Verbrechen mit entgelten. Allein wenn diese weltliche Trübsalen alle vorbey seynd/ da stehet erst dem bösen Regenten die grosse schwere Rechenschafft von seiner üblen Regierung für dem strengen Richterstuhl GOttes zu thun bevor; daselbst wird es sich nicht mit grosser weltlichen autorität/ und vieler tausend Soldaten Waffen vertheidigen lassen/ daß man so übel dem Regiment vorgestanden so nachlässig die Gerechtigkeit getrieben/ so boßhafftig und Gewaltsam viele Fromme unterdrücket/ Wittwen/ Weisen und Armen nicht beschützet/ alsdenn wird einem solchen bösen Regenten erst die ewige Höllen-Pein für seine verübte Tyranney und Ungerechtigkeit zu Lohn werden/ rc. Quod si Rex vel Princeps, ut homo peccator duo sequentia rectè secum consideraverit, (1) momentaneum est, quod delectat, & æternum quod cruciat, & (2) mi homo pulvis es, & opinione citius in pulverem converteris; utique

utique à pessimo suo vivendi more & malo regimine piâ mente desistet.

Principes & Reges clementiâ & gratiâ suos subditos, præprimis morigeros regere; petulantes verò & immorigeros pœnarum fræno ad obedientiam prudenter reducere debent; quandoquidem non sufficit, ut Reges & Principes populo suo promiscuè præsint, si eidem non etiam prosint: quo fine, à DEO & populo sunt electi in supremos Magistratus. Ergò meritò id semper animo & mente piè volvant, non tàm sibi subditos, quàm se subditis esse datos; quos non tantùm contra aliorum vim & injurias pro viribus & principali autoritate animosè defendere; verum eosdem paterno & gratioso affectu fovere & conservare debent. Unde Principibus & Regibus bonis illa immortalis exsurgit gloria, quod Patres patriæ à suis subditis unanimi voce vocentur. Contrà, nimium rigorosi, avari & injusti Principes à suis subditis sibi perpetuam famæ maculam ignominiosè conciliant, à quibus vocantur Tyranni, lupi, rusticorum sanguisugæ & excoriatores, qui non ut boni pastores juxta Evangelii doctrinam, oves vel rusticos suos tondent, sed eos juxta perversam rationem status Machiavellisticam impiè deglubunt, & quasi excoriant; ut ipsis præter miseram animam vix atrum panem ad depellendam famem relinquant.

Principes Germaniæ titulo nos DEI gratia (wir von Gottes Gnaden) hodie in literis & edictis suis utuntur: hoc tamen non jure proprio habent, sed ex privilegio speciali ab Imperatore concesso, vel tempore immemoriali. Ideo jus publicum statuit, quod hujus tituli concessio, Principibus facta, non tendat ad diminutionem Imperialis autoritatis, sed potius ad amplificandam Majestatem Imperialem: tantò enim Major censetur Imperatoria dignitas & autoritas, quò majoribus & illustrioribus personis præest.

Principis jussus quid operatur? Resp. quæ autoritate, vel jussu Principis fiunt, ab ipso Principe videntur facta, *l. 3. ff. de offic. ejus, cui mandat. est jurisd.*

Principis vox oraculi instar esse debet, unum habens calamum, unamque linguam; cum in Principe nihil magis præfulgeat, quàm recta fides; sit ergo is promissionis suæ proprius testis & Judex, qui alium non habet, coram quo ratione promissi sui conveniri, multò minus à quo ad implenda promissa cogi possit; DEUM duntaxat Judicem, boni & mali retributorem agnoscit. Ad quod piè respexit

Imp Justinianus *in l.4. C. de legib.* digna, inquit, vox est Majestate Regnantis, legibus se alligatum profiteri; Princeps in promissis suis debet esse immobilis, sicuti lapis angularis, & polus cœli, qualis fuit Imp. Carolus V. Etenim quid laudis, quid gloriæ, quid famæ Princeps habere potest, qui vanus, mendax, & infidus est in negotiis humanis. Exulet ergo in Principe impium impii Machiavelli dogma, quo Principem instruit, ut ante omnia in id sedulò incumbat, quo videatur pius, probus, sincerus & justus, etiamsi talis non sit, nec esse cupiat; quia homines externâ tantum specie duci solent, cunctaque ex eventu æstimare, *c.18. de princip. Machiav. &c.* Ipse etiam Jehova detestatur os bilingue, & labium verax stabilit in æternum, *Proverb. 12.* quod exemplo suo comprobat, dum pactis & promissionibus suis ipse obligari velit. Maneat igitur sua versutia Pœnis, calliditas Græcis, antiquis Romanis virtus, ac nostris Germanis suus candor, en dextra fidesque! quo promisso olim nihil sanctius, sed hodie, proh dolor! nihil inconstantius & fallacius!

Privata autoritas in jure parum attenditur; nam non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè fieri debet, ut omnis occasio tumultûs & dissensionis in republ. prudenter evitetur, *l.176. ff. de R.J.* ea de causa Magistratui publica defensio, & judiciorum observantia est concessa, ne privato promiscuè permittatur facultas, jus sibi dicendi; sed si aliquam patiatur injuriam aut offensionem, ad Magistratum seu seculare brachium regulariter confugiat, *l.13. C. de Jud.* Ergo quoties creditor propriâ autoritate debitum suo debitori extorquere intendit, Judice non requisito; ob judicis contemtum & violentum actum exercitum meritò privatur suo debito, *l.13. ff. quod met. caus. l. pen. & ult. ff. ad L. Jul. de vi publ. & privat.* Sic qui possessionem aliquam sine judicis autoritate proprio motu violenter apprehendit, eam statim restituere compellitur, ac insuper dominium, aut jus in re, si quod habet, amittit. *l.7. C. unde vi.* Attamen contra hanc regulam dantur exceptiones, ut privatus neglecto Judice rem propriâ autoritate defendere, vel occupare possit, si is (1) vim illatam vi statim repellat, *l.3. ff. de just. & jur.* aut (2) si possessionem suam contra aliorum insultus armis defendat; nam longè melius est, in tempore malo imminenti resistere, quàm post vulneratam causam remedia demum quærere, *l.1. & 2. Cod. quand. lic. unic. sine judice se vindic.* sic privato quoque licet, debitorem suum de fuga suspectum propriâ autoritate apprehendere, (si nullum aliàs pro tem-

tempore adsit remedium) & pecuniam secum ferenti, fugienti statim auferre sine judicis jussu; ratio est, quia talis creditor ob temporis angustiam non habuit copiam Magistratus adeundi; nam timendum erat, ne, dum judicem eo nomine adiret, intereà suum amitteret, fugiente debitore.

Privantia non possunt simul esse in eodem subjecto, sed alterum abest; ut sanitas & morbus non possunt esse simul in homine, vel jumento, *l. 1. §. 5. ff. de ædilit. edict.* nec ratio & furor, libertas & servitus, existimatio & infamia; quorum unum semper pellit, ac tollit alterum, cum naturaliter inter se pugnent.

Privatio præsupponit habitum *l. 116. ff. de verb. oblig.* Ergo is non videtur rem amittere, cujus propria non fuit, h. e. nemo amittit dominium vel proprietatem rei, quam antea non habuit in dominio, *l. 83. & l. 208. ff. de R. J.* hoc enim est contra naturalem rationem: sic nemo potest repudiare hereditatem, quam si vellet adire, eam tamen jure adire non posset.

Privilegiatus contra privilegiatum privilegio suo uti non potest, intellige, si par & eadem ratio sit utriusque, *l. 11. §. pen. ff. de minor.* secus se res habet, si disparitas privilegiorum inter eos fuerit; e. gr. si unus de lucro captando, alter de damno vitando certat, ut si minor læsus petat restitutionem in integrum contra alium minorem lucrum captantem; quo casu læsus est juvandus, *l. fin. ff. ex quib. caus. major.* ratio est, quia ejus causa longè est favorabilior.

Privilegia omnia sine præjudicio tertii (dem dritten ohne Nachtheil) concedenda, & concessa intelligenda sunt, *l. 4. C. de emancipat.* ideo privilegia in tertii præjudicium concessa nihil quicquam operantur, *vid. l. 7. C. de precib. Imper. offer.*

Privilegium est beneficium, quod à Principe certæ cuidam personæ ob meritum contra jus commune est concessum, *l. 1. ff. de constit. princ.* privilegiorum duo sunt genera, (1) privilegium est personale, & (2) est reale, *l. 196. ff. de R. J.* Privilegium personale est, quando personæ conditio locum facit beneficio, vel ubi Princeps ob singulare aliquod meritum certæ personæ privilegium aliquod gratiosè concedit; quod tamen cum persona exspirat, ideo in heredes non transfertur, *l. 68. ff. de R. J.* ut beneficium competentiæ, quod marito ratione dotis reddendæ conceditur, qui soluto matrimonio in plus, quàm facere potest, non condemnatur, ne egeat; sed hoc privilegium mariti

mariti heredibus non competit, *l.12.ff.solut. matrim.* Reale privilegium est, quod non personæ, sed rei principaliter tribuitur, & hoc ad omnes successores transit, quale privilegium actioni funerariæ datur, ut is, qui ex pietate in defuncti funus impensas necessarias fecit, omnibus aliis creditoribus ad suum consequendum sit præferendus, *l.45.ff. de relig.& sumpt.funer.* Talia etiam sunt privilegia, quæ Academiæ, Civitati, Collegio, vel familiæ ex speciali Principis gratia conceduntur, quæ ad omnes in Academia, Civitate, Collegio, & familia existentes spectant, *vide l.4.§.3.ff.de censib.* Quamvis omne privilegium referatur ad personæ, cui conceditur, utilitatem; attamen non omne privilegium immediatè & directò datur personæ, sed rei sivè causæ; undè utilitas ad possessorem pervenit. Privilegium personale amittitur extinctâ personâ, cui id concessum fuit. Contra, privilegium reale cum persona non extinguitur, sed extinctâ re vel causâ demum exspirat.

Privilegium, quod alicui gratiosè à Principe conceditur, non debet ab aliis trahi in exemplum. *c.74. de R.J.in 6to.* ratio est, quia omnia ea, quæ à jure communi recedunt, in consequentiam trahi non debent, *c.28.d.t.* hæc regula in privilegiis habet locum. Ergo si uni ob singularia merita à summo Pontifice, vel ab Imperatore concessa sunt privilegia & beneficia, illa non extendenda sunt ad alios, ut hi eadem justè prætendere queant, *distinct.100.c.8.*

Privilegium, quo alicui facultas gratiosè conceditur faciendi aliquid, amittitur spatio decem annorum, ob intervenientem negligentiam utendi privilegio, *l 1.ff. de nundin.* qui enim privilegio concesso intra 10. annos uti noluit, cum potuit, eo privatur. Si verò nulla occasio utendi privilegio intra hæc tempora se obtulit, excusandus est privilegium habens, etiamsi privilegio, remotâ ejus negligentia, intra hominum memoriam, vel longè diutius non utatur, & sic retinet privilegium illæsum: nam ubi nulla negligentia commissa est, ibi nulla in hoc casu debet esse pœna; cum non valenti agere non currat præscriptio, *l.1.§.2.C. de annal. præscript.* Sic Nobiles jus gladii sivè merum imperium habentes id non amittunt, licet longissimo tempore nullum facinorosum capitaliter puniverint; intellige, si id non ex nobilium negligentia, sed defectu occasionis puniendi facinorosos oritur. Ergo justè reservatur Nobilibus in tali casu jus gladii sivè merum imperium, qui se suo privilegio non indignos reddiderunt.

Pro-

Probatio est rei dubiæ vel controversæ per legitima argumenta (puta testibus, aut instrumentis) facta ostensio. Dico rei dubiæ, quia res manifesta & evidens non indiget probatione, *c. 9. X. de accusation.* Vel probatio est actus judicialis, quo per idonea argumenta de facto aliquo controverso Judici fit fides, ut juxta clara illa argumenta, & productam fidem judex ferat sententiam. Duo regulariter sunt probationum genera, nimir. testes idonei, & instrumenta, quibus omnia negotia dubia & controversa plenè probantur, *t. t. ff. de fide instrum. & t. t. ff. de testib.* Sunt & alia, quæ quidem propriè non sunt probationes, locum tamen probationum supplent, qualia sunt jusjurandum, confessio judicialis coram Judice, evidentia rei vel criminis perpetrati, &c Hæc interdum tantam habent vim, ut ad condemnationem sufficiant. Causa efficiens probationis est duplex, (1) Judex, qui jubet sibi in judicio probari, de quo dubitat; & (2) est pars litigans, qui id testibus vel documentis probat, quod ejus adversarius negat. Materia probationis fermè est infinita; nam quicquid Judici negatione adversarii dubium redditur, id probandum est, sic actori incumbit probare id, quod asseverat, *l. 23. C. de probat.* & reo exceptio allegata est probanda; alioquin dicimus, actore non probante reus absolvitur, *l. 4. C. de edend.* Forma probationis est, ut is, qui aliquid probare vult, id post litem contestatam intra terminum à Judice constitutum, parte adversâ citatâ, in judicio solenniter probet. Finis probationis est, ut productione testium vel documentorum Judici in proposito negotio controverso fides fiat. Effectus probationum est, ut Judex juxta probationes sententiam ferat: nam si sufficientes probationes fuerint ab actore prolatæ, tunc condemnatur reus; si autem à reo validæ exceptiones proferantur, idem absolvitur, *d. l. 4. C.*

Probatio est vel plena, vel semiplena. Plenam probationem regulariter faciunt duo testes idonei, sive omni exceptione majores, *l. 12. ff. de testibus.* (qui non ob infamiam, consanguinitatem, inimicitiam &c. rejici possunt;) ratio est, quia in duorum vel trium ore consistit omne verbum, *c. 10. X. de testam.* Item instrumenta publica, & sæpè etiam privata vim stringendi & concludendi habent. Semiplena probatio multis modis fieri solet, (1) fit per unum testem probatæ fidei, justæ ætatis, & integræ mentis, (2) solet fieri per literas privatas, (3) per fugam accusati, &c. Semiplenæ probationes imperfectè concludunt, cum Judici tantam fidem non

faciant, ut iis solis tutò credere possit, qualis etiam est confessio extrajudicialis, &c. A regulâ, quod duo testes plenam probationem faciant, datur exceptio in testamentis solennibus, in quibus 7. testes habiles, sive omni exceptione majores requiruntur, ad evitandas fraudes, quæ alioquin amore lucri facilè circa ultimas voluntates committi possunt, nisi cautè præcaveantur.

Probatio regulariter incumbit affirmanti, non autem neganti, *l. 4 C. de edend.* hinc actore non probante, reus absolvitur: quoniam is, qui negat, probare non cogitur, *l. 23. C. de probat.* quod si accusare sufficeret, quis mortalium foret innocens. Hic tamen probè circa negationem notandum, quod triplex sit negatio. Prima negatio est facti, altera juris, & tertia qualitatis. Negationem facti negans probare non tenetur, sed onus probandi in accusatorem sivè actorem transfert: e. gr. si reus negaverit, se commisisse homicidium, cujus accusatur, id probare debet accusator, aliàs nihil, vel frustrà agit. Negationem juris probare debet, qui negat: e. gr. si reus dixerit, septem testes ad testamentum non esse necessarios; quia affirmans præsumtionem habet pro se, quam elidere debet negans contrariâ probatione. Negationem qualitatis similiter probare debet reus: e. gr. si quis dixerit, hic non potest esse idoneus testis, non est legitimus, non est dignus; quæ omnia probanda sunt, quia contra negantem pugnat præsumtio, quod sit testis idoneus, quod sit legitimus, & dignus; nam quilibet præsumitur bonus & honestus. Ergò contrarium probandum est.

Probatio in criminalibus debet esse luce meridianâ clarior, *l. fin. C. de probat.* ratio est, quia causæ criminales sunt maximi præjudicii, ubi de vita, sanguine, fama agitur. Ideò testes in criminalibus causis majori cum diligentia & observantia interrogandi & examinandi sunt, quàm in causis civilibus, *c. 3. de electione in 6to.* Hinc nemo in causa criminali ex præsumtionibus & indiciis, sed ex validis probationibus criminaliter est condemnandus, *l. 5. ff. de pœn.* quoniam longè melius & tutius est, in casu dubio facinus nocentis relinqui impunitum, quàm innocentem injustè condemnare, *dict. l. 5.* Idcircò optimè dicit Imperator Justinianus in *l. 25. C. de probation.* sciant cuncti accusatores, eam se rem in publicam notionem deferre, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.

Probrum in jure accipitur pro omni infamia & famoso delicto. Sic probra quædam naturâ sunt turpia, quædam civiliter & opinione hominum saltem. Probra naturâ turpia sunt furtum, adulterium, homicidium, &c. quæ ex dictamine rectæ rationis, & lumine naturæ improbantur, *l. 42. ff. de verb. signif.* Hîc tamen probè notandum, licet furtum jure naturæ sit prohibitum, *pr. Inst. de oblig. quæ ex delict. nascun.* id delictum tamen non prius fuit perpetratum, quàm post discretionem mei & tui, quæ divisio jure Gentium demùm introducta est, &c. Probra civiliter talia sunt, ut tutelæ damnari, &c. *l. 42. ff. de verb. signif.* quia id non naturâ probrum & turpe est, sed more & instituto civitatis; intellige, quoties tutor levem commisit culpam, quæ facilè ob fragilitatem humanam in virum honestum cadere potest absque ignominiæ macula. Ast si tutor ob dolum vel latam culpam condemnetur, aliud obtinet: nam fraudare & spoliare pupillum rebus suis, rationes conturbare, vel intervertere, aut dolosè res pupillares tractare, hæ actiones omnes naturâ turpes sunt, & tali nomine condemnatus tutor meritò redditur infamis. Sic opinione hominum turpe censetur in foro vel plateis clarâ adhuc luce aspicientibus aliis saltare, quod alioquin naturâ non est probrosum. Hîc porrò notandum, quod multa, quæ naturâ censentur honesta & licita, successu temporis censeantur, fiantque turpia, & minus honesta; e. gr. nuditas membrorum, quæ in vita communi regulariter teguntur, vitium & turpitudinem secum fert, non quidem ex natura, quæ nudos nos producens, ex se nihil pudendi infert, cum in statu innocentiæ Adam & Eva absque ulla turpitudinis macula semper vixerint nudi, sed ex statu corrupto, & rationabili judicio turpis censetur: nam primi nostri parentes statim post lapsum, & amissum innocentiæ statum pravis affectibus dediti, nuditatem corporum sibi probrosam duxerunt; ideò pudenda sua foliis tegere voluerunt. Hunc morem strictè observarunt Posteri, ne mares & fœminæ visis & prostitutis genitalibus membris brutorum instar promiscuè corpora miscere possent; attamen non omni tempore & omnibus turpis & probrosa est corporum nuditas, ut in balneo; nec omnibus probrosa habetur, ut infantibus & conjugibus in lecto. Sic etiam quædam leges civiles & mores suum habent ævum, ut quod quondam honestum visum est, id postea inhonestè fieri æstimetur, & vice versa, e. g. lupanaria olim fuerunt permissa, & concubinatus

erat licitus ad majora mala præcavenda, &c. quæ omnia successu temporis illicita habita sunt, nec hodie approbantur.

Processus in genere est certus negotiorum civilium in judicio tractandorum modus, jure civili vel moribus receptus; secundum quem judex & litigantes procedere debent, donec causa controversa proposita ad finem deducitur. Vel est forma quædam procedendi in tractandis & cognoscendis causis forensibus, *§.6. Inst. de satisdation.* quam formam litigantes & Judex juxta juris ordinem usque ad litis finem observare debent. Processus duplici modo institui potest, vel (1) ordinariè, vel (2) extraordinariè, sive summariè. Processus ordinarius est, in quo solenniter juxta ordinem & formam juris proceditur; ubi actor prius offert libellum Judici unà cum specie facti, & deinde lis contestatur, & reliqua peraguntur, quæ ad essentiam processûs faciunt, *prout ex ordinat. titulorum libr. 2. Decretal. videre licet.* Summarius processus est, in quo absque strepitu judicii proceditur omissis multis solennitatibus: attamen non ita in illo procedere debet Judex, ut probationes necessarias, aut defensiones legitimas litigantibus iniquè præscindat; quoniam in omnibus processibus summariter institutis aliqua causæ cognitio, & breve examen Judici sunt maximè necessaria; ut per brevem facti controversi narrationem ab actore institutam, & responsionem rei, testiumque depositionem juratam, Judex in causa secundum acta & probata justam sententiam ferre possit. Quatuor sunt causæ primariæ, ob quas processus summarius est introductus, (1) est salus publica, præsertim in causis tributorum, & in inquisitionibus criminum, ut & in causis militum, &c. (2) est ob qualitatem personæ, puta, Ecclesiæ, viduarum, mercatorum &c. (3) est, quoties res non patitur moram, ut in causa alimentorum, in sepulturæ, decimarum &c. & (4) est in remediis possessoriis, in causis diffamationis, in examine testium ad perpetuam rei memoriam, &c. Hic probè notandum, quod in omni processu regulariter tria debeant esse conformia. (1) Petitio actoris mediante ejus libello. (2) Probatio, & (3) Sententia Judicis; ratio est, quia Judex non potest in sententia sua supplere, vel determinare illud, quod actor in libello suo nec petivit, nec testibus, aut instrumentis probavit; sed Judex semper secundum acta & probata sententiam ferre cogitur, *l.6. §.1. ff. de offic. Præsid.* Quomodo hodiè processus formandus sit, *vid. Recess. Imp. de anno 1654. à §.34. & seqq.* Porrò hic nota, omnem

omnem processum actor à Judice per supplicationes & preces impetrare debet, *ordin. camer. p.1. tit. 22.* sic libellum judici pro impetrando processu ordinario offert. Hic quæritur, an processus criminalis in foro non competente formatus de jure subsistat, vel censeatur nullus? Resp. quod talis processus ob fori incompetentiam sit nullus, & per consequens non habeat vim obligandi, *vid. l. 1. & t. t. C. si à non competente judice judicatum esse dicatur, & l. 1. C. ubi de crimin. agi oportet.* Ergo causa criminalis in foro competente, h. e. delicti, vel domicilii rei examinanda & tractanda est. Hinc asserunt JCti, si causa criminalis à judice incompetente tractetur, non magis habere vim obligandi, quàm si à privato quodam homine nulliter examinetur, *teste Gailio & Carpzovio in Constitut. criminalib.*

Procurator est, qui mandato domini aliena negotia administrat, *l. 1. pr. ff. de Procurat.* Procuratores sunt duplicis generis: alius namque est Procurator universalis, qui omnibus bonis administrandis præest: alius est particularis, qui ad certam saltem causam, vel res quasdam constituitur, *l. 1. §. 1. & l. 63. ff. eod. tit.* Particularis Procurator est iterum duplex, (1) judicialis, & (2) extrajudicialis. Ille judicialibus negotiis administrandis præest; hic verò extrajudicialibus. Hic sciendum, quod Judex prudens Procuratorem non admittat, nisi speciali domini sivè Principalis sui mandato sit instructus, sine hoc Procuratorem à judicio rejicit, eumque declarat inhabilem. Quod si procurator suo Principali mediante suâ culpa, negligentiâ vel dolo nocuerit, tunc Principalis contra Procuratorem actionem mandati directam instituere potest, ad damnum illatum resarciendum, *l. 42. §. 2. ff. de Procurat.* Ex opposito, datur Procuratori contra dominum contraria mandati actio, ad consequendum id, quod ex causa mandati impendit vel fecit, *l. 46. §. 5. ff. d. t.*

Procuratoris usus in foro civili perquam necessarius est, ut illi, qui rebus suis in judicio ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alium, nimirum per Procuratorem validè agere, vel conveniri possint, *l. 1. §. 2. ff. de Procurat.*

Promissum omne servandum & adimplendum est, nisi justitia, pietas, & honestas contrarium jubeant, *l. 15. ff. de condit. instit.* Ergo nullum promissum est servandum, quod turpem causam, vel rem illicitam in se continet, *d. l. 15. ff.* ne promittens quid contra Deum,

vel conſcientiam ſuam impiè committat; attamen illicita vel turpia promittens peccat, licet promiſſum turpe in effectum non deducat; aſt bis peccat, ſi idem impiâ mente peregerit, tunc enim in peccato mortali perſeverat, & quidem ſub maximo animæ ſuæ periculo. De his piè loquuntur canones: in malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè voviſti, ne facias: impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur, *cauſ.22. q.4. can.5.* Ideo rectè fecit David, quod Nabal, cui temerè necem juraverat, contra præſtitum juramentum non occidiſſet: ſic ex duobus peccatis elegit minus, *vid. d. cauſ.22. q.4. can.3. & 4.* Aſſertum meum inſuper confirmat S. Ambroſius: unusquisque, inquit, nihil promittat inhoneſtum, aut ſi promiſerit, tolerabilius eſt, promiſſum non facere, quàm facere quod turpe ſit, *d. cauſ.22. quæſt.4. can.8.* Nota, omnia promiſſa vel purè & ſimpliciter fiunt, vel ſub conditione. Illa ſcilicet purè talia ſtatim obligant promittentem, niſi quid turpe in ſe contineant. Hæc tunc demum, ſi conditio promiſſo adjecta ſit impleta; ratio eſt, quia conditio niſi impleta nihil ponit in eſſe. Habet inſuper quodlibet promiſſum tacitam hanc conditionem annexam, ſi fides ſibi ſervetur; nam ſi alter contrahentium fidem ſervare recuſat, tunc alter in ſuo promiſſo vel contractu non obligatur: quoniam frangenti fidem, fides frangatur eidem, *c.3. X. de jurejur.*

Proteſtatio tempeſtivè facta conſervat jus proteſtantis, *l.4. §.1. ff. quib. mod. pign. ſolvitur.* h. e. proteſtando jus noſtrum conſervamus, *l.34. ff. de negot. geſt.* proteſtatio enim regulariter fit ad jus conſervandum. Quod ſi verò proteſtatio facto ſivè actui contraria fuerit, nihil operatur, & nullius habetur momenti, *c.54. in fin. X. de appellat.* Idcirco proteſtatio injuriantem ſublevare non poteſt: ut ſi quis dixerit calore iracundiæ: tu mentiris ſicuti fur, nebulo, vel meretrix ſalvo honore; illa honoris adjectio animum injuriandi non excuſat, nec injuriarum actionem tollit. Aſt ſi talia crimina alicui calumnioſè fuerint objecta, ſi injuriis provocatus in iisdem terminis reſponderit, ad famam ſuam defendendam, injuriarum actione non tenetur; nam qui injuriam ad innocentiæ ſuæ defenſionem temperanter retorquet injurianti, utique injuriis provocato ignoſcendum eſt, *l.14. §.6. ff. de bonis libert.* Sicuti enim injuriam vel offenſionem armatam armis impunè repellere licet: ſic offenſionem verbalem verbis in iisdem terminis repellere eſt permiſſum, *l.3. ff de juſt. & jur.*

Pru-

Prudentia est virtus, quæ versatur circa res humanas rectè agendas. Prudentia est duplex, (1) privata, & (2) publica. Illa est facultas rectè consulendi & prospiciendi nobis, nostræque familiæ. Hæc est facultas rectè consultandi & deliberandi de iis, quæ civitati vel reipublicæ sunt utilia. Prudentiæ munus proprium est, posse rectè consulere de omnibus iis, quæ ad vitam civilem rectè instituendam & degendam pertinent: ubi semper ratio personarum, locorum, & temporum accuratè est habenda.

Pubertas in maribus & fœminis est diversa: nam fœminæ citius pubescunt, quàm mares; quoniam fœminæ post 12. annum ætatis completum censentur puberes, & viri potentes. Mares verò post 14. annum completum, *pr. Inst. quib. mod. tut. finitur.* Fœminæ ideò dicuntur citius pubescere, quia humidioris & frigidioris sunt naturæ, quàm mares; Accursius JCtus lepidam addit rationem, quia mulier est mala herba, quæ semper citius crescit, quàm bona. Ob maturiorem hanc pubertatem fœminæ censentur etiam citius perfectionem ætatis & judicii consequi; ideo etiam regulariter citius vitæ suæ periodum absolvunt: hinc ex ipsa experientia notum est, quod mulier 18. annorum regulariter censeatur habilis regere familiam; ast juvenis demum, quando majorennis est factus, hoc est, post vigesimum quintum ætatis annum. Canonistæ pubertatem ratione matrimonii metiuntur ex potentia coëundi sivè generandi, & non ex numero annorum, *c. 3. §. fin. X. de sponf. impuber.* Hic insuper attendendum, quod antiqui Romani ideo fœminas biennio citius attegisse pubertatem, quàm mares crediderint; quia pubertatis termini in mare & fœmina nuptiarum causa principaliter sunt constituti, ubi fœminæ se saltem habent passivè, & mares activè: facilius autem est pati, quàm agere.

Publiciana actio est actio in rem, (sivè utilis rei vindicatio) quâ quis rem non vitiosam ex justa causa & bona fide à non domino traditam, accepit in possessionem, vel quasi possessionem, eamque tamen nondum usucepit: si eam postea amittat, dictus bonæ fidei possessor eam à quolibet possessore repetere potest, *t. ff. de public. in rem act.* Actio hæc publiciana datur ei, qui rem à non Domino sibi traditam ex justa causa acquirendi dominii bona fide accepit, eamque adhuc nondum usucepit, ad possessionem plenè obtinendam, *l. 1. ff. h. t.* Actio hæc datur contra eum, qui nullo titulo, vel non bona fide possidet, *l. 9. §. 5. ff. h. t.* ratio est, quia talis infirmius jus habet, quàm bonâ fide

na fide & justo titulo (emtionis) possidens. Sciendum tamen, quod actio publiciana (ceu utilis rei vindicatio) non detur contra verum rei dominum; ratio est, quia domini jus longè fortius est, quàm bonæ fidei possessoris ceu actoris, *l. pen. & ult. ff. h. t.* actio hæc datur ad id, ut res bonæ fidei possessori tanquam domino restituatur. In hac actione eadem omnia observantur, quæ in rei vindicatione: quia actor hic intendit rem esse suam, *l. 7. §. 7. ff. h. t.* quam bona fide emit.

Pudicitia est virtus animi, quæ censetur pretiosum ornamentum Nobilium & illustrium personarum, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, & dos maxima. In Germanorum fœminis mira olim fuit pudicitia, nulla stuprandi illecebra, nullæ lascivæ saltationes & illiciti amplexus; rara in tam numerosa & generosa gente erant adulteria, cujus convictam mulierem resectis capillis nudatam, coram suis propinquis maritus domo exactam toto vico verberibus agebat. Profligatæ pudicitiæ nullam veniam nec ætas, nec forma, nec spes melioris vitæ conciliare poterat. Optandum foret, fœminis hoc tempore tam sacrum & inviolabile esse pudicitiæ pignus, sed hodie, prô dolor, perquam rara est concordia formæ & pudicitiæ. Hinc Poëta haud ineptè canit:

Ægrè formosam poteris servare puellam,
Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.

Pudicitia est res animæ, & virginitas est res corporis. Illa integra in animâ permanere potest, hæc corpori violenter auferri, dum virgo contra voluntatem â violentis stupratoribus libidinosè comprimitur, & imprægnatur. Ex opposito, interdum fieri solet, ut virginitas corporis maneat integra, & pudicitia in animo lascivi voluntate corrumpatur, quod Theologi gravissimè reprehendunt: sed Jurisconsulti ut delictum occultum impunè dimittunt. *De hac materia vide plura in titulo virginis.*

QUæstio censetur fatua, quæ non habet rationem dubitandi, *l. 27. ff. de his, qui testam. facere poss.* Quid verò de Carthesio Philosopho sentiendum sit, judicent alii, qui in dubium vocat, utrum homo vivat, vel ignis urat. Tandem hominem reverà vivere, sequenti ratione ductus fatetur. Dubito, Ergo sum; misera est consequentia: meo judicio tales tamdiu duris verberibus essent excipiendi, ut de eorum existentia dubitare desisterent; vel in altero casu tamdiu

igni

igni adhibendi forent, donec ignem urere corpore suo spontè confiterentur.

Quæstio omnis, de qua in judicio disceptatur, & disputatur, sivè controvertitur, vel in facto, vel in jure consistit; ratio est, quia in foro civili semper de facto, vel de jure quæritur. Unde duplex quæstio forensis formari solet. (1) est quæstio facti, & (2) juris. Quæstio facti est, quando de facto, de quo fortè nondum rectè constat, quæritur, deque eo in judicio controversia est. Vel quando de facti circumstantiis quæritur, & disceptatur, *l. 79. ff. de judic.* Ubi quæritur, quis fecit, quo loco fecit, quo tempore, quo instrumento, quibus præsentibus &c. Hæc facti quæstio versatur vel circa causas civiles, vel circa causas criminales &c. sic quæritur, utrum Roscius patrem suum occiderit; nam filius hoc parricidium negabat. Quæstio juris est, quando de jure quæritur, quid de proposito facto jura, legesque constituerint, sive definirint; an factum in præsenti casu secundum leges sit licitum, nec ne, e. gr. si constet, Paulum necasse Titium, & quæratur, num Paulus jure occiderit Titium, vel non, & quâ pœnâ sit afficiendus; nam posito facto, inde juris quæstio exsurgit, quid in proposito casu secundum jura sit statuendum, *l. 52. §. 2. ff. ad Leg. Aquil.* quia ex facto jus pendet, & ad factum semper applicatur; sic in causa Milonis, Clodium occidentis non quæritur, an Milo Clodium occiderit, quia de facto, sive homicidio hoc commisso satis constat; sed saltem quæritur, num Milo Clodium jure necaverit, vel non? Nota hîc, quod de omnibus rebus humanis tria quæstionum genera vel in judicio, vel extra judicium formari possint, (1) an sit? (2) quid sit? & (3) quale sit. Prima quæstio (an sit?) est facti, quæ probationibus (h. e. testibus vel documentis) vel conjecturis expeditur, ut veritas innotescat. Reliquæ duæ quæstiones sunt juris, quæ per jurisprudentiam validè explicantur.

Querela inofficiosi testamenti est actio, quâ iniquè exheredatus petit conditum testamentum, ceu iniquum, rescindi, seque heredem ab intestato declarari. Hanc inofficiosi querelam regulariter instituunt liberi contra parentis testamentum, si parens alios neglectis liberis instituat heredes, *t. t. ff. de inoffic. testam.* Hanc actionem fratres & sorores contra fratris testamentum regulariter instituere non possunt, *l. 20. C. d. t.* quia frater fratrem necessariò non obligatur instituere heredem, *l. 1. ff. ibid.* Datur tamen casus, quo frater in-

stitui debet heres: ut si frater turpem personam in suo testamento instituat heredem, puta, meretricem vel concubinam, &c. Quod si parens justam habuerit causam exheredandi liberos, querela inofficiosi testamenti liberis contra parentis testamentum nihil prodest; puta, si patrem verberarunt, vel vitæ ejus insidias maliciosè & impiè struxerunt, vel aliam ei atrocem injuriam intulerunt; quibus casibus testamentum patris exheredatis liberis manet stabile, *Novell. 115. c. 3.* ratio est, quia nemo leges validè invocat, qui contra legum præcepta impiè peccat, *l. 37. § fin. ff. de minor.* Ideò de parentibus malè meritus filius vel filia egestate justè laborare debet, ut aliis sit exemplo. Quamvis ingratitudo hominum regulariter non puniatur, quia fora nulla sufficerent ob nimiam ingratorum multitudinem, si ingrati semper puniendi essent; attamen in quibusdam casibus ingratitudinis habetur ratio, ut (1) in casu præsenti respectu liberorum erga parentes, (2) si donatarius fuerit ingratus, ut revocetur donatum, *l. 8. C. de revocand. donat.* & (3) si vasallus Domino feudi fuerit infidelis, tunc feudum ob ingratitudinem domino feudi exhibitam justè revocatur; nam feudum semper ob feloniam commissam amittitur.

Querela inofficiosi testamenti quomodo à parentibus justè evitari possit. Quoties parentes magnam vel majorem patrimonii partem aliis, quàm liberis suis post fata sua in testamento relinquere velint, dum liberos habeant morigeros, tunc jure naturæ & civili coguntur parentes liberis ad minimum relinquere legitimam, (scilicet patrimonii partem) ne post eorum mortem testamentum quoad legata aliis relicta, &c. mediante querelâ inofficiosi testamenti justè debilitare valeant, *de his vide t. ff. de inofficios. testam. in Medulla mea Parisiis impressa.* Illa legitima pro diverso liberorum numero est diversa. Si quatuor vel pauciores sint liberi, datur iis conjunctim triens sivè tertia pars hereditatis, si verò plures, hoc est, quinque vel sex liberi sint, datur iis conjunctim semis sivè dimidia hereditatis pars, *l. 6. cum auth. seq. C. de inoffic. testam.* quod eo fine facere solent, ut ipsis de reliquis suis bonis sit liberrima potestas pro arbitrio disponendi, amicis, pauperibus, vel religiosis locis eadem piè assignandi & donandi.

RApina est dolosa & violenta rei alienæ mobilis contrectatio, sivè deprædatio, invito domino facta. Vel est furtum improbum vi perpetratum; nam furtum latenter & clanculum fit; rapina verò impu-

impudenter violento modo, *l. 2. pr. ff. de vi bonor. rapt.* inde videmus, quomodo furtum à rapina distinguatur, cum illud clam, hæc palam vi committatur; ideò rapina justè vocatur impudentiùs & atrocius furtum, vi perpetratum: ideò etiam juxta constitut. crimin. Caroli V. *artic. 126.* pœnâ gladii punitur, quâ latrones, prædones, & pyratæ puniri solent, imposito postea delinquentium corpore rotæ; quod fit in terrorem aliorum ad violentiam dolosè delinquentium puniendam, ut reipublicæ tranquillitas conservetur. Cæterùm rapina in genere fit vel circa res, uti hîc, vel circa homines, & vocatur raptus, de quo in seq. titulo,

Raptus crimen censetur atrox, ubi quis virginem, vel aliam honestam fœminam violenter rapit, eamque secum invitam, vel invitis saltem parentibus clam abducit, *l. un. C. de rapt. virgin.* attamen hoc delictum non æstimatur tàm atrox, si raptor fœminam honestam matrimonii contrahendi causâ rapuerit, quàm si eam libidinis explendæ causâ vi secum abduxerit. Hanc ultimam raptus speciem jus Canonicum propriè vocat raptum, quo raptor fœminam per illicitum coitum corrumpit, *caus. 27. quæst. 2. can. 48.* Hoc raptus crimen jure civili est capitale, *d. l. un. C. & l. 5. §. 2. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Ideò raptor jure civili prohibetur, virginem raptam ducere uxorem, ne ex delicto suo lucrum & commodum indignè percipiat. Jus Canonicum in hoc casu mitius agit, quod inter raptorem & raptam permittit matrimonium, si mulier rapta ipsa consentiat: quod ideò fit, ne rapta inde famæ maculam sibi contrahat, *c. 6. X. de raptorib.* Quod si meretrix vi fuerit abducta, raptus non dicitur committi, quia non est persona honesta,

Ratihabitio est approbatio & confirmatio ejus, quod antea actum est. Hæc ratihabitio in omnibus negotiis mandato comparatur, & retrahitur ad tempus, quo negotium incepit, *c. 10. de reg. jur. in 6to. & l. fin. C. ad Stum Maced.* quoniam ratihabitio pro ipso consensu habetur, eique æquipollet, *l. 12. §. fin. ff. de solut.* Ideò in contractibus, actibus judicialibus, & in ipsis maleficiis eodem modo se habet ratihabitio, acsi in principio negotii consensus adfuisset; quia ratihabitio per juris fictionem reducit negotium ad illud tempus, quo contractum fuit, vid. *l. 6. §. 9. ff. de negot. gest.* Hinc si servus meus in gratiam mei me inscio inimicum meum verberibus exciperet absque meo mandato, is postea mihi omne negotium narravit, idque ratum habui, eumque meo nomine valdè laudavi, quo

casu ego hujus delicti nomine tanquam mandans possum conveniri. Sic non tantum is delinquit, qui ipse aliquid dolosè perpetrat, sed & is, qui idem approbat; talis approbatio multifariàm fieri potest, (1) si jubeat quid fieri, (2) si consensum dederit ad delictum perpetrandum, (3) si delinquentem collaudaverit ob delictum commissum, (4) si quid commodi ex delicto alterius sciens perceperit, (5) si possit & debeat impedire delictum, & non impedivit, & (6) si quis autorem delicti dolosè receptaverit.

Ratio est anima sive essentia legis, nam sicuti corpus inanimatum non potest dici homo; sic nec lex sine ratione potest jure vocari lex; ob id ratio non minus movere debet judicem, quàm ipsa lex. Quo fine juris conditores rationem juris naturalem quasi tacitam quandam legem adducere solent: dum ajunt, hoc naturâ æquum est: vel Prætor naturalem æquitatem tuetur, &c.

Ratio in omnibus pro norma est observanda; Ergo ubi eadem subest ratio, ibi eadem debet esse juris dispositio, *l.32.ff. ad L. Aquil.* Contra, ubi diversa est ratio, ibi diversa esse debet juris dispositio, sivè diversum jus, *l.13. C. de transact.*

Ratio sive mens est quiddam divinum in homine; & appetitus contra, est quiddam brutale, omnia cœco impetu agens: inde evenit, quòd inter rationem & appetitum sit quoddam naturale diffidium; nam ratio suadet ea, quæ sunt honesta & justa, sed cum labore & molestia ut plurimum conjuncta. Appetitus verò saltem fertur ad ea, quæ sensibus sunt grata & jucunda, & plerumque turpia. Ergo dum aliud suadet ratio, & appetitus aliud, & sic animus hominis, præprimis incontinentis, in diversas distrahitur partes, ac redditur dubius, ut nesciat, quid sibi sit faciendum; eò res tandem pervenit, ut appetitus rationem vincat: ob naturalem hanc rationis & appetitus pugnam ratio & appetitus sibi formant diversos syllogismos; ratio sic argumentatur: omne turpe est fugiendum, ebrietas est turpis: Ergo ebrietas est fugienda. Appetitus contra, sic argumentatur: omne jucundum est faciendum, potare est jucundum, Ergo est faciendum. Hinc licet incontinens utrumque syllogismum optimè noverit, sciatque priorem esse meliorem; neglecto tamen & contemto priori approbat posteriorem &c. *Plura de hac materia vide in titulo sensus in genere.*

Ratio & voluntas sunt actionum humanarum primaria principia; attamen ratio sivè mens vel intellectus est primaria & princeps facul-

tas

tas in homine, suâ naturâ aliquid divini in se continens; nam quò quis majori ratione est præditus, eò magis ad Deum accedit, & quasi mortalitati eximitur: hinc fit, quod omnes hominum actiones principaliter â ratione dependeant. Ratio hæc in homine existens, ut rectrix & Magistratus, imperat reliquis omnibus animi facultatibus: ideo sicuti mens sive ratio imperat appetitivæ facultati (h. e. voluntati vel appetitui) & illa rationi parere & obedire debet; ita omnes irrationales animi motus regit ratio. Ubi tamen notandum, quod Imperium hic saltem sumatur pro actu aliquo imperandi interno (quem superior animi facultas in reliquas facultates ejusdem personæ exercet) non autem externo, quale Imperium habet Magistratus in subditos. Hic probè observandum, quòd mens sivè ratio imperet appetitui non herili, sed civili & regio imperio, h. e. non ut herus servis absolutè imperat, qui domini imperio nullatenus resistere audent; sed ut Magistratus subditis, qui eidem regulariter sunt obedientes; sic voluntas sivè appetitus rectè dispositus rationi ceu Magistratui suo paret & obedit: malè vero dispositus jussa rationis detrectat, e. gr. ratio injungit voluntati, honesta semper esse sequerenda; voluntas interdum resistit huic rationis mandato, dum homo juvenis scortationes, adulteria & homicidia sub specie boni apparentis appetit: contra, voluntas sub prætextu mali sæpè optima quæque aversatur rationi approbata, dum voluntas falsò sibi persuadet, hoc vel illud esse malum, quod tamen suâ naturâ bonum est: Hinc nullum, inquit Seneca, sine autoramento malum est. Avaritia (quà malum) pecuniam promittit, ob id laudatur & appetitur. Luxuria multas ac varias voluptates secum trahit, ideo voluntati censetur bona. Ambitio purpuram, dignitates & applausum, & ex hoc potentiam, & quicquid potentia potest, conciliare solet &c. Sic vitia homines ob bonum apparens expetendum pravè sollicitant, quæ â pravâ voluntate insuper laudantur, ac desiderantur. Cæterum ratio, intellectus sivè mens judicat, ostendit, demonstrat & imperat, quia ratio est potentia cognoscitiva & judicativa. Contra, voluntas nec judicat, nec denunciat quicquam, sed appetit tantum, & impellit cum cæco impetu; quia voluntas est potentia sivè facultas animæ cæca, nullius cognitionis capax, quæ illustrari ac dirigi debet ab intellectu sivè ratione. Ex dictis colligere licet, quamvis voluntati propriè imperium non competat (sicuti superius diximus) præscribendo, ei tamen compe-

erat licitus ad majora mala præcavenda, &c. quæ omnia successu temporis illicita habita sunt, nec hodie approbantur.

Processus in genere est certus negotiorum civilium in judicio tractandorum modus, jure civili vel moribus receptus, secundum quem judex & litigantes procedere debent, donec causa controversa proposita ad finem deducitur. Vel est forma quædam procedendi in tractandis & cognoscendis causis forensibus, *§.6. Inst. de satisdation.* quam formam litigantes & Judex juxta juris ordinem usque ad litis finem observare debent. Processus duplici modo institui potest, vel (1) ordinariè, vel (2) extraordinariè, sive summariè. Processus ordinarius est, in quo solenniter juxta ordinem & formam juris proceditur; ubi actor prius offert libellum Judici unà cum specie facti, & deinde lis contestatur, & reliqua peraguntur, quæ ad essentiam processûs faciunt, *prout ex ordinat. titulorum libr. 2. Decretal. videre licet.* Summarius processus est, in quo absque strepitu judicii proceditur omissis multis solennitatibus: attamen non ita in illo procedere debet Judex, ut probationes necessarias, aut defensiones legitimas litigantibus iniquè præscindat; quoniam in omnibus processibus summariter institutis aliqua causæ cognitio, & breve examen Judici sunt maximè necessaria; ut per brevem facti controversi narrationem ab actore institutam, & responsionem rei, testiumque depositionem juratam, Judex in causa secundum acta & probata justam sententiam ferre possit. Quatuor sunt causæ primariæ, ob quas processus summarius est introductus, (1) est salus publica, præsertim in causis tributorum, & in inquisitionibus criminum, ut & in causis militum, &c. (2) est ob qualitatem personæ, puta, Ecclesiæ, viduarum, mercatorum &c. (3) est, quoties res non patitur moram, ut in causa alimentorum, in sepulturæ, decimarum &c. & (4) est in remediis possessoriis, in causis diffamationis, in examine testium ad perpetuam rei memoriam, &c. Hic probè notandum, quod in omni processu regulariter tria debeant esse conformia. (1) Petitio actoris mediante ejus libello. (2) Probatio, & (3) Sententia Judicis; ratio est, quia Judex non potest in sententia sua supplere, vel determinare illud, quod actor in libello suo nec petivit, nec testibus, aut instrumentis probavit; sed Judex semper secundum acta & probata sententiam ferre cogitur, *l.6. §.1. ff. de offic. Præsid.* Quomodo hodiè processus formandus sit, *vid. Recess. Imp. de anno 1654. à §.34. & seqq.* Porrò hic nota, omnem

omnem processum actor à Judice per supplicationes & preces impetrare debet, *ordin. camer. p.1. tit.22.* sic libellum judici pro impetrando processu ordinario offert. Hic quæritur, an processus criminalis in foro non competente formatus de jure subsistat, vel censeatur nullus? Resp. quod talis processus ob fori incompetentiam sit nullus, & per consequens non habeat vim obligandi, *vid. l.1.& t.t. C. si à non competente judice judicatum esse dicatur, & l.1. C. ubi de crimin. agi oportet.* Ergo causa criminalis in foro competente, h. e. delicti, vel domicilii rei examinanda & tractanda est. Hinc asserunt JCti, si causa criminalis à judice incompetente tractetur, non magis habere vim obligandi, quàm si à privato quodam homine nulliter examinetur, *teste Gailio & Carpzovio in Constitut. criminalib.*

Procurator est, qui mandato domini aliena negotia administrat, *l. 1. pr. ff. de Procurat.* Procuratores sunt duplicis generis: alius namque est Procurator universalis, qui omnibus bonis administrandis præest: alius est particularis, qui ad certam saltem causam, vel res quasdam constituitur, *l. 1. §. 1. & l.63. ff. eod. tit.* Particularis Procurator est iterum duplex, (1) judicialis, & (2) extrajudicialis. Ille judicialibus negotiis administrandis præest; hic verò extrajudicialibus. Hic sciendum, quod Judex prudens Procuratorem non admittat, nisi speciali domini sivè Principalis sui mandato sit instructus, sine hoc Procuratorem à judicio rejicit, eumque declarat inhabilem. Quod si procurator suo Principali mediante suâ culpa, negligentiâ vel dolo nocuerit, tunc Principalis contra Procuratorem actionem mandati directam instituere potest, ad damnum illatum resarciendum, *l.42. §.2. ff. de Procurat.* Ex opposito, datur Procuratori contra dominum contraria mandati actio, ad consequendum id, quod ex causa mandati impendit vel fecit, *l. 46. §.5. ff. d. t.*

Procuratoris usus in foro civili perquam necessarius est, ut illi, qui rebus suis in judicio ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alium, nimirum per Procuratorem validè agere, vel conveniri possint, *l.1. §.2. ff. de Procurat.*

Promissum omne servandum & adimplendum est, nisi justitia, pietas, & honestas contrarium jubeant, *l.15. ff. de condit. instit.* Ergo nullum promissum est servandum, quod turpem causam, vel rem illicitam in se continet, *d. l. 15. ff.* ne promittens quid contra Deum,

vel conſcientiam ſuam impiè committat; attamen illicita vel turpia promittens peccat, licet promiſſum turpe in effectum non deducat; aſt bis peccat, ſi idem impiâ mente peregerit, tunc enim in peccato mortali perſeverat, & quidem ſub maximo animæ ſuæ periculo. De his piè loquuntur canones: in malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè voviſti, ne facias: impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur, *cauſ.22. q.4. can.5.* Ideo rectè fecit David, quod Nabal, cui temerè necem juraverat, contra præſtitum juramentum non occidiſſet: ſic ex duobus peccatis elegit minus, *vid. d. cauſ.22. q.4. can.3. & 4.* Aſſertum meum inſuper confirmat S. Ambroſius: unusquisque, inquit, nihil promittat inhoneſtum, aut ſi promiſerit, tolerabilius eſt, promiſſum non facere, quàm facere quod turpe ſit, *d. cauſ.22. quæſt.4. can.8.* Nota, omnia promiſſa vel purè & ſimpliciter fiunt, vel ſub conditione. Illa ſcilicet purè talia ſtatim obligant promittentem, niſi quid turpe in ſe contineant. Hæc tunc demum, ſi conditio promiſſo adjecta ſit impleta; ratio eſt, quia conditio niſi impleta nihil ponit in eſſe. Habet inſuper quodlibet promiſſum tacitam hanc conditionem annexam, ſi fides ſibi ſervetur; nam ſi alter contrahentium fidem ſervare recuſat, tunc alter in ſuo promiſſo vel contractu non obligatur: quoniam frangenti fidem, fides frangatur eidem, *c.3. X. de jurejur.*

Proteſtatio tempeſtivè facta conſervat jus proteſtantis, *l.4. §.1. ff. quib. mod. pign. ſolvitur.* h. e. proteſtando jus noſtrum conſervamus, *l.34. ff. de negot. geſt.* proteſtatio enim regulariter fit ad jus conſervandum. Quod ſi verò proteſtatio facto ſivè actui contraria fuerit, nihil operatur, & nullius habetur momenti, *c.54. in fin. X. de appellat.* Idcirco proteſtatio injuriantem ſublevare non poteſt: ut ſi quis dixerit calore iracundiæ: tu mentiris ſicuti fur, nebulo, vel meretrix ſalvo honore; illa honoris adjectio animum injuriandi non excuſat, nec injuriarum actionem tollit. Aſt ſi talia crimina alicui calumnioſè fuerint objecta, ſi injuriis provocatus in iisdem terminis reſponderit, ad famam ſuam defendendam, injuriarum actione non tenetur; nam qui injuriam ad innocentiæ ſuæ defenſionem temperanter retorquet injurianti, utique injuriis provocato ignoſcendum eſt, *l.14. §.6. ff. de bonis libert.* Sicuti enim injuriam vel offenſionem armatam armis impunè repellere licet: ſic offenſionem verbalem verbis in iisdem terminis repellere eſt permiſſum, *l.3. ff de juſt. & jur.* Pru-

Prudentia est virtus, quæ versatur circa res humanas rectè agendas. Prudentia est duplex, (1) privata, & (2) publica. Illa est facultas rectè consulendi & prospiciendi nobis, nostræque familiæ. Hæc est facultas rectè consultandi & deliberandi de iis, quæ civitati vel reipublicæ sunt utilia. Prudentiæ munus proprium est, posse rectè consulere de omnibus iis, quæ ad vitam civilem rectè instituendam & degendam pertinent: ubi semper ratio personarum, locorum, & temporum accuratè est habenda.

Pubertas in maribus & fœminis est diversa: nam fœminæ citius pubescunt, quàm mares; quoniam fœminæ post 12. annum ætatis completum censentur puberes, & viri potentes. Mares verò post 14. annum completum, *pr. Inst. quib. mod. tut. finitur.* Fœminæ ideò dicuntur citius pubescere, quia humidioris & frigidioris sunt naturæ, quàm mares; Accursius JCtus lepidam addit rationem, quia mulier est mala herba, quæ semper citius crescit, quàm bona. Ob maturiorem hanc pubertatem fœminæ censentur etiam citius perfectionem ætatis & judicii consequi; ideo etiam regulariter citius vitæ suæ periodum absolvunt: hinc ex ipsa experientia notum est, quod mulier 18. annorum regulariter censeatur habilis regere familiam; ast juvenis demum, quando majorennis est factus, hoc est, post vigesimum quintum ætatis annum. Canonistæ pubertatem ratione matrimonii metiuntur ex potentia coëundi sivè generandi, & non ex numero annorum, *c. 3. §. fin. X. de sponß. impuber.* Hic insuper attendendum, quod antiqui Romani ideo fœminas biennio citius attegisse pubertatem, quàm mares crediderint; quia pubertatis termini in mare & fœmina nuptiarum causa principaliter sunt constituti, ubi fœminæ se saltem habent passivè, & mares activè: facilius autem est pati, quàm agere.

Publiciana actio est actio in rem, (sivè utilis rei vindicatio) quâ quis rem non vitiosam ex justa causa & bona fide à non domino traditam, accepit in possessionem, vel quasi possessionem, eamque tamen nondum usucepit: si eam postea amittat, dictus bonæ fidei possessor eam à quolibet possessore repetere potest, *t. ff. de public. in rem act.* Actio hæc publiciana datur ei, qui rem à non Domino sibi traditam ex justa causa acquirendi dominii bona fide accepit, eamque adhuc nondum usucepit, ad possessionem plenè obtinendam, *l. 1. ff. h. t.* Actio hæc datur contra eum, qui nullo titulo, vel non bona fide possidet, *l. 9. §. 5. ff. h. t.* ratio est, quia talis infirmius jus habet, quàm bonâ fide

na fide & justo titulo (emtionis) possidens. Sciendum tamen, quod actio publiciana (ceu utilis rei vindicatio) non detur contra verum rei dominum; ratio est, quia domini jus longè fortius est, quàm bonæ fidei possessoris ceu actoris, *l. pen. & ult. ff. h. t.* actio hæc datur ad id, ut res bonæ fidei possessori tanquam domino restituatur. In hac actione eadem omnia observantur, quæ in rei vindicatione: quia actor hic intendit rem esse suam, *l. 7. §. 7. ff. h. t.* quam bona fide emit.

Pudicitia est virtus animi, quæ censetur pretiosum ornamentum Nobilium & illustrium personarum, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, & dos maxima. In Germanorum fœminis mira olim fuit pudicitia, nulla stuprandi illecebra, nullæ lascivæ saltationes & illiciti amplexus; rara in tam numerosa & generosa gente erant adulteria, cujus convictam mulierem resectis capillis nudatam, coram suis propinquis maritus domo exactam toto vico verberibus agebat. Profligatæ pudicitiæ nullam veniam nec ætas, nec forma, nec spes melioris vitæ conciliare poterat. Optandum foret, fœminis hoc tempore tam sacrum & inviolabile esse pudicitiæ pignus, sed hodie, prô dolor, perquam rara est concordia formæ & pudicitiæ. Hinc Poëta haud ineptè canit:

Ægrè formosam poteris servare puellam,
Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.

Pudicitia est res animæ, & virginitas est res corporis. Illa integra in animâ permanere potest, hæc corpori violenter auferri, dum virgo contra voluntatem à violentis stupratoribus libidinosè comprimitur, & imprægnatur. Ex opposito, interdum fieri solet, ut virginitas corporis maneat integra, & pudicitia in animo lascivi voluntate corrumpatur, quod Theologi gravissimè reprehendunt: sed Jurisconsulti ut delictum occultum impunè dimittunt. *De hac materia vide plura in titulo virginis.*

Q*Uæstio* censetur fatua, quæ non habet rationem dubitandi, *l. 27. ff. de his, qui testam. facere poss.* Quid verò de Carthesio Philosopho sentiendum sit, judicent alii, qui in dubium vocat, utrum homo vivat, vel ignis urat. Tandem hominem reverà vivere, sequenti ratione ductus fatetur. Dubito, Ergo sum; misera est consequentia: meo judicio tales tamdiu duris verberibus essent excipiendi, ut de eorum existentia dubitare desisterent; vel in altero casu tamdiu

igni

igni adhibendi forent, donec ignem urere corpore suo sponte confiterentur.

Quæstio omnis, de qua in judicio disceptatur, & disputatur, sivè controvertitur, vel in facto, vel in jure consistit; ratio est, quia in foro civili semper de facto, vel de jure quæritur. Unde duplex quæstio forensis formari solet. (1) est quæstio facti, & (2) juris. Quæstio facti est, quando de facto, de quo fortè nondum rectè constat, quæritur, deque eo in judicio controversia est. Vel quando de facti circumstantiis quæritur, & disceptatur, *l. 79. ff. de judic.* Ubi quæritur, quis fecit, quo loco fecit, quo tempore, quo instrumento, quibus præsentibus &c. Hæc facti quæstio versatur vel circa causas civiles, vel circa causas criminales &c. sic quæritur, utrum Roscius patrem suum occiderit; nam filius hoc parricidium negabat. Quæstio juris est, quando de jure quæritur, quid de proposito facto jura, legesque constituerint, sive definirint; an factum in præsenti casu secundum leges sit licitum, nec ne, e. gr. si constet, Paulum necasse Titium, & quæratur, num Paulus jure occiderit Titium, vel non, & quâ pœnâ sit afficiendus; nam posito facto, inde juris quæstio exsurgit, quid in proposito casu secundum jura sit statuendum, *l. 52. §. 2. ff. ad Leg. Aquil.* quia ex facto jus pendet, & ad factum semper applicatur; sic in causa Milonis, Clodium occidentis non quæritur, an Milo Clodium occiderit, quia de facto, sive homicidio hoc commisso satis constat; sed saltem quæritur, num Milo Clodium jure necaverit, vel non? Nota hic, quod de omnibus rebus humanis tria quæstionum genera vel in judicio, vel extra judicium formari possint, (1) an sit? (2) quid sit? & (3) quale sit. Prima quæstio (an sit?) est facti, quæ probationibus (h. e. testibus vel documentis) vel conjecturis expeditur, ut veritas innotescat. Reliquæ duæ quæstiones sunt juris, quæ per jurisprudentiam validè explicantur.

Querela inofficiosi testamenti est actio, quâ iniquè exheredatus petit conditum testamentum, ceu iniquum, rescindi, seque heredem ab intestato declarari. Hanc inofficiosi querelam regulariter instituunt liberi contra parentis testamentum, si parens alios neglectis liberis instituat heredes, *t. t. ff. de inoffic. testam.* Hanc actionem fratres & sorores contra fratris testamentum regulariter instituere non possunt, *l. 20. C. d. t.* quia frater fratrem necessariò non obligatur instituere heredem, *l. 1. ff. ibid.* Datur tamen casus, quo frater in-

stitui debet heres; ut si frater turpem personam in suo testamento instituat heredem, puta, meretricem vel concubinam, &c. Quod si parens justam habuerit causam exheredandi liberos, querela inofficiosi testamenti liberis contra parentis testamentum nihil prodest; puta, si patrem verberarunt, vel vitæ ejus insidias malitiosè & impiè struxerunt, vel aliam ei atrocem injuriam intulerunt; quibus casibus testamentum patris exheredatis liberis manet stabile, *Novell. 115. c. 3.* ratio est, quia nemo leges validè invocat, qui contra legum præcepta impiè peccat, *l. 37. § fin. ff. de minor.* Ideò de parentibus malè meritus filius vel filia egestate justè laborare debet, ut aliis sit exemplo. Quamvis ingratitudo hominum regulariter non puniatur, quia fora nulla sufficerent ob nimiam ingratorum multitudinem, si ingrati semper puniendi essent; attamen in quibusdam casibus ingratitudinis habetur ratio, ut (1) in casu præsenti respectu liberorum erga parentes, (2) si donatarius fuerit ingratus, ut revocetur donatum, *l. 8. C. de revocand. donat.* & (3) si vasallus Domino feudi fuerit infidelis, tunc feudum ob ingratitudinem domino feudi exhibitam justè revocatur; nam feudum semper ob feloniam commissam amittitur.

Querela inofficiosi testamenti quomodo à parentibus justè evitari possit. Quoties parentes magnam vel majorem patrimonii partem aliis, quàm liberis suis post fata sua in testamento relinquere velint, dum liberos habeant morigeros, tunc jure naturæ & civili coguntur parentes liberis ad minimum relinquere legitimam, (scilicet patrimonii partem) ne post eorum mortem testamentum quoad legata aliis relicta, &c. mediante querelâ inofficiosi testamenti justè debilitare valeant, *de his vide t. ff. de inofficiof. testam. in Medulla mea Parisiis impressa.* Illa legitima pro diverso liberorum numero est diversa. Si quatuor vel pauciores sint liberi, datur iis conjunctim triens sivè tertia pars hereditatis, si verò plures, hoc est, quinque vel sex liberi sint, datur iis conjunctim semis sivè dimidia hereditatis pars, *l. 6. cum auth. seq. C. de inoffic. testam.* quod eo fine facere solent, ut ipsis de reliquis suis bonis sit liberrima potestas pro arbitrio disponendi, amicis, pauperibus, vel religiosis locis eadem piè assignandi & donandi.

RApina est dolosa & violenta rei alienæ mobilis contrectatio, sivè deprædatio, invito domino facta. Vel est furtum improbum vi perpetratum; nam furtum latenter & clanculum fit; rapina verò impu-

impudenter violento modo, *l. 2. pr. ff. de vi bonor. rapt.* inde videmus, quomodo furtum à rapina distinguatur, cum illud clam, hæc palam vi committatur; ideò rapina justè vocatur impudentius & atrocius furtum, vi perpetratum: ideò etiam juxta constitut. crimin. Caroli V. *artic. 126.* pœnâ gladii punitur, quâ latrones, prædones, & pyratæ puniri solent, imposito postea delinquentium corpore rotæ; quod fit in terrorem aliorum ad violentiam dolosè delinquentium puniendam, ut reipublicæ tranquillitas conservetur. Cæterùm rapina in genere fit vel circa res, uti hîc, vel circa homines, & vocatur raptus, de quo in seq. titulo.

Raptus crimen censetur atrox, ubi quis virginem, vel aliam honestam fœminam violenter rapit, eamque secum invitam, vel invitis saltem parentibus clam abducit, *l. un. C. de rapt. virgin.* attamen hoc delictum non æstimatur tàm atrox, si raptor fœminam honestam matrimonii contrahendi causâ rapuerit, quàm si eam libidinis explendæ causa vi secum abduxerit. Hanc ultimam raptus speciem jus Canonicum propriè vocat raptum, quo raptor fœminam per illicitum coitum corrumpit, *caus. 27. quæst. 2. can. 48.* Hoc raptus crimen jure civili est capitale, *d. l. un. C. & l. 5. §. 2. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Ideò raptor jure civili prohibetur, virginem raptam ducere uxorem, ne ex delicto suo lucrum & commodum indignè percipiat. Jus Canonicum in hoc casu mitius agit, quod inter raptorem & raptam permittit matrimonium, si mulier rapta ipsa consentiat: quod ideò fit, ne rapta inde famæ maculam sibi contrahat, *c. 6. X. de raptorib.* Quod si meretrix vi fuerit abducta, raptus non dicitur committi, quia non est persona honesta.

Ratihabitio est approbatio & confirmatio ejus, quod antea actum est. Hæc ratihabitio in omnibus negotiis mandato comparatur, & retrahitur ad tempus, quo negotium incepit, *c. 10. de reg. jur. in 6to. & l. fin. C. ad Stum Maced.* quoniam ratihabitio pro ipso consensu habetur, eique æquipollet, *l. 12. §. fin. ff. de solut.* Ideò in contractibus, actibus judicialibus, & in ipsis maleficiis eodem modo se habet ratihabitio, acsi in principio negotii consensus adfuisset; quia ratihabitio per juris fictionem reducit negotium ad illud tempus, quo contractum fuit, vid. *l. 6. §. 9. ff. de negot. gest.* Hinc si servus meus in gratiam mei me inscio inimicum meum verberibus exciperet absque meo mandato, is postea mihi omne negotium narravit, idque ratum habui, eumque meo nomine valdè laudavi, quo

casu ego hujus delicti nomine tanquam mandans possum conveniri. Sic non tantum is delinquit, qui ipse aliquid dolosè perpetrat, sed & is, qui idem approbat; talis approbatio multifariàm fieri potest, (1) si jubeat quid fieri, (2) si consensum dederit ad delictum perpetrandum, (3) si delinquentem collaudaverit ob delictum commissum, (4) si quid commodi ex delicto alterius sciens perceperit, (5) si possit & debeat impedire delictum, & non impedivit, & (6) si quis autorem delicti dolosè receptaverit.

Ratio est anima sive essentia legis, nam sicuti corpus inanimatum non potest dici homo; sic nec lex sine ratione potest jure vocari lex; ob id ratio non minus movere debet judicem, quàm ipsa lex. Quo fine juris conditores rationem juris naturalem quasi tacitam quandam legem adducere solent: dum ajunt, hoc naturâ æquum est: vel Prætor naturalem æquitatem tuetur, &c.

Ratio in omnibus pro norma est observanda; Ergo ubi eadem subest ratio, ibi eadem debet esse juris dispositio, *l.32.ff. ad L. Aquil.* Contra, ubi diversa est ratio, ibi diversa esse debet juris dispositio, sivè diversum jus, *l.13. C. de transact.*

Ratio sive mens est quiddam divinum in homine; & appetitus contra, est quiddam brutale, omnia cœco impetu agens: inde evenit, quòd inter rationem & appetitum sit quoddam naturale diffidium; nam ratio suadet ea, quæ sunt honesta & justa, sed cum labore & molestia ut plurimum conjuncta. Appetitus verò saltem fertur ad ea, quæ sensibus sunt grata & jucunda, & plerumque turpia. Ergo dum aliud suadet ratio, & appetitus aliud, & sic animus hominis, præprimis incontinentis, in diversas distrahitur partes, ac redditur dubius, ut nesciat, quid sibi sit faciendum; eò res tandem pervenit, ut appetitus rationem vincat: ob naturalem hanc rationis & appetitus pugnam ratio & appetitus sibi formant diversos syllogismos; ratio sic argumentatur: omne turpe est fugiendum, ebrietas est turpis: Ergo ebrietas est fugienda. Appetitus contra, sic argumentatur: omne jucundum est faciendum, potare est jucundum, Ergo est faciendum. Hinc licet incontinens utrumque syllogismum optimè noverit, sciatque priorem esse meliorem; neglecto tamen & contemto priori approbat posteriorem &c. *Plura de hac materia vide in titulo sensus in genere.*

Ratio & voluntas sunt actionum humanarum primaria principia; attamen ratio sivè mens vel intellectus est primaria & princeps facul-

tas

tas in homine, suâ naturâ aliquid divini in se continens; nam quò quis majori ratione est prædìtus, eò magis ad Deum accedit, & quasi mortalitati eximitur: hinc fit, quod omnes hominum actiones principaliter â ratione dependeant. Ratio hæc in homine existens, ut rectrix & Magistratus, imperat reliquis omnibus animi facultatibus: ideo sicuti mens sive ratio imperat appetitivæ facultati (h. e. voluntati vel appetitui) & illa rationi parere & obedire debet; ita omnes irrationales animi motus regit ratio. Ubi tamen notandum, quod Imperium hic saltem sumatur pro actu aliquo imperandi interno (quem superior animi facultas in reliquas facultates ejusdem personæ exercet) non autem externo, quale Imperium habet Magistratus in subditos. Hic probè observandum, quòd mens sivè ratio imperet appetitui non hereli, sed civili & regio imperio, h. e. non ut herus servis absolutè imperat, qui domini imperio nullatenus resistere audent; sed ut Magistratus subditis, qui eidem regulariter sunt obedientes; sic voluntas sivè appetitus rectè dispositus rationi ceu Magistratui suo paret & obedit: malè vero dispositus jussa rationis detrectat, e. gr. ratio injungit voluntati, honesta semper esse sequerenda; voluntas interdum resistit huic rationis mandato, dum homo juvenis scortationes, adulteria & homicidia sub specie boni apparentis appetit: contra, voluntas sub prætextu mali sæpè optima quæque aversatur rationi approbata, dum voluntas falsò sibi persuadet, hoc vel illud esse malum, quod tamen suâ naturâ bonum est: Hinc nullum, inquit Seneca, sine autoramento malum est. Avaritia (quà malum) pecuniam promittit, ob id laudatur & appetitur. Luxuria multas ac varias voluptates secum trahit, ideo voluntati censetur bona. Ambitio purpuram, dignitates & applausum, & ex hoc potentiam, & quicquid potentia potest, conciliare solet &c. Sic vitia homines ob bonum apparens expetendum pravè sollicitant, quæ â pravâ voluntate insuper laudantur, ac desiderantur. Cæterum ratio, intellectus sivè mens judicat, ostendit, demonstrat & imperat, quia ratio est potentia cognoscitiva & judicativa. Contra, voluntas nec judicat, nec denunciat quicquam, sed appetit tantum, & impellit cum cœco impetu; quia voluntas est potentia sivè facultas animæ cœca, nullius cognitionis capax, quæ illustrari ac dirigi debet ab intellectu sivè ratione. Ex dictis colligere licet, quamvis voluntati propriè imperium non competat (sicuti superius diximus) præscribendo, ei tamen competit im-

tit imperium secundum quid, movendo & impellendo. Ergo rationi sivè intellectui competit potius imperium in reliquas animæ facultates, ut præscribat, ostendat & denunciet, quid facto opus sit: & voluntas tantùm incitat, & ad agendum impellit: ideò rationi, sive intellectui non absolutè competit imperium in voluntatem, (alioquin voluntas cogeretur semper juxta præscriptum rationis se gerere, quod non semper facit) nec voluntati in rationem; sed utrique imperium sic datum & concessum est, ut ratio prædominetur. Quod voluntatem in specie concernit, voluntas sive appetitus duo involvit: vel aliquid persequitur, vel fugit; hinc appetitus sensitivus jucunda persequitur, & injucunda sive molesta & noxia declinat vel aversatur. Appetitûs objectum est bonum & malum. Illud persequitur, hoc aversatur. Hîc quæritur, an voluntas etiam malum velit? Resp. quod malum quà tale nunquam velit, sed malum sub specie boni sæpè. Ad hanc materiam magis illustrandam sequentes quæstiones plurimum juvant: (1) quæritur, an appetitus in genere sit uniformis? Resp. negando, quia datur appetitus sensitivus ab appetitu rationis distinctus. Appetitus est duplex, concupiscibilis & irascibilis. Concupiscibilis simpliciter appetit bonum, & fugit malum aut noxium. Irascibilis propulsat noxium, & quicquid impedit aut obstat, quo minùs bonum, quod appetimus, consequamur. Hîc probè notandum, quatenus facultas sensitiva, sive potentia appetitiva (concupiscibilis vel irascibilis) est in homine, & rectâ ratione regitur, eatenus dicitur rationalis, quatenus verò rectæ rationi adversatur, eatenus est irrationalis: indè colligere licet, quod facultas hæc sensitiva vel appetitiva in brutis animalibus planè sit irrationalis, quia in illis omnis ratio exulat. (2) Quæritur, an libertas arbitrii in actionibus civilibus rationi subjectis detur? Resp. quod sic, quod partim ex ipsa experientia docetur, quia hominibus liberum est, aliquid in rebus mundanis facere, vel non facere: ob id homines solent semper secum deliberare & consultare, num hoc vel illud sit faciendum, vel omittendum, quæ deliberatio & consultatio planè esset frustranea, si nulla esset libertas in actionibus nostris, & per consequens nulla actio moraliter esset bona vel mala; partim indè patet libertas arbitrii, quia animus hominis liber est, & in ejus potestate, utrum velit agere, vel non. Ergo res, quæ in nostra sunt potestate, liberæ sunt, non dependentes à necessitate quadam: sic

opinio,

opinio, appetitus, desiderium, aversatio sunt in nostra potestate, à nobis principaliter dependentes: quæ verò non sunt in nostra potestate, illa nec à nostro arbitrio dependent. (3) Quæritur, utrum radix libertatis consistat in voluntate; an in intellectu? Resp. quod in intellectu principaliter sit; ratio est, quia nulla potest esse rerum electio, ubi null9 est intellect9; ergo nulla potest esse libera appetitio, ubi non est rerum appetendarum cognitio & comparatio inter se: hæc autem comparatio ab intellectu dependet; ratio est, quia voluntas ipsa, dum est cœca, nihil cognoscit, sed dirigi debet ab intellectu sivè ratione in rei appetitione, ne quid appetat, priusquam illud sit cognitum. Ob id voluntas in tantum dependet à judicio intellectûs, ut sine illo non possit ad aliquid volendum vel nolendum facilè moveri; judicium enim intellectus sivè rationis est unum ex requisitis, quæ ad volendum vel nolendum præsumuntur, dum intellectus sivè ratio ostendit voluntati rem, quæ amari sivè appeti, aut fugi debet: sic voluntatem illuminat & dirigit. Ex dictis facilè colligi potest, quod voluntas remotâ ratione sæpè erret in appetendo rem, aut declinando eam: ast ratio sivè intellectus non tam facilè errat in judicando; e.gr. multi peccant ex malitia, dum malum appetunt, scientes esse malum, puta scortationem & adulterium, sed hæc mala appetunt sub specie boni apparentis ob conjunctam voluptatem. Sic ex opposito, multi aversantur bonum ob adhærentem molestiam, ut juvenes studia liberalia ob continuum & diuturnum laborem, sed hæc omnia longè melius novit ratio. (4) quæritur quid sit proæresis? Resp. est compositum quoddam ex ratione & voluntate sivè appetitu. Ergo quando mens sivè ratio & appetitus circa idem objectum idem expetunt vel fugiunt, tunc inde oritur proæresis sivè electio, hoc est, quando appetitus hoc vult & appetit, quod recta ratio suadet. Contra, malè se res habet, quando appetitus cum ratione non consentit, sed rationi resistit. Ex dictis colligere licet, quod omnis humana actio sit mala, quam voluntas sivè appetitus resistente ratione suscipit. Ergo dum recta ratio suadet, scortationem, adulterium, homicidium perjurium &c. non esse committenda, (quia recta ratio judicat omnia ista esse mala) & voluntas nihilominus scortationem, adulterium &c. approbat, vel homicidium in vindictam privatam appetit, tunc oritur actio mala sive vitiosa &c. (5) quæritur, quid sit animus? Resp. est quiddam incorporeum in homine existens, qui in partes propriè dividi nequit, hujus animi duæ

sunt

sunt principaliores facultates sivè potentiæ, (1) est facultas rationalis, & altera est irrationalis. Illa cognoscit res, earumque causas, deque rebus agendis vel faciendis consultat, & deliberat: hæc scilicet irrationalis est iterum duplex, vel (1) est absolutè irrationalis, ut facultas vegetativa, nihil cum ratione habens commune, & per consequens ad moralem & civilem disciplinam planè non spectat: vel(2) certo saltem respectu est irrationalis, ut sensitiva facultas; nam quatenus ratione regi potest, seque regi permittit, eatenus censetur rationis particeps, & vocatur appetitiva, quâ homo res objectas vel appetit & persequitur, vel eas fugit; hinc duæ istæ animæ potentiæ emergunt concupiscibilis & irascibilis; id autem propriè vocatur bene vivere, quando quis appetitum & omnes animi motus, sivè concupiscibiles, sivè irascibiles ad mediocritatem & rationis normam prudenter redigit.

Ratio status hodiè ut plurimum juxta Machiavelli doctrinam impiè intelligitur; ad hunc errorem corrigendum, distinguendum censeo inter justam & honestam rationem status, & inter injustam & inhonestam. Ratio status justa est prudentia rempubl. rectè gubernandi, licitè augendi, & piè conservandi, quæ pietatem & justitiam juxta Dei mandatum pro fundamento habet, nec à tribus generalissimis Juris principiis, (1) honestè vivere, (2) neminem lædere, & (3) suum cuique tribuere, latum unguem temerè recedit: ea propter nihil spe sordidi & impii lucri consequendi, nihil amore vanæ gloriæ, aut cupidine extensionis finium in aliorum perniciem impiè quærit, & dolosè machinatur &c. Contra, ratio status injusta, & apparenter saltem bona, sivè Machiavellistica neque pietatem, neque justitiam, aut honestatem habet pro fundamento, nec respectum ullum ad tria universalissima juris naturæ & gentium principia habet, sed solam duntaxat Principis utilitatem promiscuè promovere studet; licet illa regulariter cum maxima subditorum, vel aliorum læsione sit conjuncta. Hanc damnandam rationem status saniores Politici & JCti vocant dulce venenum, rationis monstrum, & malorum Principum idolum; qui hanc rationem status secretum sivè arcanum consilium solis malis Regibus, Principibus, & perversis Politicis reservatum appellant, quo in omnem eventum actiones suas & molimina speciosè excusare, & malitiosè defendere possunt; qui originem abominandæ hujus rationis status ex tyrannide & atheismo speciosè deducunt. Ob has rationes Pontifex Gregorius V.

eam Diaboli rationem appellasse fertur: quoniam hæc status ratio contra omnem rationem, naturalem æquitatem, & dictamen rectæ rationis est introducta. Hinc dicunt Itali: la ragion di stato esser una legge utile a gli stati & Prencipi, ma in tutto contraria alla legge di dio, e de gli huomini; hoc est, ratio status Statibus & Principibus imperii utilis est, sed contraria legi Divinæ & humanæ. Ut autem regulas, secundum quas hæc ratio status impiè formatur, scias, sequentes brevibus habe. (1) Principi summoperè studendum est, ut bonus, justus, & pius videatur, licet reverà malus, injustus, & impius sit, (2) quod Principi libet, id eidem liceat, modò id sic astutè temperet, ac dissimulet, ne apertè videatur contra honestum, vel æquum facere, si pro sua libidine quidvis promiscuè faciat. (3) sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas. Subditi sint ei quasi mancipia subjecti, ne videatur ad leges fundamentales, jus divinum morale, vel jus naturæ adstrictus. (4) per fas & nefas extendendum est imperium remota honestate, pietate, & justitia. (5) religio pro fræno tantum populi in republ. est colenda, ac rationi status accommodanda, ut Princeps inde sentiat commodum, prout Atheus Magister Samuel Puffendorff detestando conamine nuperrimè in suis scriptis publicè docuit, (6) omnia negotia publica in Principis commodum & promotionem unicè dirigi debent neglecto subditorum commodo &c. Ex his fundamentis cuilibet probo apertè colligere licet, quod perversa hæc ratio status, ejusque principia è schola Diaboli hausta & acquisita sint. Tales enim Statistæ, quoties illis tempore belli vel pacis consilium, ratio, vel jus deest, semper recurrunt ad corruptam & detestandam hanc rationem status; susquè deque habentes, utrum eorum consilium honestum, pium, & justum sit, vel non; sufficit, si id saltem Principi utile, aut jucundum sit; juxta Julii Cæsaris effatum: si jus violandum est, regnandi causa violandum est, & secundum illud Taciti: in summa fortuna id censetur æquius, quod validius. Ergo taceat justitia, ac regnet potentia. Nam qui 40. vel 50. millia armatorum testium producere valet, is pro obtinenda causa controversa validissimè probat. Qui hisce impiis principiis nixus sic pergere non veretur, ad gehennam & non ad cœlum incitatis calcaribus equitat.

Receptatores sunt, qui latrones & atrociter delinquentes ad effugiendam pœnam scienter & dolosè occultant, *l. 1. ff. de receptat.* Tales sunt in republica pessimi, omnia ad reipublicæ perturbationem

cum offensione proximi illicitè tentantes; cum reipublicæ ejusque tranquillitati in hoc maximè noceant: reipublicæ enim interest, ne delicta maneant impunita, & ut à malis hominibus respublica purgetur, *l. 13. ff. de offic. præsid.* Ideò receptatores eâdem pœnâ afficiuntur, quâ delinquentes, *d. l. 1.* nam si receptatores non essent, delinquentes diu latere non possent; ob eam rationem dicunt jura, qui novit furem, nec eum indicat, is quidem fur non est censendus, sed qui eum celat, hoc facto furti tenetur, *l. 48. §. 1. ff. de furt.* Ab hoc occultationis crimine regulariter excusari solent parentes, fratres, proximi consanguinei & affines, ut suos liberos vel consanguineos, aut affines in tàm tristi casu conservare quærant; si enim suum sanguinem quovis modo redimere liceat, *l. 22. §. ult. ff. ad L. Jul. de adult.* quare non etiam cognatorum & affinium; interim tamen in terrorem aliorum arbitrariè puniuntur.

Reconventio est mutua actio, quando reus ab actore judicialiter conventus, iterum convenit actorem in eodem judicio, *l. 11. §. 1. ff. de jurisd.* Vocatur jure canonico mutua petitio, *t. X. de mutuis petitionibus.* Germanicè eine Gegenklag. Quoniam actor evitare non potest, quo minùs reconventionem rei admittere, ac eundem judicem adversus se habere cogatur, quem pro se antea approbavit, *l. 1. §. fin. ff. quæ sentent. sine appellat. rescind.* Hæc reconventio duplicem habet effectum, (1) quod actorem jurisdictioni judicis rei subjiciat, si forsan actor & reus habeant diversa fora, *l. 14. C. de sentent. & interloc. omnium judic.* (2) quod utraque actio uno processu determinanda, & ferenda sit unâ sententiâ, *Ordin. Camer. p. 3. tit. 39.* Reconventio regulariter habet locum in omnibus causis, ut quis regulariter adversarium suum coram eodem judice reconvenire possit; excipiuntur tamen causæ, quæ celerem requirunt expeditionem, ut causa electionis, alimentorum, spolii, causæ criminales, depositi, *l. fin. C. deposit.* Reconventionem introduxit naturalis æquitas, quia actor non debet dedignari, eum contra se pati Judicem, cujus arbitrium in agendo semel secutus est, *dict. l. 14.* hoc est, actor non debet dedignari, se defendere coram eo Judice, coram quo agere non dubitavit, etiamsi aliàs ille Judex non esset competens.

Referenti, cui acta à Judice ad referendum in judicio sunt data, in relatione actorum duo accuratè sunt attendenda, (eadem de Judice dicenda.) (1) quæ ipsum processum concernunt, & (2) quæ ad merita

merita causæ spectant. Circa processum considerare debet, an processus debito juris ordine sit institutus, an verò in illo nullitas insanabilis sit commissa, quæ contingit vel in Judice, vel in litigantibus, vel in substantialibus processûs. In Judice, qui in illa causa Judex esse nequit. In litigantibus, si litigantes legitimam standi personam in judicio non habent, hoc est, agere, vel se defendere in judicio prohibentur. Item si Procurator eorum non est legitimus, aut falsus, aut non habet sufficiens mandatum. Circa substantialia processus Referens animadvertere debet, (1) an reus sit legitimè citatus, (2) an libellus ritè conceptus, in judicio sit productus, ac desuper lis contestata, (3) an legitimè in causa sit conclusum. His rectè observatis Referens rectâ viâ ad merita causæ progreditur. Ubi (1) circa universam facti speciem seu casum ex integris actis, præcipuè verò ex narratis, petitione libelli investigat, eumque dilucidè, plenariè, breviter tamen Judici ac suis collegis exponit, (2) post enarrationem casus referat, quænam actio sit instituta; nam juxta illam sententia formari debet. Atque si in libello certa actio non sit expressa, aut inde elici nequeat, ex narratis tamen libelli, vel aliunde constet, actorem diversis actionibus agere potuisse; illam eligit, quæ dictis narratis convenientior, & actori utilior est; (3) num institutæ actionis omnia requisita non solùm adsint, sed etiam num sufficienter sint probata. Nam unico requisito deficiente, vel non sufficienter probato, reus ab instituta actione absolvendus est; intellige, si actor illud juxta Judicis petitum probare nequeat, (4) consideret, an actio plenè sit probata, an verò per exceptiones rei sit elisa; hoc est, an rei exceptiones sint relevantes, quæ habent in se vim removendi actionem; quo casu Referens conferre debet actoris & rei rationes, probationes, juriumque allegationes, seu partium litigantium disputationes; uter eorum melioribus ac firmioribus rationibus, probationibusque nitatur; (5) tandem referens exponat, quid in causa proposita pronunciandum, & quomodo forma sententiæ ritè sit concipienda; (6) & postremò memoret, utrum expensæ ex justis causis compensandæ, an verò alterutra pars in eas sit condemnanda. Ut dicta tantò clarius lectori patescant, brevibus sequentia addo: Der Referendarius muß die Acten / so ihm von dem Richter zu lesen gegeben / mit grossem Fleiß durchlesen / und zwey Dinge gnaug beobachten / als (1) was den Proceß betrifft / und zum andern / wie die merita causæ

recht beschaffen. Quoad primum, ob der Process secundum jura recht eingerichtet / oder irg nd eine nullität begangen sey; quod (1) ex persona Judicis, (si non sit competens) vel (2) ex persona litigantium, (si non habeant personam habilem litigandi, vel eorum Procurator non est legitimus, nullo mandato validè instructus) vel (3) ex partibus substantialibus processus videre licet. Die substantial-Stück betreffend / so muß der Referendarius wohl in Acht nehmen / num (1) reus legitimè sit citatus, (2) an libellus supplex ritè sit formatus, judici oblatus, & litis contestatio sit facta, (3) an in causa controversa rectè sit conclusum. Wenn nun dieses circa modum procedendi wohl erwogen / deinde transire debet Referendarius ad merita causæ, umb dieselb'ge aufs gnaugste durchzulesen; und formiret (1) aus dem Klag-Libell, und den völligen Acten speciem facti, (2) perpendit, quænam actio ab actore sit instituta, ut genus actionis sciat, (3) considerat, an actio satis sit probata, (4) examinat, num etiam proposita actio exceptione rei oppositâ sit elisa: quo casu Referendarius actoris & rei argumenta, & rationes inter se confert, uter eorum optimas rationes, probationes & fundamenta pro se habeat. Postea addit suas rationes, & votum, quid in causâ sit decidendum; & denique (5) exprimit, an expensæ sint solvendæ, vel ex justis causis compensandæ, &c.

Regalia jura Imperatori regulariter competunt; ratio est, quia Feudistæ Imperatorem vocant Regem, *c. 1. de feud.* Regalia jura generaliter dicta sunt jura imperii, quæ regulariter Imperatori sunt reservata; quamvis illa uno generali nomine sic vocentur: attamen unumquodque regale habet diversam originem & causam. Regalia hæc jura propriè Imperatori competunt in signum supremæ eminentiæ; vel competunt aliis consensu Imperatoris reipubl. conservandæ causa. Hæc jura regalia sunt duplicia, (1) majora, & (2) minora. Illa scilicet majora sunt summa jura Imperatori in signum supremi honoris, & ad gubernationem imperii competentia. Hæc scilicet minora ad fisci augmentum sunt concessa. Inter majora regalia referuntur sequentia, (1) jus leges universales condendi, (2) jus cudendæ monetæ, quod populus R. olim tam summum censuit, ut monetarum officinam in Junonis templo saltem sub Triumvirorum dispositione constituerit, monetam duntaxat ex tribus metallis, auro, argento, & ære formando. (3) jus supremæ provocationis, sivè appellationis, (4) jus bellum indicendi, (5) jus academias

mias concessis privilegiis erigendi, (6) jus creandi Comites, Barones, Nobiles, Doctores, Magistros & Notarios; quoniam solus Imperator in imperio R. homines nobilitare potest, & ex speciali indultu & concessione Imperatoris Academiæ habent facultatem creandi virum eruditione insignem Doctorem &c. (7) jus legitimandi spurios, (8) jus instituendi nundinas universales, ut Francofurtenses & Lipsienses &c. Regalibus annumerantur flumina præcipua, ut Albis, Danubius, Mœnus & Rhenus: Daher seind die vornehmen Flüsse der Fürsten Eigenthum / die daselbst das jus territorii, hoc est, die landsfürstliche Obrigkeit haben. Wann also ein Fluß in den Gräntzen zweyer Herrn Länder fliesset / so hat ein jeder Herr regulariter die jurisdiction über diesen Fluß bis auf die Mitte des Stroms / *l. 19. ff. comm. divid.* Excipe, nisi dominus ab una fluminis parte probare possit, totum flumen ad se unicè spectare; ob eam rationem jus piscandi, quod olim fuit commune in fluminibus, hodie Principibus est reservatum *§. 2. Inst. de rer. divis.* Ex eodem principio jus venationis tanquam speciale regale sibi vindicant Reges & Principes.

Reges & Principes jure Divino & jure gentium habentur inviolabiles, & sancti, quorum sanguis adeo sanctus est æstimandus, ut eum temerè vel vindictæ studio profundere, nefas sit. Tales Regum vel Principum percussores reipubl. tranquillitatem maximoperè perturbantes, etiamsi justitiæ speciem præ se ferre videantur, non impunitos relinquit Deus: exemplum habemus in Julii Cæsaris percussoribus, quorum nullus diu mansit superstes, sed omnes miserè perierunt; pars eorum naufragio miserè periit, pars prælio, & reliqui semetipsos eodem pugione, quo Cæsarem nefario ausu è medio sustulerunt, impiè necarunt, *teste Suetonio.* Quis enim, inquit, David, manum suam impunis extendet ad unctum Domini! *1. Samuel. c. 26. v. 9.* quoniam juxta DEI præceptum etiam difficiliores Reges, & Principes patienter tolerandi sunt, & non seditiosè & temerè irritandi, vel scelestè opprimendi sunt. Quò collimat Cornelius Tacitus, dum dicit: optimi Principes voto quidem expetendi sunt, qualescunque verò patienter ferendi, cum neminem nisi DEUM agnoscant Judicem & superiorem.

Reges litigantes Martem duntaxat agnoscunt judicem. Quando Reges & Principes præter DEUM & ensem in hisce terris superiorem non recognoscentes, de imperio, vel imperii limitibus, aut religione

graviſſimas fovent controverſias, tunc Martem ſaltem admittunt Judicem, in cujus foro non legibus & ratione, ſed legionibus & potentiâ opus eſt: ubi controverſias & lites ſuas inter ſe non atramento, calamis, & ratiocinationibus tractare & decidere quærunt, ſed vi, armis, & ſanguine in bello per aliquot millia armatos teſtes victoriam cauſæ controverſæ deportare ſtudent. In cruento hoc judicio non is ſemper exiſtit victor, qui juſtiorem habet cauſam, ſed qui potentiorem habet manum; quoniam vi canonum (ſivè tormentorum) & tot millium armatorum teſtium præſentiâ Canones juris Eccleſiaſtici & leges civiles indignè ſupprimuntur, (cum inter arma ſileant leges) & charitas proximi impiè tollitur. Vah! quanto contemptu in hiſce caſibus ferociter negliguntur juris univerſalis regulæ; (1) neminem lædere, (2) ſuum cuique tribuere; ubi non conſideratur cauſæ æquitas, & juſtitia, ſed unicè prædominantur cupido habendi & potentia &c. juxta illud impium Julii Cæſaris effatum: jura regnandi cauſa violare licet. Hic non agitur de vera religione tuenda, conſervanda, aut propaganda; verum de regione per fas & nefas extendenda, aut nova aliqua acquirenda; ubi potentior vi belli ſupprimit debiliorem, ejusdem bona, propugnacula, civitates, & territoria ſibi vindicando. Quod probè obſervavit Tacitus, dum 15. *annal.* dicit: ſua defendere, privatorum ſaltem eſt; aſt de alienis certare, Regia laus eluit. Regibus enim & Principibus præ aliis mortalibus dominandi cupido eſt inſita; qui illud *plus ultra* ſemper urgere ſolent, quamvis id cum multorum ſanguine, ruinâ & incommodo contra jus naturæ fiat: ubi hic manet DEI mandatum *Matth. 22. v. 36.* nobis tam clarè præſcriptum: diliges DEUM Dominum tuum ex toto corde, & proximum ſicuti te ipſum, in his duobus conſiſtit æterna noſtra ſalus.

Regimen humanum variis calamitatibus & malis ſemper obnoxium, ratione, legibus & prudentia firmandum & conſervandum eſt, ne vel planè pereat, vel ad interitum inclinet, aut deterius reddatur. Ea de cauſa haud injuſtè ſequenti modo exclamo: ah! quàm felicia eſſent omnia regnorum & provinciarum regimina, ſi ſequentes 7. leges omnium Regum & Principum animis firmiter eſſent inſcriptæ, easque pro norma & regula univerſali religioſè obſervarent Principes. (1) ut ſubditis omnibus juſtè imperent Principes, ac omnem injuſtitiæ fucum ac falſum prætextum cane & angue pejus ſemper fugiant. (2) Ut adulatorum blanditiis non extollantur, ſed meminerint, ſe

se esse homines, fragilitati humanæ quâvis hora obnoxios. (3) Ut humanam sivè terrestrem suam potentiam semper juxta Dei præcepta prudenter temperent, ac dirigant, tacitè secum piâ mente pensando, Majestatem & potentiam suam terrestrem sibi concessam Majestati divinæ saltem esse famulam. (4) ne terrenis delitiis, divitiis & potentiæ sint nimium dediti, sed cogitationes & animum suum amore summi ac æterni boni consequendi, ad cœlum elevent, ut æternos cruciatus cum omnibus piis piè effugiant. (5) ut malint in affectus pravos, quàm in quasvis gentes dominari, nam quamdiu Princeps affectibus pravis nimium regitur, iisque indulget, negotia publica malè procedunt. (6) ut proni & faciles sint ad veniam (si peccatum sit leve) & tardi ad vindictam (nisi delictum commissum sit atrox, quod publicam coërcitionem justè meretur) ad reipubl. salutem & tranquillitatem conservandam, & (7) luxuriam, ebrietatem & scortationem ceu extrema mala quovis tempore prudenter fugiant Reges & Principes, ne hæc blanda, sed potentissima vitia æternam Regum & Principum salutem miserrimè subvertant.

Regnorum mutatio est varia; nam omnium rerum & Regnorum fatalis quædam est fortuna, ut certam sivè præfixam habeant felicitatis periodum, quâ elapsâ mirum in modum mutantur: quod ex 4. summis Monarchiis, Assyriacâ, Persicâ, Græcâ, & Romanâ patet. (1) vi & armis Nimrod primum Imperium Assyriacum, sivè primam Monarchiam acquisivit, quæ post felicitatis suæ periodum sensim periit. (2) vi & armis Cyrus Persicum Imperium, h. e. secundam Monarchiam constituit Babylone captâ; hæc quoque effluxâ felicitatis clepsydrâ vires amisit. (3) vi & armis Alexander Magnus tertiæ Monarchiæ Dominus est factus, quæ etiam successu temporis marcescere cœpit: (4) partim vi & armis, partim blanditiis & technis Octavius Augustus quartam Monarchiam Romanam est consequutus, quæ seculo quarto post nativitatem Christi à Wandalis, Gothis, & Hunnis miserè afflicta est. Vi & armis Carolus Magnus Imperium Romanum ad Germanos transtulit anno Christi 800. num ad finem mundi penes eos permanserit, eventus docebit. Interim Germania hisce temporibus Principum discordiâ, peregrino milite, belli flammâ, variisque aliis corruptionibus ubique fermè locorum debilitatur, inque pejus ruit.

Regnum Misericors Deus non modò piis Regibus, sed & impiis ex mera dat gratia; non ideo, quià sunt mali, & ut concessis Regnis iniquè abu-

abutantur, absit; quoniam DEUS ut æterna bonitas non vult iniquitatem, sed ut tantis beneficiis invitati à suis peccatis desistant, & ad veram DEI agnitionem tandem convertantur, ac vivant juxta DEI mandatum, *Esai. c. 45. vers. 2.*

Regna, Principatus, & magna territoriorum dominia non tam ad Regum, Principum & Dominorum, quàm ad subditorum commoda sunt inventa; ut omnes subditi mediante Regum vel Principum autoritate, & potestate ab aliorum insultu, oppressionibus, & injuriis validè defendantur, suaque illæsa quietè possidere possint; quoniam bonus Princeps in hoc principaliter à Tyranno differt, quod Tyrannus omnia primariò ad suam utilitatem; contra Princeps bonus omnia principaliter ad subditorum utilitatem & salutem dirigere conetur; sit ergò sequens regula bono Principi pro maxima. Salus populi suprema lex esto. Eapropter prudenter dicit Politicus Lipsius, quod Reges & Principes non tàm subditis præesse, quàm iisdem prodesse debeant; nec tàm sibi subditos, quàm se subditis datos esse arbitrentur, &c. Quid ergò de iis Regibus vel Principibus judicandum censes? qui subditos sibi mancipia datos esse, sibi impiè persuadent, quibus pro sua libidine & arbitrio sua eripere, eosque infinitis exactionibus & tributis ad medullam usque exsugere sibi impunè licere credunt, dicentes: si rusticis præter atrum panem & miseram vitam quicquam amplius supersit, quod haud facilè domari possint. Sed væ talibus in extremo judicio, subditos ut oves non tondentibus, sed deglubentibus.

Regulæ juris sunt notitiæ quædam generales, quæ in thesi semper firmæ & immutabiles censentur, quasi cordibus mortalium à supremo Legislatore DEO inscriptæ, honestatem & æquitatem naturalem pro fundamento habentes. Hinc quæritur, num ergò regulæ juris in titulo ultimo Digestorum propositæ ad omnes casus humanos sint extendendæ, ut nullum planè excludant? Resp. quamvis hæ juris regulæ ad omnia negotia humana regulariter applicentur, omnibus tamen casibus ob humanam fragilitatem & imbecillitatem accommodari non possunt, sed sunt in hoc passu periculosæ, *l. 202. ff. de reg. jur.* propter exceptionum multitudinem, & circumstantiarum diversitatem, quæ (exceptiones) regulam vitiant & subvertunt. Nam omnis regula verè subvertitur, si respectum habeas ad exceptionem; quia nulla regula ob materiæ subjectæ latitudinem censetur tàm firma, quin exceptionem quandam admittat: usque adeò

adeò inconstantia, proh dolor! sunt negotia humana, quæ undique ob rerum humanarum imperfectionem & defectus ab æquitatis & honestatis norma recedunt, novos semper casus indignè formando. In regulis sivè definitionibus his per brevem quandam orationem plures res breviter, summatim, & absolutè traduntur; præter expressas juris regulas multæ sunt omissæ: utpotè (1) ex nudo pacto non nascitur actio, *l. 7. §. 5. ff. de pact.* (2) Petitori incumbit necessitas probandi rem esse suam, *l. 1. c. Theod. de fide instrum.* (3) Tutorem habenti tutor non datur, *l. 20. §. 1. ff. de tutor. & curator.* (4) Inter suos hæredes proximior longiori gradu positos non excludit. (5) Unicuique licet favori & juri pro se introducto renunciare, *l. penult. Cod. de pact.* (6) Juris ignorantia nocet, sed facti ignorantia non nocet, *l. 9. ff. de jur. & fact. ignor.* De his plura recenset Cujacius. Cæterùm nota: dantur adhuc quædam aliæ regulæ in jure nullam ferè exceptionem admittentes, quales sunt sequentes; (1) liquidum cum illiquido non potest compensari, *l. ultim. C. de compensat.* (2) impubes non potest condere testamentum, *§. 1. Instit. quib. non est permiss. fac. testament.* (3) nemo ab initio invitus agere vel accusare cogitur, *l. un. C. ut nemo invitus.* (4) nemo invitus procurationem suscipere cogitur, *l. 17. Cod. de procurat.* (5) incivile est, de lege quadam judicare velle, nisi totâ lege perspectâ, ut prius sensus legis probè percipiatur, *l. 24. ff. de legib.* (6) liberum corpus non recipit æstimationem, *l. 3. ff. si quadrup. pauper. fecis. dicatur.* quia est inæstimabile; (7) per jocum. Fœminæ bonæ sunt raræ, sed malæ plurimæ. Hinc Oënus Poëta lepidè canit:

Fœmina nulla bona est, quod si contigerit ulla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

(8) furiosus, mente captus, prodigus, & infans quà tales non possunt quicquam ex suis bonis alienare, vel vendere ob rationis defectum & corruptos mores, *l. 40. ff. de regul. jur. §. 2. Instit. quib. non est permiss. fac. testam.* &c. Hic porrò notandum, quod inter Regulas Juris referantur quædam legum capita, quæ propriè loquendo non sunt regulæ juris, quales sunt tres sequentes; (1) definitio regulæ, vid. *l. 1. ff. de reg. jur.* (2) definitio hæreditatis, *l. 26. ff. ibidem.* (3) definitio Syllogismi acervalis, quem vocamus soritem, *l. 65. eod. tit.*

Regulæ juris generales in jure naturæ fundatæ dantur plurimæ, inter quas sequentes eminent, (1) honestum est expetendum, & turpe est fugiendum; inde (2) fluit, quod honestè sit vivendum, (3) bonum est faciendum, & malum est vitandum; ne contra bonos mores & conscientiam turpiter agamus; quoniam dictamen rectæ rationis nobis discrimen honestorum & turpium, boni & mali suppeditat, (4) omnes virtutes sunt bonæ, & omnia vitia sunt turpia; hinc (5) virtutes sunt colendæ, & vitia fugienda, (6) jus naturale illuminat mentem humanam, ac intellectum dirigit, & nos homines ad virtutes colendas, & vitia fugienda in conscientia obligat, (7) quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, (8) homo homini benefacere jure naturæ debet; ratio est, quia natura inter homines cognationem quandam constituit; homines etiam hominum causa sunt creati, ut sibi invicem prosint, nec homines possunt esse tuti contra injurias & incursiones malorum, nisi se mutuis officiis invicem juvent, (9) non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri; ergò (10) nemo debet locupletari cum alterius damno vel injuria, ne proximum nostrum injustè lædamus: hinc qui ex alterius jactura lucrum studio quærit, is contra jus naturæ dolosè agit; (11) quidquid homo sine dispendio alteri potest commodare, id eidem commodet, ut alter inde utilitatem percipiat; quia proximo nostro benefacere debemus, &c. Hîc circa regulas generales accuratè observandum, quod jus naturæ habeat quædam prima principia, quorum veritas homini statim absque operosa ratiocinatione patet: idem jus naturæ habet etiam quasdam conclusiones minus notas, ex primis juris naturæ principiis per ratiocinationem deductas: e. gr. principium juris naturæ est, (1) quod tibi vis fieri, id alteri facias: hinc sic formanda est conclusio, ergò si apud alterum quid deponas eâ mente, ut tibi imposterum petenti reddatur, ipse rem penes te depositam reddere debes deponenti petenti. Ex opposito, regula generalis formatur: quod tibi non vis fieri, id alteri ne facias; inde talis formatur conclusio, ergò sicuti ab alio non vis lædi, sed damnum à te depellere quæris, sic alios lædere jure naturæ prohiberis, (2) regula est, pax & tranquillitas in republica est conservanda: indè formatur conclusio, ergò perturbatores reipubl. sunt puniendi & tollendi, ut quietè & pacificè in republ. vivere liceat.

Rei vindicatio est specialis actio in rem, domino ex dominio rei competens contra possessorem rei corporalis, ut is declarato petitore pro

pro domino rem petitam cum omni causa petitori ceu domino restituat, *l. 23. ff. de rei vind.* Causa efficiens sive fundamentum rei vindicationis est dominium, quæ Princeps & excellentior juris in re est species; ideò qui rem vindicare vult, dominium ejus aut jus dominio proximum habere debet, *l. 1. §. 1. ff. si ager vectig.* Materia rei vindicationis sunt omnes res corporales sive mobiles, sive immobiles, in commercio hominum existentes, *l. 1. §. 1. ff. de rei vindicat.* Forma hodiè est, ut actor in libello proponat, se esse dominum rei, quam ab adversario petit, *l. 3. & 26. C. h. t.* causamque juris sui exprimat, ut judex adversarium ad restituendam rem actori cogat, *l. 68. ff. b. t. & l. 25. pr. ff. de O. & A.* Ideò obligatur actor probare, dominium rei petitæ ad se pertinere, *l. 21. C. h. t.* nam si hoc actor non probaverit, tunc possessor ne quidem tenetur titulum suæ possessionis edere: sed cum dominij probatio sit difficillima, idcircò actor in sui securitatem in libello adjicere solet, se petere rem jure dominij, vel quasi per actionem publicianam, quæ bonæ fidei possessori propriè competit, & non domino. Finis est, ut res sua domino restituatur cum omni causa & accessione, *l. 17. §. 1. ff. d. t.* & ut quilibet suum, ad tranquillitatem in republica conservandam, retineat. Effectus vindicationis est, ut reus prævia sufficienti probatione ad restitutionem rei condemnetur; & si reus sententiæ judicis ob contumaciam non paruerit, res manu militari, h. e. mediante executione reo est auferenda, *l. 68. ff. de rei vindic.* Effectus rei vindicationis est, ut impletâ & approbatâ actoris, sivè domini intentione reus sivè possessor condemnetur ad restitutionem faciendam, quod statim fieri debet, ne domino res sua diu iniquè detineatur. Excipe, nisi ex probabili causa Judex dilationem concedat, *§. 1. Inst. de offic. judic.*

Religio est cultus divinus, quâ uni soli DEO animas nostras ad cultum divinum religamus animo serviendi. Religionis semen humanis mentibus naturâ inditum est, *2. Reg. 17. vers. 26. & seq.* hinc beatus vir est, qui meditatur in lege Divina die ac nocte, *Psalm. 1.* ob id dicitur religio pietatis ministra.

Religio & justitia sunt maxima & firmissima Regnorum & Rerumpublicarum fulcra sivè fundamenta, *Novell. 141.* quia homo spretâ Religione & Justitiâ est indomitum animal, nocifero bruto pejus, summa imis horrendè confundens; cujus vitæ norma non est recta ratio, non honestas & pietas, sed inordinata voluntas. Unde

Tyrannorum regula; quod libet, licet, cessante honestate & naturali æquitate. Ubi ergo manet religio erga DEUM, de qua in *l.2. ff. de justit. & jure, & in l. 30. ff. famil. ercisc.* agitur, quam qui non habet, is nec fidem, nec bonam conscientiam habet &c. Contra, qui veram religionem & justitiam pro norma piè agnoscunt, DEI & Magistratus mandata libenter audiunt, ac sequuntur; neminem malitiosè fallunt, vel lædunt, pacta fidemque religiosè servant, in hac & futura vita erunt beati. Ut de religione & justitia sigillatim pauca dicam, sequentia observa. A religione non solum æterna, sed & temporalis felicitas dependet. *Recess. Imp. de anno 1566.* zu Augspurg §. wie wol wir. Hinc pro Religione pugnare bella sunt Domini, *Exod. 17. v. 16.* Ex hoc Principio statuit Imperator *in l. 14. C. de heretic.* quod injuria Religioni illata ad omnes meritò pertineat, sitque publicè vindicanda. Quantam veræ Religionis Catholicæ venerationem habuerit Imper. Justinianus, inde patet: quod primum titulum in Codice de Religione tanquam basi Justitiæ religiosè conscribere jusserit &c. Vera religio & pietas consistunt in vera DEI notitia & cultu divino rectè exercendo: nosse autem rectè Deum est consummata justitia, & scire virtutem ejus radix immortalitatis *Sapient. c. 15. v. 3.* Hîc sciendum, quod DEUS non possit rectè coli, nisi prius per fidem verè agnoscatur. Hæc DEI agnitio sive notitia ex tribus homini acquiritur, (1) naturâ homini inest, estque illi connata, cordique ejus inscripta, (2) acquiritur mediante industria humana, & (3) in scriptura sacra revelatur, quæ est perfectissima Dei notitia. Huc spectat Psalmus 19. cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, usque adeo sunt nota opera Dei &c. Quod justitiam concernit, eam adeò necessariam censet S. Augustinus, ut regna sine justitia vocet magna latrocinia, *lib. 4. de Civitate Dei, c. 4.* quoniam illa est primarium societatis humanæ conservandæ vinculum, vide *Recessus Imperii de anno 1567. §. 60.* Inter cætera dicunt: Die heilige Justiz ist das höchste Kleinod des Römischen Reichs & *in Novell. 164. pr.* dicit Imperator: DEO & Justitiæ nihil majus existit; absque his enim nihil commodè & feliciter geri potest; cum justitia stabiliat thronum Regis, dicaturque civitatis & reipubl. anima. Contra, injustitia dissipat solia Regum, & devastat terras imperiorum; eo fine Athenienses regna censuerunt beatissima, in quibus floruit Justitia; quam Cicero adeò necessariam censet in societatibus hu-

manis

manis, ut nec latronum vel pyratarum societas sine justitiæ particula subsistere possit; ideo dicit Cicero, quod & Reges & leges ob necessariam & salutarem justitiæ administrationem ab hominibus sint constitutæ, ad malitiam hominum coërcendam, & tranquillitatem in societate humana conservandam, ne boni à malis, & debiliores à potentioribus iniquè supprimantur. Hic quæritur, an illud vulgi principium cum principiis Theologicis rectè conveniat? in qua quis religione est natus & educatus, ei debet ad vitæ finem tenaciter adhærere. resp. quod non; ratio meæ negationis est, quia Ariani, Manistæ, Photiniani, Anabaptistæ, & aliarum sectarum cultores optimè faciunt, si Divinâ gratia illuminati se relictâ hæresi ad veram & salvificam religionem tandem convertant: qui verò sciunt, se in religione sua fovere errores, & tamen in iis pertinaciter persistunt, mortaliter peccant.

Remedia non solum pro morbis tollendis à Medicis afferuntur, verum etiam pro rebus & negotiis civilibus curandis â JCtis prudenter & tempestivè afferri solent: sic maximum remedium litium expediendarum est jurisjurandi religio; quo sensu JCti afferunt, quod stultum sit admittere aliquod malum, quod tempestivè & commodè præcaveri potest; cum longè melius & salutarius sit, in tempore imminens malum avertere, vel planè tollere, quàm postquam illatum est, demum remedia quærere, *l. 1. C. quando licet unicuique se vind.* Unde consultius est, suspectum tutorem â tutela statim removere, ne pupillo suo imposterum nimium noceat, quàm eum post illatum damnum actione in judicio convenire, ad damnum resarciendum, *t. Inst. de suspect. tutor.*

Repræssaliæ sunt, quibus aliorum injustitia reprimitur, & sunt pignorationes rerum & personarum, suntque species quædam belli, sivè indirecta belli denunciatio, quando ob denegatam justitiam alii pro aliis, vel res aliorum pro rebus, ac bonis aliorum apprehenduntur, prægravantur, ac detinentur. Ist eine Pfändung der Güter und Personen/ als da einer für den andern/ und eines Gut/ für des andern Gut gefangen und verhafftet wird. *c. 1. de injuriis in 6to.* Repræssaliæ videntur naturali æquitati repugnare; ratio est, quia iniqvum est, ut alius pro alterius delicto puniatur, dum delicta tenere debeant suos autores, *l. 26. ff. de pœn.* attamen hodiè sunt in usu; quod ideo fit, quia totus mundus in varia regimina, variasque jurisdictiones est divisus, variisque per consequens subest Magistratibus; unde

facillimo negotio fieri potest, ut alicui denegetur justitia: ob hanc causam sæpe ad hoc extraordinarium repræsaliarum auxilium est recurrendum. Quod si verò totus mundus adhuc sub uno Principe Augusto regeretur, tunc repræsaliis non amplius esset opus; quia nemo in tali casu ob Magistratus & jurisdictionis diversitatem de denegata justitia conqueri posset. Olim Principes & majores Magistratus repræsalias ob denegatam justitiam sæpè concedere solebant; quia videntur speciem justi belli in se continere, ne justitia pereat. Ideo S. Augustinus dicit, quod contra illam gentem, quæ nobis justitiam facere denegat, bellum licitè gerere possimus, *caus.23. q. 2. can.2.* Hodiè repræsaliæ à multis regulariter rejiciuntur ob duplicem rationem, (1) quia nemo regulariter alterius odio prægravari debet, & (2) quia repræsaliæ pacem publicam perturbare solent. In certis tamen casibus videntur licitæ, si alius Magistratus, quem cogere absque bello non possum, mihi, meisque subditis justitiam malitiosè denegaverit. Hoc jure repræsaliarum uti solent Galli in exteros, si Hispani vel Angli injustè diripuerint Gallo negotiatori suas merces: ne autem hoc impunè dimittatur, Gallis iterum ad vindictam illati damni quasi ex lege talionis cuilibet Hispano sua diripere licet. Ad hunc extraordinarium & violentum procedendi modum nemo facilè pervenire debet, nisi alicui ordinaria juris remedia planè sint impedita, dum per viam juris suum conservare vel consequi nequit; quoniam in talibus casibus innocens subditus ut plurimum punitur, damnoq; indignè afficitur ob Principem nocentem. Sic Rex Sueciæ Hollandorum merces in Livonia & Suecia confiscari & diripere voluit ante annum, quia eorum Magistratus Suecorum armis non favit.

Res in genere sunt vel corporales, vel incorporales. Res corporales iterum sunt vel mobiles vel immobiles: illæ scilicet mobiles moveri possunt de loco ad locum; suntque vel activè, vel passivè tales. Res mobiles activè tales sunt, quæ se proprio motu movere possunt, quales sunt homines & animalia quævis. Passivè tales sunt quæ proprio motu destituuntur, sed ab aliis moventur, ut lapides, ligna, supellectilia &c. Hæ scilicet immobiles suâ naturâ moveri nequeunt, quales sunt prædium, ager, pratum, sylva, vinea. Res incorporales sunt, quæ suâ natura tangi non possunt, cum non revera existant, sed intellectu tantùm concipiuntur, & existere finguntur: dum corpus nullum habent, quales res incorporales sunt jura, actiones, hereditas,

reditas, possessio, obligationes, servitutes &c. Omnes res sivè mobiles sivè immobiles sunt vel in commercio, vel extra commercium, quales nec emi, nec vendi possunt. Hinc omnes res, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, vel quæ sunt in commercio, sivè sint corporales, sivè incorporales, emi, vendi possunt, h.e. dicuntur habiles ad vendendum, *vid. t. ff. de heredit. & action. vendit.* Contra, res extra commercium existentes dicuntur inhabiles ad vendendum, quales sunt res sacræ, sanctæ, religiosæ, publicæ, liber homo &c. quia hæ res non sunt in commercio, nec emi, nec vendi possunt, *l. 34. §. 1. ff. de contrah. empt.*

Res incorporales propriè non possunt possideri, *l. 4. §. 27. ff. de usurp. & usucap.* & per consequens non possunt alteri tradi, *l. 3. §. 2. ff. de act. empt.* nam quæ effugiunt tactum & apprehensionem (ut jura & servitutes) illa propriè tradi nequeunt, sed saltem per fictionem juris alteri traduntur & apprehenduntur.

Res sunt (1) vel communes, vel (2) publicæ, vel (3) universitatis, vel (4) nullius, vel (5) singulorum. (1) res communes sunt, quarum proprietas est nullius, earum tamen usus omnibus gentibus patet, ut aër, aqua profluens, mare &c. *l. 14. ff. de acquir. rer. dom.* (2) publicæ res sunt, quarum proprietas est in dominio & potestate alicujus reipubl. usus autem earum omnibus patet, ut flumina, & portus, ut in iis quis liberè navigare possit; (3) res universitatis sunt, quæ sunt alicujus oppidi, civitatis vel collegii propria, & non singulorum civium, *§. 6. Inst. de rer. divis.* ut curia, theatra, forum, balnea, pascua publica: universitas enim denotat civitatem vel collegium, sivè corpus aliquod eorum, qui in civitate simul coëunt, quibus id speciali lege, vel constitutione Principis est permissum. Hic nota, publicæ res differunt à rebus universitatis: nam res publicæ sunt proprietate certi alicujus populi, usu autem omnium gentium. Ast res universitatis sunt tam usu, quàm proprietate certæ alicujus civitatis vel collegii: inde colligere licet, quod generalis ista rerum communio, de qua in primo membro diximus, non sit ex jure gentium, vel privata hominum conventione, aut dispositione societatis civilis introducta, sicuti publicæ res & universitatis sunt; sed ex ipso jure naturæ profluit. Dantur tamen etiam res communes in sensu civili strictiori, quæ à duobus vel tribus possidentur indivisim, sivè non divisæ; quo sensu socii dicuntur res communes habere, *t. Inst. de societat.* (4) res nullius sunt, quæ ob reverentiam & consecratio-

nem

nem nullius in bonis sunt, sed Deo religiosè dicatæ. *§. 7. Inst. de rer. divis.* (5) res singulorum multis modis fiunt; nam res omnes ab hominibus generaliter acquiruntur vel jure gentium, vel jure civili, quod in subsequentibus clarius demonstrabimus. Primævo enim rerum statu omnia erant communia & indivisa, velut unum cunctis mortalibus patrimonium esset; ut autem homines jus suum in res creatas, communes validè exercerent, iisq; singulariter uti possent, apprehensione & occupatione singulari erat opus, quæ occupatio tunc temporis ita erat comparata, ut quis rem ad usum saltem temporaneum adhiberet, nulla sibi acquisita proprietate, quæ communis iterum manebat; usu itaq; rei postea cessante, res in communionem revertebatur; verum quia communio multiplicato genere humano, & accrescente hominum malitia, discordias, lites, vulnera, cædes mortalibus sæpissimè excitabat, ideo gentes per ratiocinationem ex principiis naturæ, & mundanis negotiis prudenter collegerunt, dividendos esse agros rerumq; possessiones, & per consequens dominia occupantibus esse concedenda, tam ob pacem & tranquillitatem in republ. vel communi societate conservandam, quàm ad meliorem rerum administrationem, & accuratiorem bonorum curam ac culturam, quippe gentes spectatâ fragili mortalium conditione & naturâ, (quæ est sui amans, & alieni negligens) cupiditati atq; ambitioni maximè subjecta, periculosam illam rerum omnium communionem putarunt sibi noxiam; ea de causa distincta sunt dominia, agris termini positi &c. *l. 3. ff. de just. & jur.* & divisio rerum jure gentium mediantibus variis rerum acquirendarum modis est introducta, qui commodè ad tria genera vel classes divisionum reduci possunt. 1. est occupatio, 2. accessio, & 3. traditio. De modis acquirendi rerum dominium jure civili specialiter agitur in institutis, *lib. 2. t. 1. & in lib. 41. ff.* & acquisitio hæc rerum civilis fit vel universaliter, vel particulariter. Universaliter fit 4. modis, (1) per hæreditatis acquisitionem, (2) per bonorum possessionem, (3) per arrogationem, & (4) per emtionem bonorum omnium. Particularis acquisitio fit etiam 4. modis, (1) per usucapionem, (2) donationem mortis causa, (3) per legatum, & (4) per fideicommissum particulare. Quare autem quidam acquirendi modi vocentur juris gentium, quidam juris civilis, hanc scias subesse rationem; quia modos acquirendi juris gentium non excogitarunt sibi Romani, sed eos longè antè Romanos sibi gentes mediante ratiocinatione & utilitate

litate publicâ sic suadente utiliter introduxerunt. Civiles verò acquirendi modos ipsi Romani invenerunt, ad commodius & tranquillius in Republica R. cum sociis vivendum.

Res sunt vel in patrimonio, vel extra patrimonium. Res in patrimonio sunt, quæ in commercio hominum sunt, quævè humani juris sunt, & dominio nostro subjici possunt. Res extra patrimonium sunt, quæ extra hominum commercium sunt, quævè divini juris sunt, & dominio nostro subjici non possunt. Ubi accuratè observandum, quod res extra patrimonium sint vel absolutè & simpliciter tales, ut res sacræ, sanctæ, religiosæ, vel certo saltem respectu, h.e. secundum quid tales, quales sunt res communes, publicæ & universitatis, quæ actu quidem in bonis privatorum non sunt, potentiâ tamen sunt; h.e. ita sunt affectæ, sivè ejus sunt naturæ, qualitatis & conditionis, ut hominum necessitatibus inserviant, quod fit vel usu & proprietate simul, vel nudo saltem usu. Hîc occasionaliter quæritur, an servitutes reales, sivè jura prædiorum sint in patrimonio, vel extra patrimonium? resp. affirmando prius, per *l. 86. ff. de verb. signif.* quia servitutum datur dominium, intellige, in sensu latiori sumptum, non autem in sensu proprio & stricto, *l. 15. §. 8. ff. quod vi aut clam.*

Res judicata dicitur, quando finis causæ controversæ mediante judicis competentis sententia imponitur per condemnationem vel absolutionem, *l. 1. ff. de re judic.* hic tamen sequentia quatuor probè sunt attendenda; nim. ut sententia in rem judicatam transiens sit (1) per se certa, (2) ut sit juri conformis, (3) sit libello conformis, & (4) sit ipsis actis congrua sive conveniens. Res judicata regulariter pro veritate habetur, *l. 25. ff. de stat. hom.* quia Judex præsumitur, justam sententiam de causa controversa tulisse, præsertim si litigans, contra quem sententia pronunciata est, intra decendium non appellaverit, *vid. t. ff. de re judic.* Dantur tamen casus excepti, quibus res judicata non habetur pro veritate; (1) quando de iniquitate sententiæ latæ manifestò constat, *l. 10. ff. de inofficioso testam.* hinc meritò statuunt probi JCti, quod judex in tali casu rem judicatam rescindere, & secundum jura denuo judicare licitè possit; rationem subnectunt, quia justitia & veritas re judicata sunt potiores & fortiores, (2) quando sententia contra jus expressè lata est, *l. 19. ff. de appellat.* & (3) quando judex sententiam de re controversa ad suum tribunal non pertinenti pronunciaverit, *l. 170. ff. de R. J. & l. ult. ff.*

de jurisd. quia Judex in tali casu terminos officii sui imprudenter & illicitè transgressus est, quod alteri præjudicare non debet; nam qui jurisdictioni præest, non debet excedere modum jurisdictionis suæ, *l. 11 pr. ff. de jurisd.*

Res Sacræ accuratè loquendo differunt à rebus Ecclesiasticis, quia res sacræ per Pontificem vel Episcopum ritè DEO sunt consecratæ, ut ædes sacræ, vestes, vasa cultui divino destinata. *§. 8. Inst. de rer. divis.* & sic non sunt in patrimonio, nec ad profanos usus transverti possunt, *c. 51. de R. J. in 6to.* Contra, res Ecclesiasticæ non sunt simpliciter DEO consecratæ, nec immediatè ad cultum Divinum adhibentur, sed diversis Ecclesiarum, aliorumvè piorum locorum & personarum ad Ecclesiam pertinentium usibus vel alimentis inserviunt, ut bona & prædia Ecclesiastica, ut & decimæ &c. Ideo sunt in patrimonio & dominio Ecclesiæ. Quod autem res Ecclesiasticæ commerciis hominum regulariter sint exemptæ, hoc non fit eo modo, ut res sacræ, quæ DEO immediatè sunt dicatæ, sed ob utilitatem Ecclesiæ & monasteriorum, ut partim personis Ecclesiasticis inde necessaria vitæ subsidia suppeditentur, partim ut ad templorum, monasteriorum & Scholarum &c. structuras & reparationem media adsint. Idcircò Reges & Principes Christiani hodiè injustè faciunt, quod illi tanquam defensores Ecclesiarum decimas, & reditus Ecclesiarum ad se injustè pertraxerint, desolatis & destructis Ecclesiis in honorem & Gloriam DEI exstructis. Quod autem ad Episcopos & Prælatos attinet, illi tantum sunt rerum Ecclesiasticarum Procuratores & Administratores, non Domini absoluti. Ea de causa illis permissum, conditionem Ecclesiæ, rerumque Ecclesiasticarum reddere meliorem, & non deteriorem: & per consequens nihil absque Capituli consensu ex bonis immobilibus alienare vel distrahere possunt.

Res omnes non possunt specialibus nominibus definiri; ratio est, quia plures sunt res, quàm nomina rerum, *l. 4. ff. de præscript. verb.* undè sæpe unum vocabulum plures res denotat. Ipse Cicero Orator maximus, & quasi parens latinitatis sæpè de penuria vocabulorum conquestus est.

Respublica est ordo imperantium & parentium, qui maximè præmiis & pœnis conservatur. In horum distributione, puta, ut virtuosi præmiis, & vitiosi sivè delinquentes pœnis condignè afficiantur, prudentiâ Magistratûs opus est. Hinc regere, & regi non solum utile,

sed & necessarium est. Hæc regendi & parendi harmonia est illud vinculum, quo respubl. validè constringitur, & conservatur; estq; spiritus reipubl. vitalis, quem tot millia civium simul trahunt, quo deficiente omnia collabuntur, & miserè confunduntur, imo pessum eunt. Ergo ut omnibus in republ. benè sit, Superiorum est, benè regere, & subditorum, benè obedire, h. e. Magistratui imperium competit, & subditis obsequii gloria relicta est. Occasionaliter hic quæritur, an etiam quædam reip. species (h. e. ordo imperantium & parentium in statu innocentiæ fuisset observata, si primi nostri parentes Adam & Eva remoto peccato in eodem piè permansissent? resp. quod sic, prout id ex variis rationibus & argumentis satis demonstrari potest. (1) quia & inter ipsos Angelos bonos & malos est ordo imperantium & parentium, ut alii præsint, alii subsint; alii sint Principes, Archangeli, Duces & Præsides, alii inferiores & subjecti, *vid. Paul. Ephes. cap. ult. v. 12. & ad Coloss. 2. v. 15. Apocalip. cap. 12. &c.* quid ni ergo ordo inter homines piè viventes observandus esset, (2) quia omnibus familiis certum semper caput præest, ergo generi humano ex diversis & variis familiis propagato ad vitam commodius degendam certa fuissent constituenda capita, sivè Rectores, qui societatibus humanis majoribus regendis ad exemplum Angelorum utiliter præfuissent.

Restituere ablatum quilibet jure tenetur: hinc qui restituere à Judice jussus non paret, si rem habet, ei res propter contumaciam, & spretum Judicis jussum manu militari auferenda est; & fructuum omnisque causæ nomine condemnatur, si dolo desiit habere, (hoc est, si rem dolosè in alterius præjudicium alienavit) tunc alter in litem jurare, hoc est, rem illam pro suo arbitrio mediante juramento æstimare potest. Si verò sine dolo & culpa ejus res abest, tunc quantum adversarii interfuit, condemnandus est, *l. 68. ff de rei vindic.*

Restitutio in integrum est remedium extraordinarium, quo Prætor vel Magistratus deceptos vel læsos in eum statum, in quo ante deceptionem & læsionem erant, ex justa causa restituit. Causa efficiens restitutionis in integrum olim fuit Prætor, hodie est quilibet Magistratus. Materia sivè objectum restitutionis sunt res sivè causæ non leves, in quibus quis læsus est; quales sunt metus, dolus, minor ætas, capitis minutio, sivè statûs mutatio, justa absentia majorum 25. annis, & alienatio judicii mutandi causa. Forma restitutionis est, ut læsus intra legitima tempora petitionem restitutionis in inte-

grum implorato Judicis officio proponat, *l. 6. ff. de in integr. restit.* ubi requiritur plena causæ cognitio, *l. 3. ff. h. t.* num is reverà sit læsus, & læsio fuerit majoris momenti; quoniam minima non curat Prætor. Finis est, ut læsus ætate, metu, dolo, errore vel aliâ justâ causa lapsus restituatur in eum statum, in quo ante deceptionem fuit *l. 2. C. in quib. caus. in integr.* Magistratus enim graviter læsis & deceptis subvenire solet. Ergo qui vi aut metu coactus quid facit, aut præstat, eum Magistratus ob vim, vel metum intervenientem in integrum sivè priorem statum restituit.

Restitutio in integrum fit, quando iniquè læsus in eum statum, quo antè læsionem erat, plenè restituitur, ut si quis metu vel vi coactus, aut dolo circumventus quid fecit, quo graviter læditur; vel si quis ob imperfectam ætatem, aut justam absentiam injustè lædatur, *vid. libr. 4. ff. de restitut. in integr.* Restitutionem hanc in integrum Magistratus prudens absque accuratâ causæ cognitione & aperta læsione non concedit. Restitutio in integrum comparari potest reconventioni; nam sicuti reconventionis non datur reconventio, ita nec contra restitutionem in integrum datur restitutio; ne lites in infinitum extendantur, fiantque immortales. Ergo actor in judicio à reo reconventus, non potest reum quasi triplicando iterum reconvenire.

Retorsio injuriarum jure divino non est licita, sed moribus introducta; estque defensio famæ, quâ injuriâ affectus idem objectum sibi crimen in injuriantem verbis vel literis regerit, ad famam suam salvandam, ut si quis fur vel latro ignominiosè vocetur, & is regerat in injuriantem idem crimen, dicendo, tu mentiris ut fur & latro, quo casu injuriam injuriâ licitè retorquet: cum autem retorsio habeatur pro legitima defensione; ideo illâ cuilibet ad defensionem famæ & existimationis suæ hodiè uti licet. Ubi tamen observandum, quod retorsio hæc debeat fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut injuriatus saltem objectum crimen statim neget, & injuriantem mentiri dicat, ne limites justæ defensionis iniquè transeat, ac vindictæ nimium studeat; ob id dicunt Juris-Consulti, si injuriâ provocatus injurianti aliud crimen injuriosè objiciat, illa retorsio non censetur licita, sed in tali casu uterque de injuria agere possunt; e. gr. si quis vocetur adulter, & is retorquendo regerit, tu fur & homicida mentiris; ratio assertionis est, quia hæc retorsio plus vindictæ, quàm defensionis in se continere videtur, dum illa-

tas

tas injurias injuriis reverberat, ac convitia per modum vindictæ evomit, ac iracundiæ suæ satisfacit.

Retorsio est species defensionis, intellige, si eam injuriatus temperanter adhibeat ad famæ suæ defensionem, tunc licita est, ut si injuriâ provocatus in terminis injuriarum sibi illatarum cautè se contineat, injuriantemque mentiri dicat; quod si verò injuriatus vindictæ studio injurianti alia crimina, vel convitia injuriosè objiciat, ut eum objectione horum criminum & convitiorum publicè confundere possit, retorsio non valet; sed uterque de injuria sibi facta in judicio agere potest, *Schneidewinus ad §. 1. 2. & 12. Instit. de injur.* Ergò si alicui crimen furti objiciatur, læsus non potest injurianti sic retorquere: tu proditor patriæ, vel adulter, mentiris ut nebulo; sed hoc modo retorquere licet, tu mentiris ut fur; sic in injuriantem legitimè retorsit injuriam sibi objectam, & tunc cessat injuriarum actio.

Retractus (sivè jus retractûs, quod græcè jus protimeseos à προτιμάω h.e. præfero, & germanicè der Vorkauf/Einstand oder Näherkauf) est jus, quo venditori vel consanguineo, vel Domino directo, aut vicino datur facultas, rem verè venditam restituto pretio redimendi. Quamvis quilibet regulariter sit moderator & arbiter rerum suarum, *l. 21. C. mandat.* id tamen sub hac limitatione accipiendum, nisi lex arbitrium hominis specialiter impediat. Exemplum est in Constitutione Friderici Imperatoris *5. Feudor. 13. & seq.* quâ rerum vendendarum potestas ac libertas valde coarctatur. Jus retractus est duplex, (1) conventionale, & (2) legale. Jus retractus conventionale est pactum de retrovendendo, (Widerkauf) quo regulariter venditori permittitur potestas, ab emptore rem venditam restituto pretio redimendi, quod per expressam conventionem dupliciter fieri solet; (1) ut post lapsum decennii rem venditam demum venditori retrahere vel redimere liceat, vel (2) ut intra decennii terminum saltem retrahere liceat, innerhalb 10. Jahr wieder käuflich. Retractus legalis sivè jus προτιμήσεως legale est, quod alicui ratione vicinitatis, consanguinitatis, (quod vocatur gentilitius retractus) & communionis competit, quod moribus & consuetudine approbatum est; attamen id absque fraude & calumnia exercendum est. Hic observandum, qui rem venditam jure vicinitatis vel agnationis sivè consanguinitatis retracturus est, sequentia quatuor requisita regulariter observare debet, (1) ut retrahens

idem pretium in monetâ proba simul integrum tempestivè offerat, quod obtulit emptor, *l. 13. §. 8. ff. de action. empt.* nam si per particulas solvere velit, non admittitur; ratio est, quia particularis solutio venditori damnosa & incommoda est, *l. 3. ff. famil. ercisc. & l. 2. ff. de reb. credit.* aut si retrahens definitum justum pretium non offerat, venditor rem pro arbitrio cuilibet vendere potest, ne vendenti per retracturum iniqua conditio & injuria inferatur, (2) requisitum est, ut retrahens expensas necessarias & utiles à tempore contractus factas, integrè refundat; *l. 39. §. 1. ff. de minorib.* Si verò emptor in fraudem vicini, vel consanguinei debitum expensarum modum excesserit, illos sumtus refundere non tenetur retrahens; quia hi sumtus, sivè expensæ non sunt necessariæ, nec utiles; sed tantùm voluptuariæ, ad quas non obligatur, *l. 32. §. 4. & 5. ff. de administrat. & pericul.* (3) requisitum est, ut retracturus sibi retrahat, & in usum suum, non autem in utilitatem alterius, & in fraudem emptoris; ideò in quibusdam Germaniæ locis retracturus jurare cogitur, quod bonâ fide beneficium, sivè jus retractus petat in sui, & non in alterius commodum, (4) requisitum est, ut retracturus intra annum & diem retractum legitimè instituat; Si enim illud tempus oscitanter elabi permiserit, videtur jus suum tacitè remisisse; nam regulariter observatur, quando lex vel statutum certum tempus definit, nemo post definiti temporis lapsum amplius admittitur; ratio est, quia terminus legis vel statuti est peremptorius, *c. 1. de exception. in 6to.* Nota, quando tempus retractus continet annum, tunc hic annus incipit currere à tempore traditionis verè scientibus. Si verò retracturus ob justam absentiam ignoraverit, ex justa ignorantiæ causa restituitur in integrum, *l. 33. ff. de servit, rust. præd.* Hic retractus gentilitius ratione agnationis conceptus, æquitati naturali est conveniens, ut proximis cognatis & agnatis concedatur, ne bona immobilia parentum, præsertim avita (Stammgüter) extra familias alienentur, lugubre enim & deplorandum foret agnatis, videre paternas & avitas domos, & antiqua Majorum prædia extra familiam in externas manus contra eorum voluntatem transire, ac devenire, *l. 22. §. ergò. C. de administrat. tutor.* Hoc jus retractus datur etiam Domino directo in venditione utilis dominii, & quidem intra biennium, si emphyteuta prædium emphyteuticum vendere velit, *l. 3. C. de jur. emphyteut.*

Reus est is, qui in judicio ab actore vel accusatore convenitur, & quidem civiliter, vel criminaliter. *arg. l. 5. ff. de publ. judic.* unde actio, quam actor contra reum in judicio instituit, est vel civilis, vel criminalis; ast quando actio criminalis est, tunc actor vocari solet accusator. Hic quæritur, si plures idem delictum simul commiserint, an omnes & singuli ad pœnam sint obligati in solidum, an verò reliqui unius solutione dimittantur impunes? resp. affirmando prius per *l. 1. princip. Cod. de condict. furt. l. 21. §. 9. ff. de furt.* ratio est, quia tot hic censentur delicta, quot sunt delinquentium personæ *l. 15. §. 2. ff. quod vi aut clam.* dum omnes æquè sunt rei. Ergo si plures arborem dolosè furantur, furti sunt rei, & ut fures puniendi sunt *l. 6. ff. de arb. furt. cæs.* item si plures alteri injuriam intulerunt, omnes injuriarum tenentur, *l. 34. ff. de injur.* vel si plures unum hominem dolosè vulneraverint vel necaverint, omnes in solidum obligantur, *l. 11. §. 2. & l. 51. pr. & §. 1. ff. ad L. Aquil.* Hic porrò quæritur, quotuplex forum reus ratione delicti perpetrati consequi possit? resp. triplex; (1) est forum domicilii, ubi delinquens habitat. *l. 2. C. de jurisdict.* (2) est forum delicti commissi, ubi delictum perpetravit reus. *l. 3. ff. de offic. præsid. & t. C. ubi de crimine agi oportet.* & (3) est forum deprehensionis, ubi reus sivè delinquens in fuga deprehensus est, si forsan in alieno territorio ob delictum deprehendatur: delicta tamen regulariter in foro delicti commissi examinari & puniri solent.

Reus quomodo in jure est considerandus? Resp. rei regulariter sunt favorabiliores, quàm actores, *l. 125. ff. de reg. jur.* ratio est, quia jura sunt proniora ad absolvendum, quàm ad condemnandum; quod tàm in civilibus, quàm in criminalibus casibus observatur; indè sequitur, actore non probante reus, etiamsi præter negationem nihil ad purgandam suam innocentiam dixerit, absolvitur, *l. 4. C. de edend.* Ideò in processu reus duplici gaudet favore; (1) in medio causæ, ubi agitur de probationibus & decisionibus litis, plus reo favetur; actor enim tenetur reo edere instrumenta sivè documenta pro exceptione sua probanda. Contrà, reus non tenetur, actori edere instrumenta pro intentione sua fundanda; hinc actore non probante, reus absolvitur, *l. 4. C. de edend.* (2) in fine litis, si Judex causam controversam judicaverit dubiam, ubi pares ab utraque parte sunt probationes, tunc in pari causa Judex vel absolutè fert sententiam in rei favorem, vel reo, & non actori defert

fert juramentum purgatorium, *l. 31. ff. de jurejur.* Ast in principio litis actores sunt favorabiliores reis; ratio est, quia reus tenetur satisdare, sivè cautiones præstare, de judicio sisti, & judicatum solvi, non autem actor, *l. 8. ff. qui satisdar. cog.* Ab hac regula excipiuntur etiam causæ favorabiles, e. gr. quando agitur (1) de libertate, (2) pro matrimonio, (3) pro testamento, (4) pro dote, &c. in iis causis, quoties dubiæ sunt, plus favetur actori, quàm reo; ratio est, quia favor causæ prævalet favori rei, *l. 10. ff. de inoffic. testam. l. 85. ff. de R. J.*

Rex quilibet in suo Regno est summus Magistratus & caput omnium subditorum: ob eam rationem quæritur, num ergo omnes Reges pari gaudeant ac polleant autoritate, an verò in illis quoad autoritatem observetur discrimen? resp. affirmando posterius; ratio est, quia Rex Galliæ, & Rex Daniæ ut absoluti Monarchæ in suis regnis præ aliis Regibus autoritate quàm maximè eminent, quorum Majestatem omnes imperii Status devotissimè venerari oportet; hi enim duo hæreditarii & absoluti Reges pro suo beneplacito præscribunt omnibus suis subditis & Statibus imperii leges, quas sub gravissimis pœnis observare coguntur. Ex opposito, in Polonia, Suecia, Anglia &c. subditi & Status imperii Regibus suis in comitiis & electionibus præscribunt leges fundamentales, quas ut *A.B.C.* juxta populi præscripta sanctè observare debent, nisi occidi, deponi, vel periculosè supprimi velint. Hisce Regibus secundum nominis denominationem nihil pro arbitrio regere licet, sed in plurimis dependent ex arbitrio populi; aliud pro Monarchiis suis stabiliendis in regimine suo ostendunt supra dicti absoluti Reges, puta, Galliæ & Daniæ, qui in mandatis & edictis suis non solent adducere rationes, quare hoc vel illud populo præscribant, vel fieri velint, sicuti reliqui Reges jure facere debēt, ad commovendum populum, ejusq; favorem ambiendum; sed edictis hanc vim loco rationum emphaticè tantum tribuunt, car tel est nostre plaisir. Quia sic nobis placet. Sic volumus, sic jubemus, stet pro ratione voluntas; ubi obsequii gloria populo saltem in regimine est relicta, &c. Quod si de utroque discrimine liberè judicare licet, utique tam tempore pacis, quàm belli tempore longè melius est pro tota republica, & omnium ac singulorum tranquillitate, ut Regem vel Monarcham absolutum habeant, qui omnia pro sua prudentia & beneplacito statim facere valet, quàm habere Regē legibus fundamentalibus undiq; circumscriptum,

ptum, & à Statuum imperii arbitrio in plurimis dependentem, unde nil nisi confusiones & justitiæ exercendæ impedimenta oriuntur, testis & judex est quotidiana experientia.

Rex Galliæ solus sibi vindicat regnum ut domanium, (quod bona coronæ in se complectitur) sed fratri suo appanagium sivè pensionem annuam, vel possessiones quasdam ad dignitatem suam conservandam concedit, cujus autoritas tàm absoluta, ut nulli Principum in tota Gallia permittat titulum Principibus in Germania promiscuè usitatum, *nos Dei gratia;* quod eo imprimis fine facit, ut Principes Galliæ Majestatem ejus tantò venerabilius tractent, sceptrumque ejus quà clientes humillimè agnoscant. Ut ut hæc omnia claris oculis videant Principes Germaniæ, non deterrentur exemplis, sed quidam ad libertatem & autoritatem spontè vendendam, pro titulo suo *nos Dei gratia* in Imperatoris odium & proprium præjudicium maximum imprudenter ambiunt titulum, *nos fideles clientes* Regis Galliæ, qui nihil in mundo sanctius & venerabilius placito & jussu Regis Christianissmi Ludovici XIV. Galliæ ducimus, cui vitam, autoritatem, & salutem nostram mundanam in summum Imperatoris odium unicè concredimus. Sic itur ad rastra, dum placidissimo ac Optimo Imperatori parere indignè recusant.

Roma dicitur caput Imperii Romani, legum patria, & fons Sacerdotii, *Novell. 9. princip.* orbis compendium, ac totius terrarum orbis domina, quæ omnibus gentibus dominatur, *princ. de Justin. Codic. confirm.* lumen gentium, omniumque aliarum civitatum totius mundi Magistra, omnium dignitatum apex, & omnis magnitudinis decus.

S*Acerdos* vel Clericus non minus exemplo inculpatæ vitæ, quàm administrandis Sacris & verbo prædicationis Sanctæ suis auditoribus præire debet; nam qui benè docet, & malè vivit, quod una manu construit, destruit alterâ; quoniam Sacerdos si peccaverit, faciet delinquere populum, *cap. 7. vers. quod enim X. de voto & voti redempt.* Ideò piè dixit Lactantius: qui aliter vivit, quàm docet, is derogat doctrinæ suæ fidem; sed talia exempla, proh dolor! voto sunt frequentiora, prout Jus Canonicum id comprobat: multi, (inquit) sunt Sacerdotes, & pauci sunt Sacerdotes: multi nomine, pauci opere; videte, quomodo sedetis super cathedram, quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram; non locus

sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis Sacerdos Sanctus, sed omnis Sanctus Sacerdos; bonus Sacerdos dignitatem, & malus crimen acquirit, ac cathedræ injuriam infert. Ob id malus Sacerdos, etiamsi benè docuerit, sed malè vixerit, sui ipsius condemnator erit, *distinct. 40. can. 12.* Hinc non Sanctorum filii sunt, qui tenent loca Sanctorum; sed qui exercent opera eorum, *dict. distinct. 40. can. 2.* Sacerdotes etiam ob religiosum statum gravius, quàm alii puniuntur, si deliquerunt; ratio est, quia reatu majori delinquit, qui potiori honore perfruitur, & sublimitas peccantium facit graviora vitia peccatorum, vid. *caus. 25. q. 1. can 4.* Munus Sacerdotale multas difficultates involvit, quod in regimine animarum potissimum occupatur, & meritò dicitur ars artium: ideò vehementer, inquit S. Hieronymus, destruit Ecclesiam DEI, quod Laici interdum in vita & moribus meliores sint ipsis Clericis; & S. Ambrosius dicit: in Sacerdote nihil plebejum requiri, nihil populare, nihil commune cum studio, usu & moribus multitudinis; seriam gravitatem, sobriam vitam, ac singulare pondus Sacerdotalis dignitas sibi vindicet; nam quomodo potest observari à populo, qui nihil habet separatum à populo, &c.

Sacerdotium & imperium an in eodem subjecto subsistere possint, quæritur? Resp. ut ut Sacerdotium & imperium separata Dei dona sint; illud divinis, hoc secularibus præest negotiis, *Novell. 6. pr.* utrumque nihilominus in Pontifice Romano, Electoribus Ecclesiasticis & Episcopis licitè subsistere potest; ratio est, quia Moises, Samuel, Esdra, Melchisedech, ut Reges, Judices, & Sacerdotes utramque licitè exercuerunt, *Genes. 14. v. 18. & seqq.* quod eo præprimis fine concessit Deus, quia per regnum terrestre sæpè proficit cœleste; dum per potestatem secularem regulariter muniatur disciplina Ecclesiastica, *caus. 23. q. 5. can. 20.*

Sacrilegium propriè est furtum rerum Sacrarum ex loco sacro, vid. *t. C. de crimin. sacrileg.* hoc delictum simplici furto longè gravius censetur; ratio est, quia res DEO semel dicatæ, si auferantur, non hominibus, sed DEO ablatæ creduntur. Ergò peccatum, quod committitur in DEUM, atrocius est, quàm quod in hominem committitur, *caus. 17. q. 4. can. 12.* Hoc Sacrilegii crimen latius accipitur in jure Canonico, secundum quod tripliciter perpetratur; (1) si quis dolosè auferat rem Sacram è loco sacro, quod propriè dicitur Sacrilegium, (2) si furto auferat rem non sacram, sivè

pro-

profanam ê loco facro, & (3) fi rem facram ê loco non facro clam & furtim auferat, vid. *cauſ. 17. q. 4. can. 21.*

Sagæ five veneficæ an dentur? Reſp. quod ſagæ ſive lamiæ, DEO abnegato, diabolo ſe impiè mancipent, cumque eo conventionem ſive contractum expreſsè ineant, non ſunt mera ſomnia, & vanæ imaginationes melancholicæ, prout quidam contra experientiam & veritatem aſſerunt: alioquin magi vel ſortilegi morte puniri non juberentur in Sacris Literis, *Exod. 22. v. 18. & Levitic. 20. v. 26.* Pactionem hanc cum diabolo comitantur apoſtaſia, idololatria, blaſphemia, nefandiſſima libido cum diabolo, ſicuti de ſuccubis & incubis ex relatione ſagarum notum eſt: ubi ſaga cum diabolo (incubo) ſub ſpecie viri, vel mas veneficus cum diabolo (ſuccubo) ſub ſpecie virginis abominandam libidinem habet: quod autem Satanas cum Sagis verè congrediatur, & horrendam hanc libidinem exerceat, comprobat S. Hieronymus, S. Auguſtinus, & Iſiodorus; quæ commixtio eſt fœdior ſodomiâ cum brutis animalibus, &c. Hîc (1) quæritur, an verum ſit, Sagas ſivè veneficas ſe in lupos, urſos, hircos, lepores, feles, vel alia animalia pro ſuæ libidinis & phantaſiæ delectu, transformare poſſe? Reſp. negando; ratio eſt, quia diabolus naturam animalium non poteſt creare; ſic non poteſt homines ad imaginem DEI formatos, ceu templum Dei per metamorphoſin vel transformationem in animalia quadrupedia pro ſua phantaſia reverà cõvertere; ſed diabolus mille fraudum artifex faſcinationibus & fictis ſuis illuſionibus miſerè decipit homines & veneficas, ut ſibi falsò perſuadeant, transformationem eſſe factam, cum tamen homo priſtinam ſuam formam retinuerit, adumbratâ ſaltem per præſtigia aliâ formâ: *teſte Johanne Wier. de præſtig. dæmon. lib. 4. c. 22. & ſeqq.* Hîc (2) quæritur, an fictum & fabuloſum, Sagas ſive veneficas totius Germaniæ, diabolico unguento illitas, ſcopis vel hircis inſidentes, per momentum temporis in montem Bructerorum (Blocksberg) noctu Calend. Maji deferri, ibique cum ſuis familiaribus & dæmonibus amatoribus totam noctem mirificis ludis, jocis, commeſſationibus, ſaltationibus, &c. lætè conſumere? Reſp. affirmando, quod autem hæc omnia juxta meam theſin ſint mera figmenta, ſomnia, phantaſiæ & illuſiones diabolicæ, atteſtatur jus canonicum *in cauſ. 26. q. 5. c. 12.* ubi inter alia recenſetur Concilium Aquirenſe, in quo ſic deciſum eſt; verba ſunt ſeqq. Quapropter Sacerdotes per Eccleſias ſibi commiſ-

ſas populo Dei omni inſtantia prædicare debent, ut noverint, hæc omninò falſa eſſe, & non à divino, ſed à maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipſe Satanas, qui transfigurat ſe in angelum lucis, cum mentem cujuſcunque mulierculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubjugaverit, illicò transformat ſe in diverſarum ſpecies perſonarum atque ſimilitudines, & mentem, quam captivam tenet, in ſomniis deludens, modò læta, modò triſtia, modò cognitas, modò incognitas perſonas oſtendens, per devia quæque deducit, & cum ſolus ſpiritus hoc patitur, infidelis mens hoc non in animo, ſed in corpore evenire opinatur. Quis enim non in ſomniis & nocturnis viſionibus extra ſe educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tàm ſtultus & hebes ſit, qui hæc omnia, quæ in ſolo ſpiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? Cum Ezechiel Propheta viſiones Domini in ſpiritu, non in corpore vidit, & Johannes Apoſtolus Apocalyp. cap. 1. & 4. Sacramentum in ſpiritu, non in corpore vidit, & audivit, ſicuti ipſe dicit: & Paulus non audet dicere, ſe raptum in corpore. Omnibus itaque publicè annunciandum eſt, quod qui talia & his ſimilia credit, fidem perdidit, & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non eſt ejus, ſed illius, in quem credidit, id eſt, diaboli &c. Hic tertiò quæritur, an Sagæ toties hominibus & animalibus nocere poſſint, quoties nocendi animum & conatum habent? Reſp. negando; nam licet verum ſit, & negari non poſſit, veneficas diaboli peſtiferâ inſtructione, artibus magicis, pharmacis & incantationibus tàm hominibus, quàm animalibus ſæpè nocere, *l. 4. C. de malefic. & mathematic.* attamen falſum eſt, ſagas toties hominibus nocere, quoties volunt, & conantur, quod DEUS miſericors illis non permittit, alioquin totum genus humanum per eas brevi deſtrueretur.

Sagarum pœna eſt varia pro delicti admiſſi qualitate; nam Sagæ, quæ expreſſum pactum cum diabolo fecerunt, animam & corpus horrendo exemplo devoventes diabolo, ob criminis atrocitatem igne concremandæ ſunt, *l. 3. C. de malefic. & mathemat.* quæ verò non expreſſam, ſed tacitam ſaltem pactionem cum diabolo iniverunt, ſi arte ſuâ magicâ jumentis vel hominibus impiè nocuerint, gladio puniuntur, *l. 5. C. ibid.* ubi tamen hodie conſtitutio criminalis Caroli V. *artic. 109.* tales noxios & atrociter delinquentes in terrorem aliorum ad ignem expreſsè condemnat. Quod ſi verò Arioli (vulgo

gò die Wahr- vel potius Lügen-Sager) absque illatione damni arte diabolicâ divinare conantur in cristallo, speculo, vel vitro polito, dæmonem interrogantes de rebus furto amissis, vel aliis negotiis, ultore ferro puniuntur, *d. l. 5. Cod.* ratio hujus assertionis ex jure Divino est deprompta; quia ipse DEUS magos ac ariolos occidi jussit, *Exod. 22. v. 18.* qui verò absque pacto ullo & conversatione diaboli characteribus, cribro, annulo, vel aliis remediis superstitiosis illicitè utuntur, additis conceptis ignotis verbis, quibus ut plurimum nomen SS. Trinitatis vel JESU immiscere solent, ad tollendos morbos, vel res furto ablatas recuperandas, vel ad furem detegendum, arbitrariæ pœnæ subjiciendi sunt: puta, carceris, relegationis, vel fustigationis, quos judex pro delicti qualitate lenius vel durius punire potest. Quod si duæ vel plures sagæ in tortura & in articulo mortis instantissimè asserant, hujus vel illius civis uxorem quoque esse Sagam, nuda hæc sagarum confessio ad torturam non est sufficiens, nisi alia indicia concurrant, *vid. constit. crimin. Carol. V. art. 44. de indiciis veneficii.* ratio est, quia Sagæ instinctu diaboli, & odio honestarum matronarum omnes secum injustè comburi exoptant. Ideo Paulus JCtus de talibus prudenter dicit, qui de sua salute desperant, ne alienam salutem in dubium ducant, præcavendum est; juxta commune axioma:

Solamen est miseris, socios habuisse malorum.

Licet etiam firmiter sibi persuadeant sagæ, se nominatas fœminas in ludis & choreis vidisse; hisce tamen indiciis simpliciter non est credendum; quia diabolus mille fraudum artifex, & totius generis humani hostis infensissimus interdum proborum hominum formas malitiosè fingit in sagarum solatium, ut sagas eò constantiores in veneficio reddere, ac honestis matronis eò magis nocere possit. Hinc jura de sagis generaliter statuunt, quod sagarum testimonio in denunciatione aliarum mulierum fides non sit habenda, & quidem ob sequentes rationes, (1) quia personæ infami fides nunquam habetur, præsertim in negotio arduo, *l. 3. §. 6. in fin. ff. de testib.* notum autem, quod sagæ maximè sint infames, (2) quia sagæ professione suâ sunt mendaces, quæ dæmone magistro & consultore in omnibus negotiis impiè utuntur, qui semper fuit pater mendaciorum, & illæ ipsius discipulæ, (3) quia hostis capitalis in crimine capitali non potest ad testimonium admitti, cum præsumatur odio personæ quidvis in perniciem inimici mentiri; sed sagæ sunt

capitales hostes totius generis humani, præprimis innocentium Christianorum, ideo meritò rejiciendæ sunt à testimonio, nec iis credendum. Hoc meum assertum perspicuè approbare videtur Thomas de Kempis; il demonio, inquit, non tenta gl' infedeli, & i peccatori, che gia possiede sicuramente, ma con varii modi tenta, e molesta i devoti fedeli. Diabolus non tentat infideles & peccatores, quos jam securè possidet; sed variis modis tentat & vexat devotos & fideles. Hinc si ullum negotium controversum & dubium in judicio cautè, prudenter, & piè sit tractandum, utique inquisitio in veneficas & lamias circumspectè, imò anxiè tractanda est; cum crimen hoc ut plurimum adeo tectè, & clandestinè perpetretur, ut etiam prudentissimos cucutire & fallere faciat, ne honestarum personarum fama & vita mediante famosa inquisitione miserè periclitentur.

Salvum conductus alicui ab Imperatore, Rege, vel Principe concessus, reo est servandus, licet is ob imputatum delictum capitis reus censeatur; ratio est, quia Magistratui convenit fidem datam religiosè servare, & non contra eam temerè ac dolosè agere; cum in homine, præprimis in Magistratu nihil censeatur turpius, quàm fidem fallere, *l. 1. ff. de constit. pecun.* Ne autem salvus conductus ad fovendam delinquentium malitiam delinquentibus iniquè concedatur; ob eam rationem is sub certo temperamento morali & restrictione civili est intelligendus, nimirum quod tribuat securitatem ab illicita facti violentia, non verò à licita violentia juris; ideo salvus conductus saltem usque ad sententiam definitivam (bis etwas peinliches wider Beklagten im Gericht erkant) conceditur, postea exspirat, & reus, si justè condemnatus sit, carceri mancipatur; ratio est, quia salvus conductus tantum datur contra vim & injuriam, non autem contra juris executionem: nam reipubl. maximè expedit, ut maleficia puniantur. Ex dictis colligere licet, quomodo sequens JCtorum assertum civiliter sit intelligendum: salvus conductus non solum ad accessum, sed etiam ad recessum accusati rei extenditur, (intellige, usque ad sententiam Judicis; aliud post latam sententiam statuitur, si sententia salvum conductum habenti sit contraria) rationem addunt, quia securitas veniendi includit securitatem recedendi, *l. 3. C. de Navicular,* modò reus ante sententiam condemnatoriam recedat; alioquin post sententiam latam condemnatoriam nihil juvat reum salvus conductus. *vide Constit. crim. Carol. V. art. 156.*

Sapi-

Sapientis non est dicere, non putabam *l. 76. ff. de furt.* quia putare est errare; sed circumspectè est agendum, ne quis spretis negotii circumstantiis aliquid per imprudentiam statuat, quo vel sibi, vel aliis nocet; ergo meritò deliberandum est diu, quàm statuendum est semel, ne imprudentiæ justè accusemur.

Seditio est quietis publicæ perturbatio, estque gravissimum crimen sivè delictum, quod malum sæpè totam evertit rempublicam. Ideo ad eam præcavendam graves in seditiosos constituuntur pœnæ, *prout ex l. 1. C. de seditios. l. 3. §. 4. ff. ad L. Cornel. de sicar. & ex constit. Carol. V. artic. 127. patet.* So einer in einem Lande/ Stadt/ Obrigkeit/ oder Gebiet fürsetzliche und boßhafftige Ausruhren des gemeinen Volcks wider die Obrigkeit macht/ und daß also auf ihn erfunden würde/ der soll nach Grösse und Gelegenheit seiner Mißhandlung (pro delicti qualitate) je zu Zeiten mit Abschlagung seines Haupts gestrafft/ oder mit Ruthen gestriechen/ und aus der Land-Gegend/ Gericht/ Stadt/ Flecken oder Gebiet/ darinnen er die Ausruhr erwecket/ verwiesen werden &c. Seditiones solent excitare nimiæ subditorum pressuræ, novæ & excogitatæ exactiones, privilegiorum temerariæ ademtiones &c. quando Reges vel Principes suos subditos novis vectigalibus, tributis, collectis, vel aliis oneribus plùs nimio vexant, macerant, & exsangues quasi reddunt; tunc se opponunt, omniaque extrema in sui conservationem desperatis consiliis tentare non verentur.

Senatusconsultum Macedonianum dicitur ab improbo fœneratore Macedone, qui filiisfamilias mutuam pecuniam contra parentum voluntatem clam ad corrumpendos eorum animos & mores mutuò dedit, *l. 1. pr. ff. de SCto. Macedon.* & ob hanc fraudem & dolum fœneratoris ei denegatur actio. Causa principalis hujus SCti est odium fœneratorum. Causa verò impulsiva est adolescentium corruptio, & bonorum profusio; ut autem hæc profusio & corruptio cautè præcaveatur, partim favor parentum, partim publicum interesse suadet: melius enim est, ut juveniles calores coërceantur, ne cupidini dediti tristem sentiant exitum, qui eos post dispersum exspectat patrimonium, *l. ult. §. 5. C. de bon. quæ liber.* Unde colligere licet; hoc SCtum in parentum, & non in filiorum favorem esse introductum; ideo filiifam. huic SCto Macedoniano renunciare non possunt. Effectus hujus SCti est, quod ei, qui filiofam. mutuam obtulit pecuniam, nulla effectivè detur, vel competat actio, ne quidem

dem post mortem patris, *l. 1. pr. & l. 7. §. 6. ff. de SCto. Maced.* quod fit eo fine, ut filiorum immodicis commessationibus, sordidis scortationibus, & aliis vitiis repagulum cautè objiciatur.

Senatusconsultum Vellejanum est privilegium mulieribus gratiosè ab Imperatore concessum, competens ad hoc, ut ex intercessionibus suis sivè fidejussionibus pro aliis factis nullâ validâ actione conveniri possint; *t. ff. de SCt. Vellej.* Causa efficiens hujus SCti Vellejani est (1) naturalis, nimirum sexûs imbecillitas, & imprudentia muliebris, ne indè damnum patiantur in re familiari, *l. 2. §. 1. ff. h. t.* (2) causa civilis est, quia pro aliis intercedere & fidejubere est officium virile, ac mulieribus damnosum, *d. l. 2. §. 1.* imo verecundiæ muliebri parum videtur congruere, quod velint alienas defensiones in se suscipere *l. 18. C. de procurat.* cum tamen notissimum, quod mulierum consilium regulariter vanum, inconstans, & mutabile sit, ut mulieres sæpè contra propria commoda laborare dicantur, *l. 4. C. de sponsal.* Objectum circa quod versatur SCtum hoc Vellejanum, sunt intercessiones sivè fidejussiones, quibus mulieres se incautè pro aliis obstringunt, vel res suas pignori dant. Forma hujus SCti in eo consistit, quod mulier regulariter ex intercessione suâ efficaciter non possit conveniri, quamvis ex aliis contractibus validè obligetur, *l. 4. 6. & 8. §. 1. ff. h. t.* Quod si verò mulier renunciet beneficio SCti Vellejani, cum satis de eo sit informata, tunc inde obligatur. Causa finalis est, ut mulieribus ob fragile judicium deceptis mediante hoc SCto subveniatur; ne ex intercessionibus suis reddantur pauperiores, *l. 1. §. 1. & l. 2. §. 2. ff. h. t.* Effectus hujus SCti est, quod mulieribus detur exceptio, quâ se tueri possunt, quando ex suis intercessionibus sivè fidejussionibus in judicio conveniuntur: hoc beneficium & alia conceduntur mulieribus, quatenus ex imbecillitate muliebri iniquè læduntur; non verò in quantum dolosè agunt; quoniam deceptis, & non decipientibus mulieribus jura subveniunt, *l. 2. §. 3. ff. h. t.* nemini enim fraus sua patrocinari debet, *l. 2. C. qui militar. poss.*

Sensus in genere est potentia cognoscitiva materialis per cognitionem materialem. Sensus sunt duplices, (1) externi, & (2) interni. Sensus externus est potentia sensitiva in membris & organis hominum vel animalium potissimùm externis existens. Internus sensus est potentia cognoscitiva materialis in interioribus organis existens, & percipiens sensibilia sensuum externorum. Sensus externi sunt V. ut vi-

ut visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus: quorum nobilissimus, & maximè necessarius censetur visus, cujus beneficio quis se regere, legere, seque contra imminentia pericula conservare potest. Objecta sensuum externorum singulorum sunt sequentia, (1) color & lumen, (quæ duo sunt objecta visûs,) (2) sonus, odor, sapor, frigus, & calor sunt reliquorum sensuum: quod indè patet, (1) oculus videt colores, quid album vel atrum, viride vel cæruleum, rubrum vel luteum, &c. (2) auris audit sonos & verba, quia auditus est potentia sensitiva, solum sonum percipiens, (3) nasus olfacit odores & fœtores, (4) lingua cum palato gustat sapores, quid dulce & amarum, acre aut acidum, (5) manus dignoscit tangendo rerum quantitatem & qualitatem, calidum & frigus, humidum & siccum, durum & molle, asperum & læve, grave & leve. Ast tactus toto corpore & membris omnibus diffusus est, tàm in internis corporis partibus, ut intestinis, ventriculo, corde, hepate, quàm in externis, &c. Bruta animantia nobis hominibus in operatione sensuum non cedunt, sed nos potius superant, juxta versum communem:

Nos aper auditu, præcellit aranea tactu,
Vultur odoratu, linx visu, simia gustu.

Quis mortalium tàm sagax & perspicax, ut canem olfaciendo, & aquilam videndo assequi, multò minùs superare valeat, &c. Sensus interni sunt tres; (1) sensus communis, quo cognoscimus & percipimus operationes sensuum externorum, hoc est, quo cognoscimus res, à sensibus externis perceptas, (2) phantasia, quæ est imaginatio rerum confusa, species rerum variè conjungens, e. gr. quando aliquid videmus, audimus, gustamus, tangimus, olfacimus, excitantur sensus interni ad id cognoscendum; imprimis phantasia circa id operatur, & (3) appetitus sensitivus, cujus objectum est bonum, & delectabile; quoniam homo vel animal semper appetit sibi grata, & quæ speciem boni habent; mala & noxia semper fugit, & depellit. Hinc fit, quod appetitus canis semper feratur in panem & ossa, tanquam grata, & non in lapidem, tanquam odiosum, si quis cani hæc tria simul ostendat. Appetitus sensitivus est duplex, concupiscibilis & irascibilis. Ille appetit & prosequitur delectabile; hic est, qui mala bono delectabili contraria aversatur, fugit, & à se depellere nititur. Quamvis facultas appetitiva in homine essentialiter rationis non sit particeps, potest nihilo-

minùs rationis imperium exaudire, & illi obedientiam præstare; nam appetitus ad rationem se eo modo habet, quo filius ad parentis jussa & monita, ut ejus imperio & jussui pareat. Huc spectat illud Aristotelicum *ad Nicomach.* quod animus imperet corpori imperio herili, & mens sive ratio imperet appetitui (sivè voluntati) imperio regio & paterno; & quod corpori & appetitui maximè prosit, imperio rationis subjici, ac morem gerere: quoties verò appetitus imperium rationis aspernatur, toties actiones humanæ sunt vitiosæ, & temerariæ, vel negligentes; hinc ut actio sit benè instituta, requiritur, appetitum rationi obedire, ejusque jussum sequi. Appetitus sensitivus est in corde, quia anxietates, mœstitiæ, amor, odium, aliæque passiones, quæ sunt actus appetitûs, sentiuntur à nobis in corde: ideò quando gaudium, vel odium exprimere volumus, facimus mentionem cordis, dicentes: nos ex toto corde amare, tristari, gaudere, odisse. Ubi observandum, quod appetitio non possit esse sine cognitione sensitiva; ratio est, quia nihil appeti potest ab homine vel bruto, nisi prius cognoscatur, num id sit gratum: hinc vulgò dici solet: *ignoti nulla cupido*, &c. Aristoteles dicit, quod appetitus latè vel generaliter consideratus, contineat tres species, (1) cupiditatem, (2) iram, & (3) voluntatem, quarum primus est appetitus concupiscibilis, alter irascibilis, & tertius homini tantùm proprius. Ob id hodierni Philosophi morales dicunt, quod appetitus in genere sit duplex, (1) sensitivus, brutis cum hominibus communis, qui sequitur sensum & sensitivam cognitionem, & fertur in bonum sensibile & delectabile, nullo habito respectu ad honestatem: talis propriè dicitur appetitus irrationalis. Et (2) alter est appetitus quadantenus rationalis, (intellige, quatenus rationis imperium admittit, & rationi rectè suadenti obtemperat) qui dicitur propriè voluntas, homini unicè proprius, qui etiam in bonum fertur, sed non tantùm quatenus est delectabile, sed quatenus est honestum, & rectæ rationi conveniens: hinc quemadmodum se habet Pædagogus ad puerum, ita se habet recta ratio ad appetitum intemperantis; nam sicuti puer ob rationis imbecillitatem nescit, quid sibi bonum aut malum, honestum aut turpe sit futurum, sed debet ea in re Pædagogi sui præcepta & mandata audire, & sequi; ita appetitus, qui per se est irrationalis, debet rationis præceptum & præscriptum audire, & sequi, &c. Cæterum voluntas & intellectus non sunt sensus interni, sed immateriales,

riales, sive spirituales facultates, sive potentiæ animæ rationalis. Ergò hæ duæ potentiæ homini tantùm, & non bruto verè tribuuntur. Ex illo principio accidit, quod ratio sive cognitio intellectiva & voluntas homini tantùm propria, non semper simpliciter in bonum delectabile ferantur, sicut appetitus sensitivus; sed tunc, si cum honestate & præceptis moralibus, ac rectâ ratione conveniat; sic appetitus sensitivus suadet cum formosa virgine venereos actus promiscuè exercere; cognitio intellectiva & voluntas rationis imperio moderata contrarium suadent; quia tàm turpem actum honestas, recta ratio, & præcepta moralia prohibent: dum nolunt offendere DEUM, onerare conscientiam, & moraliter turpiter agere: quia verò bruta cognitionem intellectivam, voluntatem, & rationem non habent, sed nudum appetitum sensitivum; ideò bruta non possunt discurrere, ut unam cognitionem ex alia eliciant, & ratiocinentur; sed ex simplici rerum sive objectorum apprehensione juxta naturalem instinctum appetunt bona, sibique grata, & fugiunt mala, sibique noxia aversantur, & à se depellunt; amicitiam & hostilitatem, vel boni convenientis, & mali disconvenientis discrepantiam ex naturali inclinatione & instinctu cognoscunt; omnibus enim animalibus naturâ inditum est, ut appetant ea, quæ naturæ suæ conveniant; si illa fuerint conseeuta, acquiescunt; si verò in illis consequendis impediantur, tunc commoventur. Sic equus, bos, vel alia animalia ex pluribus herbis olfactu discernere possunt herbam sibi maximè convenientem, eamque præ aliis, minùs gratis appetunt, & edunt. Ex hac naturali inclinatione ovis lupum videns, statim exhorrescit, & fugit. Videtur tamen aliquod rationis simulachrum in brutis esse, e. gr. boves à lupis infestati, in unum orbem se glomerant, conversis in lupos, ceu hostes cornibus, quibus hostilem luporum impetum à se depellunt: equi verò lupos videntes in sui defensionem quoque in orbem coëunt, sed contrario modo, qui reductis introrsum, velut ad centrum capitibus, posteriores pedes circulatim lupis, ceu hostibus opponunt, ac strenuè calcitrant; ne ipsis à tergo vel latere nocere possint lupi, &c. Vulpes glaciem non temerè transit, sed eam prius adhibitâ aure cautè explorat, num aquam infra labentem audiat: vulpes etiam interdum spe prædæ mortem simulat, in fimeto se prosternens, ut gallinas temerè accedentes tantò facilius rapere possit, &c. Omnes hæ actiones rationem humanam sapere videntur. Hic porrò quæ-

ritur, an bruta polleant memoriâ? respondetur distinguendo inter memoriam materialem sive sensitivam, & spiritualem sive intellectivam. Illâ quidem bruta sunt prædita, ut si canis in culina ob malefacta verberetur, verberum non statim obliviscitur; ideò metu pœnæ non facilè redire audet, aut si redit, valdè circumspectè agit, ne iterum verberibus excipiatur. Hac scilicet intellectivâ non item pollent bruta, quia est actus reminiscentiæ, quo recordamur rerum præteritarum, & rerum universalium ac spiritualium; harum rerum memoria animalium non est capax. Hic probè notandum, quod intellectus sit potentia sivè virtus cognoscitiva spiritualis, quæ ita est comparata, ut homo nihil intelligere possit, nisi intellectus sit excitatus à phantasia, & nisi sensus interni circa idem objectum eodem tempore simul operentur; idcircò vulgò dici solet: quod nihil sit in intellectu, nisi prius fuerit in sensu; nam sensus externi regulariter rem prius percipiunt, deinde eam ad sensus internos & phantasiam transferunt, posteà phantasia eandem ad memoriam, voluntatem, & intellectum transfert: quoniam sensatio externa imprimit internis sensibus speciem rerum; ob id intellectus dependet à sensu interno (phantasiâ,) & hic ab externo, (visu, auditu &c.) ita tamen, ut ratio omnibus animæ facultatibus sivè potentiis imperet, & dominetur &c. In somno omnes externi sensus oppressi jacent, & acquiescunt; ast sensus interni in somno quadantenus operantur; hinc somniantes judicamus, discurrimus, disputamus, argumenta solvimus, carmina pangimus, orationem componimus &c. Attamen omnes hi actus sensuum internorum sunt imperfecti; nam quia somniantibus phantasia, & sensus communis sunt nebulosi & fluctuantes, indè contingit, ut etiam discursus, quos in somnio elicimus, sint manci & valdè imperfecti. Porrò observandum, in corde ex sanguine purissimo excoqvuntur spiritus vitales, ex quibus deindè in cerebro fiunt spiritus animales, quorum operâ sensationes tum externæ, tum internæ perficiuntur; ob id læso cerebro (quod est sensuum internorum sedes) læditur phantasia, & imaginatio. Ex hoc principio dicimus, homines prudentes bono cerebro esse præditos; & stupidos sinè cerebro esse, vel cerebrum in calce gerere, hoc est, non integrum habere &c. Theologi unanimi consensu asserunt, quod per sensuum fenestras mors in animam ingrediatur, si iis intempestinè abutamur. Studeamus ergo, sensus ab illicitis, & vitiosis abstrahere, & à vita terrena ad coe-

lestem

lestem traducere; ne se plus justò rerum terrenarum delectationibus impiè immergant; quoniam sensus saltem homini inservire, non imperare debent. Ideo oculorum castiganda est licentia; nam cum celerrimi videant objecta, rerumque plurimarum imagines confusè ad phantasiam, & indè ad mentem transmittant, gravium peccatorum semina in appetitu excitant, nisi firmâ custodiâ muniantur. Aures etiam prudenter custodiendæ sunt, ne faciles præbeantur nugis, turpiloquiis, calumniis, blasphemiis, undè semina vitiorum in animo relinqvuntur. Gustus quoque castigandus est abstinentiâ, & sobrietate, ne vitam helluando & debachando cum Epicureis miserrimè consumamus.

Sententia Judicis est duplex, (1) interlocutoria, & (2) definitiva. Sententia interlocutoria est, quam Judex non super principali negotio, sed super emergenti, vel incidente quæstione inter principium & finem causæ controversæ interloquendo fert, & sic litem principalem non finit: datur tamen sententia interlocutoria vim definitivæ habens; quod fit, quando per illam quidem non integrè & specialiter definitur causa principalis controversa; sed per indirectum tangitur & definitur articulus ad definitivam spectans: hinc dicunt jura, quod paria sint, sententiam esse definitivam, vel habere vim definitivæ, per quam Judicis officium exspirat. Sententia definitiva est, quâ ipsa causa principalis deciditur per condemnationem vel absolutionem. Ideo sententia Judicis à sentiendo sic dicitur; quia Judex per eam, quid de causa controversa sentiat, declarat, & definit, ac lites sivè controversias partium determinat. Sententia definitiva de toto in judicio est concipienda; ratio est, quia non potest ex uno judicio res judicata in partem valere, & in partem non valere, *l. 27. ff. famil. ercisc.* Si tamen sint multa in lite capita, potest Judex super quibusdam eorum sententiam ferre, tunc iterum de aliis quærere, & sententiam proferre; quoniam judex non cogitur, sententiam unam de omnibus capitibus simul dicere, *l. pen. C. de sentent. & interlocut. omnium Judic.* Propter sententiam Judicis omnia in judicio fiunt, & quò omnia referuntur; nam non ideo litigant homines in judicio, ut perpetuò, vel ad vitæ finem litigare velint, litesque exerceant immortales, cum tamen ipsi sint mortales; sed ut controversia celeriter & tempestivè terminetur ac definiatur, *c. 2. X. de sentent. & re judic.* Causa efficiens sententiæ est Judex competens, sententiam ferens, *l. 28. ff. de re judicat.* Materia, de

qua pronunciatur sententia, sunt omnes res sivè causæ, tam civiles, quàm criminales, de quibus in judicio agi & disputari solet. Forma in plurimis consistit, præsertim ut à competente Judice feratur sententia, juri & libello conformis, & ut litigantes ad audiendam sententiam specialiter citentur, *l. 4. C. quomodo & quando jud.* Finis sententiæ est, ut lites finiantur, quod fit vel absolutione, vel condemnatione.

Sententia Judicis de causa controversa est pronuncianda præsentibus litigantibus, quos causa contingit, *l. 47. ff. de re judic.* Quod si alter litigantium, quem sententia Judicis offendit, neque statim, neque intra decendium à lata sententia appellaverit, sivè provocaverit, ut sententia pendente appellatione maneat in suspenso, tunc transit in rem judicatam, *l. 1. ff. de re judic.* mediante qua tantam consequitur autoritatem, ut nullo amplius remedio attentari, vel debilitari possit, *c. 13. X. de sentent. & re judic. & l. 23. §. 1. ff. de condict. indebit.* ratio est, quia per silentium ejus, contra quem lata est sententia, jam censetur confirmata, ideo executionem meretur, *l. pen. & ult. C. de execut. rei judic.* res autem judicata paratam executionem habere debet, ne sententia reddatur elusoria, *l. 2. C. d. t.* & per consequens, ne ob contumaciam victi periclitetur justitia, (vel causa victoris) quæ vult sententias Judicis esse exequendas, ac contumaces puniendos, ad Magistratûs autoritatem, & reipubl. tranquillitatem conservandam.

Sententiam certam ratione pecuniæ vel rei certæ ferre debet Judex, ex quâ perspicuè apparet, quid, quale, & quantum sit id, ad quod reus condemnatur, *§. 32. Inst. de action.* ratio est, quia Judicis officium postulat, ut certam sententiam ferat, quâ litem inter litigantes dirimat, ne ob sententiæ ambiguitatem lis ex lite nascatur, ac lites per hoc reddantur immortales; incerta enim sententia certam rem vel quantitatem sivè pecuniæ summam non exprimens, litem non dirimit, sed eam potius alit; ideo non valet sequens sententia, à Judice lata; solvo Titio omne debitum cum usuris; vel condemno Titium ad debitum solvendum; quia nihil certi hic exprimitur, *l. 3. C. de sentent. quæ sine certa quantitate.* Ast si Judex sic pronunciaverit: solve, quod petitum est, tunc sententia valet, quia id in libello jam antea est expressum.

Sententia à Judice lata abit in rem judicatam, nisi condemnatus à sententia Judicis intra decendium tempestivè appellaverit, *vid. t. ff. de*

re

re judic. nam appellatio sivè provocatio ad superiorem Judicem facit cessare officium inferioris Judicis, & ei quasi manus ligat in ea causa, in qua pronunciavit, c. 39. X. de appellat. ejusque sententiam ab executione tamdiu suspendit, donec in superiori judicio sententia fuerit lata; si illa priorem ab inferiori Judice latam approbet, non amplius suspenditur, sed Judicis autoritate per ministros publicos executio sententiæ peragitur, ut victus victori præstet illud, ad quod per sententiam Judicis legitimè fuit condemnatus, vide t. Cod. de execut. rei judicat. Sin verò superior Judex priorem sententiam reprobet, tunc planè tollitur. Hic porrò nota, quamvis à sententia in Supremo Imperii tribunali lata appellare, aut provocare nemo possit, attamen partes litigantes, quæ indè se iniquè læsas putant, non omni destituuntur auxilio & remedio: nam sententia in Tribunali Cameræ lata, impugnari potest triplici modo, (1) per restitutionem in integrum, quâ partis litigantis ibi condemnatæ error redarguitur. (2) per revisionem Actorum, quâ Referentis culpa manifestatur, & (3) per Syndicatum, quo Referentis dolus, aut Procuratoris prævaricatio publicè accusatur. Hæc tria remedia in eo differunt: restitutio fit coram eodem Judice, qui sententiam tulit, nimirum coram Camera Imperiali: Revisio autem & Syndicatus coram Commissariis Imperatoris & Statuum Imperii institui debent. Revisionem petens certam pecuniæ summam in judicio deponere debet, deindè Visitatores Acta summâ diligentia perlegunt, revident, ac momenta causæ accuratè perpendunt: sic singulis momentis causæ satis ponderatis, sententiam priorem vel reformant, vel confirmant. Si sententia prior reformatur, tunc parti victrici, anteà condemnatæ vel gravatæ pecunia deposita redditur; ast si prior sententia confirmatur, depositam pecuniæ summam ob præsumtum temerarium litigium justè perdit, Ord. Cam. p.3. t.53. §.4. Revisio & Syndicatus in eo differunt, quod illa fit ex imperitia, hæc ex dolo & malitia, quando Judicis sententia odio vel gratiâ partium lata est, Gail. 1. obs. 153.

Sententia Judicis cessante appellatione sivè provocatione ad superius tribunal, pro autoritate Magistratûs conservandâ, post elapsa fatalia ad ultimum suum finem deducitur, quod fit per realem executionem, quæ 4. modis fieri solet, (1) manu militari, l. 68. ff. de rei vindicat. (2) pignoris captione, l. 15. §. 12. & seqq. ff. de re jud. (3) missione in bonorum possessionem, l. 1. ff. quib. ex caus. in poss. & (4) car-

(4) carcere, *l.1.& ult.C.qui bon.ced.poss.* nam quando condemnati rei, sivè delinquentis bona non sufficiunt, aut is nulla habet, tunc judicatus in carcerem conjici solet; qui enim non habet in ære, luat in corpore, *l.fin.ff.de in jus vocand.*

Sepultura est memoria humanæ conditionis, *l.27.ff. de condition. instit.* quâ quilibet mortalium fragilitatis & mortalitatis suæ memor esse potest.

Sequestratio est, quâ res litigiosa usque ad finem litis deponitur apud tertium, (qui sequester vocatur) eâ conditione, ut eam victori restituat, *l.5.& 17.ff. depositi. l.110.ff. de verb.signif.* Sequestratio est duplex, (1) voluntaria,& (2) necessaria. Illa fit expressâ conventione litigantium, hæc fit jussu Judicis, quæ regulariter in jure est prohibita; quia nemini sine causæ cognitione possessio rei est auferenda, *l.un. Cod. de probib. sequestr.* Ast hodiè sequestratio non tantum rerum, sed etiam personarum interdum fieri solet custodiæ causa. Sic olim sequestratio puellæ sponsæ, nomine Sabinæ in Camerâ Imp. decreta fuit, ut lite pendente apud honestam Matronam sequestranda esset, *Gail.lib.1. observ.112. num.16.* Sequestrationis onus satisdatione sivè cautione evitari potest, *l.7.§.fin.ff.qui satisdar. cog.* ut arrestum & detentio rerum vel personarum præcaveri possit.

Sermo dubius in jure quomodo intelligendus sit? Resp. in dubio à proprietate sermonis non est recedendum, *l.69.pr.ff. de legat.3.* ideo in testamento non debemus à verborum significatione recedere,nisi ex antecedentibus & consequentibus apertè pateat.testatorem aliud sensisse, quàm verborum proprietas innuit, *d.l.69.* testatoris enim ultima voluntas quovis modo conservanda est, si modo non sit contra leges, & naturalem æquitatem; quibus in casibus testatores nihil validè disponere possunt, *l.55.ff. de legatis.1.*

Servitus est libertatis privatio, vel jus, quo adimitur aliquid libertati, quam dominus in re sua habet, ac conceditur personæ, vel rei alienæ. Causa efficiens servitutis realis est contrahentium consensus; quoniam dominus prædii servientis servitutem in suo prædio concedere debet domino prædii dominantis per pacta, vel ultimam voluntatem, *l.1.6.& 8.ff. comm.præd.* Materia sivè objectum, in quo existunt servitutes, sunt prædia aliena, quorum quædam vel in solo consistunt, unde servitutes rusticorum prædiorum, vel in ædibus, unde servitutes prædiorum urbanorum. Forma partim ex definitio-

tione servitutis, partim indè patet, quod servitutes reales constituantur duplici modo, vel (1) inter vivos, vel (2) ultima voluntate. Priori modo constituitur pactionibus & stipulationibus, e. gr. est mihi fundus, ad quem saltem per anfractus pervenire possum, nisi per vicinum fundum mihi concedatur transitus; hâc necessitate commotus, rogo vicinum, ut mecum pacisci vel contrahere velit de constituenda servitute, quà mihi imposterum per ejus fundum ire, jumentum, vel vehiculum agere liceat: si vicinus meus expeticâ servitute constituenda consentiat, & contractum ineat, tunc mihi acquiritur hæc servitus tanquam domino prædii dominantis in prædio serviente, ita ut constitutam hanc servitutem imposterum licitè exercere possim, invito etiam domino prædii servientis, juxta regulam, quod contractus ab initio sint liberæ voluntatis, sed post perfectos contractus sunt necessitatis, &c. Posteriori modo constituitur servitus in testamento, quando testator alicui ex gratia quid legat, ut per fundum suum post ejus mortem iter, actum, viam, aquæ ductum &c. habeat: hanc constitutam servitutem heres post testatoris mortem disputare nequit, sed firma manet, ut conservetur ultimum testatoris elogium. Finis servitutis est, ut prædii servientis dominus quid patiatur, aut non faciat, *l. 15. ff. de servit. præd.* & per consequens prædio dominanti utilitatem præstet. Hîc quæritur, utrum servitus juri naturali sit contraria, vel non? Resp. affirmando, quoniam servitus in thesi juri naturali est contraria, si eam absolutè absque bello consideremus, secundum primævum mortalium statum; ratio est, quia omnes homines ab initio naturâ nascebantur liberi. Verùm in hypothesi ratione circumstantiarum respectu ad bellum habito servitus juri naturali non est contraria, hoc est, quatenus personæ bello capiuntur, & non promiscuè occiduntur: quod fit ob sequentem rationem; si captum in bello impunè occidere licet, quid ni eundem servare, & servitutis nexibus in victoris emolumentum gravare liceat; juxta illud commune Philosophorum, cui plus licet, (hoc est, hominem captivum pro arbitrio occidere) ei & minus licet, hoc est, captivum efficere servum, sivè mancipium. Cæterum juxta primævum statum, ubi omnes homines in ipsa innocentia vivebant, omnes nascebantur liberi, & per consequens homines non tantum primis mundi temporibus, verum etiam ad diluvium, imò & post diluvium ad Nimrodis tempora servitutis juga ignorarunt; hic Nim-

rod primum hominibus insidiari, ipsosque libertate privare tyrannicè cœpit, quod ipsius successores imitati sunt.

Servitus in genere dividi solet in tres species: (1) in servitutem merè personalem, (2) in servitutem merè realem, & (3) in servitutem mixtam. Servitus personalis est, quâ persona personæ servire cogitur, qualem servitutem præstant servi imperio Dominorum subjecti, *§. 2. Inst. de jur personar.* hæc servitus hodiè apud Christianos non ita, ut apud Tartaros & Turcas est in usu, qui captivos jumentorum instar in foro publicè vendunt, eosque crudeliter tractant. Servitus hæc personalis, & per consequens manumissio jure gentium ob rationem probabilem & prægnantem causam est introducta: quoniam tàm victoribus, quàm debellatis, imò toti generi humano melius consulitur, captos in bello servare, eosque mancipia efficere, quàm omnes omninò victos internecioni dare. Ast jure naturali servitus fuit incognita, quo jure omnes homines pari libertate gaudebant, &c. Servitus realis est jus in re aliena acquisitum, quo prædium alienum vicinum ut serviens, prædio nostro ut dominanti inservire, & utilitatem perpetuò præbere cogitur, (hoc est, quà res aliena rei nostræ servit) ejusmodi servitutes vocantur onera inhærentia prædio servienti, & debentur prædio dominanti: quia sine hisce duobus correlativis, puta prædio serviente & dominante stare nequeunt. Mixta servitus est, quâ res personæ servit, ut in usufructu, usu & habitatione; ideò dicitur mixta, quia non persona personæ, ut in merè personali servitute, nec res rei, ut in reali servitute observatur, sed res personæ servit; qualis servitus neque merè personalis, neque merè realis est, sed de utraque aliquid participat: ubi in servitute mixta res aliena immediatè servit personæ, eique mediante servitute utilitatem præstat, quo etiã respectu vocatur servitus personalis, qualis est in usufructu, usu & habitatione. Porrò servitus realis sive prædialis dividitur in duas species, (1) in servitutem rusticorum prædiorum, & (2) in servitutem urbanorum prædiorum. Illa habet usum rusticum ad agrum colendum, vel fructus condendos, vel pecora habenda: quales servitutes rusticæ sunt iter, actus, via, aquæ ductus, pecoris ad aquam appulsus aquandi vel abluendi gratia, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, fructus in vicina villa cogendi, *§. 2. Inst. de servit. præd. l. 3. §. 1. ff. d. t.* uvas in alieno premendi, &c. Hæc scilicet servitus urbana habet usum urbanum, ut ædificia ad habitandum,

vel

vel commercia exercenda, vel ad pensionem ex ædificiis recipiendam. Vel ut clarius dicam. Urbanus usus in habitando, recreando, mercando, hospites excipiendo consistit. Servitus urbani prædij efficit, ut ædificium dominans fiat commodius: quando vicinus cogitur pati, onus mearum ædium incumbere parieti, vel columnæ suæ; vel ut ego tignum in ejus ædes immittam ad firmandas ædes meas; vel ut stillicidium meum in vicini tectum vel aream derivem, vel ne vicinus jus habeat ædes suas altius tollendi, ne luminibus officiat, vel ne prospectui meo noceat, vide *t. ff. de servit. præd. urban.* in Medulla mea Justin. Parisiis impressa. Nota, servitutes urbanæ & rusticæ non ex loco, (num in urbe, vel ruri sint) sed ex usu æstimantur: ideò quæ ad usum urbanum destinata est, vocatur servitus urbani prædij; & quæ ad usum rusticum, vocatur servitus rustici prædij.

Servitus altius non tollendi est, quâ vicinus prohibetur, ædes suas altius non tollere, ne vicino ædium domino inde noceat.

Servitus cloacæ est, quâ vicinus pati cogitur, immunditias & sordes ædium recipere, ac per suas ædes diffluere, *l. 1. §. 2. ff. de cloacis.*

Servitus, ne luminibus officiatur, est, quâ vicinus prohibetur, vicino lumina obscuriora facere, ædificando vel alio modo.

Servitus oneris ferendi (da das eine Haus muß deß andern Hauses Last tragen) est, quâ paries aut columna vicini onus vicinarum ædium sustinere cogitur, *§. 1. Inst. de servit. præd.* hinc fluit, quod is, qui hanc servitutem debet, cogatur parietem aut columnam suis sumptibus reficere, *l. 33. ff. de servit. præd. urban.*

Servitus prædii, ut rectè præscribatur, quinque necessariò requirit, (1) est quasi possessio servitutis. Præscriptio enim in rebus corporalibus sine possessione, & in rebus incorporalibus sine quasi possessione non procedit, *c. 3. de reg. jur. in 6to.* (2) requiritur scientia & patientia adversarii, puta Domini fundi servientis, quoniam præscriptio hæc absque scientia & patientia adversarii justè obtineri nequit, (3) requiritur ad præscriptionem servitutis consequendam, quod præscribens re usus fuit jure servitutis, hoc est, ut re etiam invito adversario sic jure uti possit. (4) requiritur bona fides, quod præscribens credat, sibi servitutem jure competere, & (5) requiritur legitimum tempus ad præscriptionem introducendam sine ulla interruptione facta, puta decennium inter præsentes, & viginti anni inter absentes, *l. 13. C. de servit.* Ex dictis colligere

 licet,

licet, quod tria sequentia quasi possessionem & præscriptionem servitutis vitient, (1) si quis vi, (2) clam, & (3) precariò servitute utatur. *l. 10. pr. ff. quemadmod. servit. amitt.* Vi quis utitur servitute, quando quis illâ contra adversarii prohibitionem utitur *l. 1. §. 5 & 6. ff. quod vi aut clam.* Clam quis eâ utitur, quando quis ignorante adversario servitute utitur *l. 3. §. pen. ff. d. t.* Precariò quis servitute utitur, quando quis mediantibus precibus illâ ex concessione adversarii juxta ejus placitum saltem, & non ultra utitur. Da die Dienstbarkeit eines Dinges einem andern bittweise so lang vergönnet wird/ als es dem Grundherren gefällig / ubi eam quovis momento pro arbitrio liberè revocare potest, *l. 1. pr ff. de precario.*

Servitus prædiorum rusticorum amittitur, si dominus prædii dominantis illâ non utatur, intra 10. annos inter præsentes, & intra 20. inter absentes, *l. 13. & l. ult. C. de long. temp. præscript.* quod ideo fit, quia rusticarum servitutum usus consistit in solo exercitio & facto ejus, cui debetur: ideo etiam solo non usu amittuntur per tempus legitimum. Ex dictis patet, quod servitus prædiorum urbanorum non amittatur solo non usu, sed requiritur insuper, ut dominus prædii servientis dominum prædii dominantis servitute uti volentem impediat, ne illâ uti possit, quo pacto libertatem prædii usucapit.

Servitus prospectûs est, quâ vicinus prohibetur, ne prospectui vicini officiat, objiciendo aliquid ad diminuendum alteri prospectum antea undiquaque liberum.

Servitus stillicidii (das Treif-Recht) est duplex, affirmativa & negativa. Illa est, quâ stillicidium in vicini tectum avertere licet. Hæc est, quâ vicinus prohibetur, stillicidium suum ex fundo meo in suum derivare, sed cogitur permittere, ut fluat in cisternam vel fundum meum, cui utile est, aquam pluviam habere. Hîc notandum, quod servitus fluminis differat à servitute stillicidii duplici modo, (1) quia flumen cum impetu & colluvione emittitur; stillicidium verò guttatim cadit, (2) stillicidium semper ex alto sive superiori ædium loco decidit, flumen verò regulariter ex imo constituitur.

Servitus tigni immittendi est, quâ quis jure potest trabem in alterius vicini parietem immittere, ut is tignum sustinere cogatur, *§. 1. Inst. de servit. præd.*

Servitus Romana antiqua ob intolerabile servitutis jugum abrogata est anno Christi 1250. *prout Bodinus refert libr. 1. de republ. c. 5. &*

Taci-

Tacitus in historia de moribus Germanorum asserit. Quod Germani nunquam habuerint servos propriè sic dictos. Germani quidem habent homines proprios, olim vi belli in hanc conditionem detrusos, ut in Holsatia, Pomerania, Westphalia, Livonia &c. qui adhuc hodiè servitutis nexu quadantenus stringuntur; attamen non ita sicuti Romani servi, quia possunt testamentum condere, inire matrimonium, facere contractus, deque rebus suis ex parte disponere &c. Hi homines proprii (Leibeigen) habent quidem bona propria, sed non corpora libera; nam neque illi, neque eorum liberi possunt se in alterius Domini territorium impunè transferre absque Domini consensu; quia sunt glebæ, sivè prædiis suis adscripti, quibus semper adhærere coguntur, & sic pro bonis immobilibus habentur; hinc si tales inscio & invito Domino aufugiant, permittitur Domino potestas, eos ex aliis regionibus Germaniæ liberè repetendi, *l. 13. §. 1. C. de agric. & cens.* Multo minus famuli hodierni aliis ex contractu locationis & conductionis pro certâ mercede inservientes sunt servi tales, quorum libertas planè circumscripta est, sed sunt liberi; ideo possunt esse Judices, Procuratores, testes: item possunt licitè contractum pro arbitrio inire, & condere testamentum, & finito tempore, per quod Patrifamilias inservire promiserunt, contra voluntatem diutius in servitio detineri nequeunt. Antiquis Romanorum temporibus, ubi servitus in frequenti erat usu, servi à dominis ex triplici causa regulariter manumittebantur, (1) ex mera dominorum gratia, (2) ob servorum merita, & (3) ob lytri solutionem, quando servus se pro certa pecunia redimere poterat.

Servitutis realis natura est, non ut Dominus prædii servientis aliquid faciat, sed ut aliquid patiatur, aut non faciat, *l. 15. §. fin. ff. de servit.* Hic notandum, quod ad servitutem realem sivè prædialem constituendam duo subjecta requirantur, ut relativum & correlativum. Subjectum relativum est prædium dominans, cui inhæret jus. Et subjectum correlativum est prædium serviens, cui inhæret obligatio sive passio. Ex his patet, quod res sua nemini propriè serviat, *l. 5. ff. de usufruct. petendo.* Ratio est, quia ad servitutis realis formam requiritur prædium alienum, non proprium. *l. 26. ff. de servit. præd. urban.*

Servitus servitutis non datur, sicuti nec accidens accidentis, *l. 1. ff. de usu & usufruct. legat.* nec datur servitus, quæ nec personæ, nec præ-

ritur, an bruta polleant memoriâ? respondetur distinguendo inter memoriam materialem sive sensitivam, & spiritualem sive intellectivam. Illâ quidem bruta sunt prædita, ut si canis in culina ob malefacta verberetur, verberum non statim obliviscitur; ideò metu pœnæ non facilè redire audet, aut si redit, valdè circumspectè agit, ne iterum verberibus excipiatur. Hac scilicet intellectivâ non item pollent bruta, quia est actus reminiscentiæ, quo recordamur rerum præteritarum, & rerum universalium ac spiritualium; harum rerum memoria animalium non est capax. Hic probè notandum, quod intellectus sit potentia sivè virtus cognoscitiva spiritualis, quæ ita est comparata, ut homo nihil intelligere possit, nisi intellectus sit excitatus à phantasia, & nisi sensus interni circa idem objectum eodem tempore simul operentur; idcircò vulgò dici solet: quod nihil sit in intellectu, nisi prius fuerit in sensu; nam sensus externi regulariter rem prius percipiunt, deinde eam ad sensus internos & phantasiam transferunt, posteà phantasia eandem ad memoriam, voluntatem, & intellectum transfert: quoniam sensatio externa imprimit internis sensibus speciem rerum; ob id intellectus dependet à sensu interno (phantasiâ,) & hic ab externo, (visu, auditu &c.) ita tamen, ut ratio omnibus animæ facultatibus sivè potentiis imperet, & dominetur &c. In somno omnes externi sensus oppressi jacent, & acquiescunt; ast sensus interni in somno quadantenus operantur; hinc somniantes judicamus, discurrimus, disputamus, argumenta solvimus, carmina pangimus, orationem componimus &c. Attamen omnes hi actus sensuum internorum sunt imperfecti; nam quia somniantibus phantasia, & sensus communis sunt nebulosi & fluctuantes, indè contingit, ut etiam discursus, quos in somnio elicimus, sint manci & valdè imperfecti. Porrò observandum, in corde ex sanguine purissimo excoqvuntur spiritus vitales, ex quibus deindè in cerebro fiunt spiritus animales, quorum operâ sensationes tum externæ, tum internæ perficiuntur; ob id læso cerebro (quod est sensuum internorum sedes) læditur phantasia, & imaginatio. Ex hoc principio dicimus, homines prudentes bono cerebro esse præditos; & stupidos sine cerebro esse, vel cerebrum in calce gerere, hoc est, non integrum habere &c. Theologi unanimi consensu asserunt, quod per sensuum fenestras mors in animam ingrediatur, si iis intempestinè abutamur. Studeamus ergo, sensus ab illicitis, & vitiosis abstrahere, & à vita terrena ad cœlestem

lestem traducere; ne se plus justò rerum terrenarum delectationibus impiè immergant; quoniam sensus saltem homini inservire, non imperare debent. Ideo oculorum castiganda est licentia; nam cum celerrimi videant objecta, rerumque plurimarum imagines confusè ad phantasiam, & indè ad mentem transmittant, gravium peccatorum semina in appetitu excitant, nisi firmâ custodiâ muniantur. Aures etiam prudenter custodiendæ sunt, ne faciles præbeantur nugis, turpiloquiis, calumniis, blasphemiis, undè semina vitiorum in animo relinqvuntur. Gustus quoque castigandus est abstinentiâ, & sobrietate, ne vitam helluando & debachando cum Epicureis miserrimè consumamus.

Sententia Judicis est duplex, (1) interlocutoria, & (2) definitiva. Sententia interlocutoria est, quam Judex non super principali negotio, sed super emergenti, vel incidente quæstione inter principium & finem causæ controversæ interloquendo fert, & sic litem principalem non finit: datur tamen sententia interlocutoria vim definitivæ habens; quod fit, quando per illam quidem non integrè & specialiter definitur causa principalis controversa; sed per indirectum tangitur & definitur articulus ad definitivam spectans: hinc dicunt jura, quod paria sint, sententiam esse definitivam, vel habere vim definitivæ, per quam Judicis officium exspirat. Sententia definitiva est, quâ ipsa causa principalis deciditur per condemnationem vel absolutionem. Ideo sententia Judicis à sentiendo sic dicitur; quia Judex per eam, quid de causa controversa sentiat, declarat, & definit, ac lites sivè controversias partium determinat. Sententia definitiva de toto in judicio est concipienda; ratio est, quia non potest ex uno judicio res judicata in partem valere, & in partem non valere, *l. 27. ff. famil. ercisc.* Si tamen sint multa in lite capita, potest Judex super quibusdam eorum sententiam ferre, tunc iterum de aliis quærere, & sententiam proferre; quoniam judex non cogitur, sententiam unam de omnibus capitibus simul dicere, *l. pen. C. de sentent. & interlocut. omnium Judic.* Propter sententiam Judicis omnia in judicio fiunt, & quò omnia referuntur; nam non ideo litigant homines in judicio, ut perpetuò, vel ad vitæ finem litigare velint, litesque exerceant immortales, cum tamen ipsi sint mortales; sed ut controversia celeriter & tempestivè terminetur ac definiatur, *c. 2. X. de sentent. & re judic.* Causa efficiens sententiæ est Judex competens, sententiam ferens, *l. 28. ff. de re judicat.* Materia, de

qua pronunciatur ſententia, ſunt omnes res ſivè cauſæ, tam civiles, quàm criminales, de quibus in judicio agi & diſputari ſolet. Forma in plurimis conſiſtit, præſertim ut à competente Judice feratur ſententia, juri & libello conformis, & ut litigantes ad audiendam ſententiam ſpecialiter citentur, *l. 4. C. quomodo & quando jud.* Finis ſententiæ eſt, ut lites finiantur, quod fit vel abſolutione, vel condemnatione.

Sententia Judicis de cauſa controverſa eſt pronuncianda præſentibus litigantibus, quos cauſa contingit, *l. 47. ff. de re judic.* Quod ſi alter litigantium, quem ſententia Judicis offendit, neque ſtatim, neque intra decendium à lata ſententia appellaverit, ſivè provocaverit, ut ſententia pendente appellatione maneat in ſuſpenſo, tunc tranſit in rem judicatam, *l. 1. ff. de re judic.* mediante qua tantam conſequitur autoritatem, ut nullo amplius remedio attentari, vel debilitari poſſit, *c. 13. X. de ſentent. & re judic. & l. 23. ſ. 1. ff. de condict. indebit.* ratio eſt, quia per ſilentium ejus, contra quem lata eſt ſententia, jam cenſetur confirmata, ideo executionem meretur, *l. pen. & ult. C. de execut. rei judic.* res autem judicata paratam executionem habere debet, ne ſententia reddatur eluſoria, *l. 2. C. d. t.* & per conſequens, ne ob contumaciam victi periclitetur juſtitia, (vel cauſa victoris) quæ vult ſententias Judicis eſſe exequendas, ac contumaces puniendos, ad Magiſtratûs autoritatem, & reipubl. tranquillitatem conſervandam.

Sententiam certam ratione pecuniæ vel rei certæ ferre debet Judex, ex quâ perſpicuè appareat, quid, quale, & quantum ſit id, ad quod reus condemnatur, *ſ. 32. Inſt. de action.* ratio eſt, quia Judicis officium poſtulat, ut certam ſententiam ferat, quâ litem inter litigantes dirimat, ne ob ſententiæ ambiguitatem lis ex lite naſcatur, ac lites per hoc reddantur immortales; incerta enim ſententia certam rem vel quantitatem ſivè pecuniæ ſummam non exprimens, litem non dirimit, ſed eam potius alit; ideo non valet ſequens ſententia, à Judice lata; ſolvo Titio omne debitum cum uſuris; vel condemno Titium ad debitum ſolvendum; quia nihil certi hic exprimitur, *l. 3. C. de ſentent. quæ ſine certa quantitate.* Aſt ſi Judex ſic pronunciaverit: ſolve, quod petitum eſt, tunc ſententia valet, quia id in libello jam antea eſt expreſſum.

Sententia à Judice lata abit in rem judicatam, niſi condemnatus à ſententia Judicis intra decendium tempeſtivè appellaverit, *vid. t. ff. de* re

re judic. nam appellatio sivè provocatio ad superiorem Judicem facit cessare officium inferioris Judicis, & ei quasi manus ligat in ea causa, in qua pronunciavit, *c. 39. X. de appellat.* ejusque sententiam ab executione tamdiu suspendit, donec in superiori judicio sententia fuerit lata; si illa priorem ab inferiori Judice latam approbet, non amplius suspenditur, sed Judicis autoritate per ministros publicos executio sententiæ peragitur, ut victus victori præstet illud, ad quod per sententiam Judicis legitimè fuit condemnatus, vide *t. Cod. de execut. rei judicat.* Sin verò superior Judex priorem sententiam reprobet, tunc planè tollitur. Hic porrò nota, quamvis à sententia in Supremo Imperii tribunali lata appellare, aut provocare nemo possit, attamen partes litigantes, quæ indè se iniquè læsas putant, non omni destituuntur auxilio & remedio: nam sententia in Tribunali Cameræ lata, impugnari potest triplici modo, (1) per restitutionem in integrum, quâ partis litigantis ibi condemnatæ error redarguitur. (2) per revisionem Actorum, quâ Referentis culpa manifestatur, & (3) per Syndicatum, quo Referentis dolus, aut Procuratoris prævaricatio publicè accusatur. Hæc tria remedia in eo differunt: restitutio fit coram eodem Judice, qui sententiam tulit, nimirum coram Camera Imperiali: Revisio autem & Syndicatus coram Commissariis Imperatoris & Statuum Imperii institui debent. Revisionem petens certam pecuniæ summam in judicio deponere debet, deindè Visitatores Acta summâ diligentia perlegunt, revident, ac momenta causæ accuratè perpendunt: sic singulis momentis causæ satis ponderatis, sententiam priorem vel reformant, vel confirmant. Si sententia prior reformatur, tunc parti victrici, anteà condemnatæ vel gravatæ pecunia deposita redditur; ast si prior sententia confirmatur, depositam pecuniæ summam ob præsumtum temerarium litigium justè perdit, *Ord. Cam. p.3. t.53. §.4.* Revisio & Syndicatus in eo differunt, quod illa fit ex imperitia, hæc ex dolo & malitia, quando Judicis sententia odio vel gratiâ partium lata est, *Gail. 1. obs. 153.*

Sententia Judicis cessante appellatione sivè provocatione ad superius tribunal, pro autoritate Magistratûs conservandâ, post elapsa fatalia ad ultimum suum finem deducitur, quod fit per realem executionem, quæ 4. modis fieri solet, (1) manu militari, *l. 68. ff. de rei vindicat.* (2) pignoris captione, *l. 15. §. 12. & seqq. ff. de re jud.* (3) missione in bonorum possessionem, *l. 1. ff. quib. ex caus. in poss.* & (4) car-

(4) carcere, *l.1.& ult.C.qui bon.ced. poss.* nam quando condemnati rei, sivè delinquentis bona non sufficiunt, aut is nulla habet, tunc judicatus in carcerem conjici solet; qui enim non habet in ære, luat in corpore, *l.fin.ff.de in jus vocand.*

Sepultura est memoria humanæ conditionis, *l.27.ff.de condition. instit.* quâ quilibet mortalium fragilitatis & mortalitatis suæ memor esse potest.

Sequestratio est, quâ res litigiosa usque ad finem litis deponitur apud tertium, (qui sequester vocatur) eâ conditione, ut eam victori restituat, *l.5.& 17.ff. depositi. l.110.ff. de verb. signif.* Sequestratio est duplex, (1) voluntaria,& (2) necessaria. Illa fit expressâ conventione litigantium, hæc fit jussu Judicis, quæ regulariter in jure est prohibita; quia nemini sine causæ cognitione possessio rei est auferenda, *l.un. Cod. de probib. sequestr.* Ast hodiè sequestratio non tantum rerum, sed etiam personarum interdum fieri solet custodiæ causa. Sic olim sequestratio puellæ sponsæ, nomine Sabinæ in Camerâ Imp. decreta fuit, ut lite pendente apud honestam Matronam sequestranda esset, *Gail. lib.1. observ.112. num.16.* Sequestrationis onus satisdatione sivè cautione evitari potest, *l.7.§.fin.ff.qui satisdar. cog.* ut arrestum & detentio rerum vel personarum præcaveri possit.

Sermo dubius in jure quomodo intelligendus sit? Resp. in dubio à proprietate sermonis non est recedendum, *l.69.pr.ff. de legat.3.* ideo in testamento non debemus à verborum significatione recedere, nisi ex antecedentibus & consequentibus apertè pateat, testatorem aliud sensisse, quàm verborum proprietas innuit, *d.l.69.* testatoris enim ultima voluntas quovis modo conservanda est, si modo non sit contra leges, & naturalem æquitatem; quibus in casibus testatores nihil validè disponere possunt, *l.55.ff. de legatis.1.*

Servitus est libertatis privatio, vel jus, quo adimitur aliquid libertati, quam dominus in re sua habet, ac conceditur personæ, vel rei alienæ. Causa efficiens servitutis realis est contrahentium consensus; quoniam dominus prædii servientis servitutem in suo prædio concedere debet domino prædii dominantis per pacta, vel ultimam voluntatem, *l.1.6.& 8.ff. comm. præd.* Materia sivè objectum, in quo existunt servitutes, sunt prædia aliena, quorum quædam vel in solo consistunt, unde servitutes rusticorum prædiorum, vel in ædibus, unde servitutes prædiorum urbanorum. Forma partim ex definitio-

tione servitutis, partim indè patet, quod servitutes reales constituantur duplici modo, vel (1) inter vivos, vel (2) ultima voluntate. Priori modo constituitur pactionibus & stipulationibus, e. gr. est mihi fundus, ad quem saltem per anfractus pervenire possum, nisi per vicinum fundum mihi concedatur transitus; hâc necessitate commotus, rogo vicinum, ut mecum pacisci vel contrahere velit de constituenda servitute, quâ mihi imposterum per ejus fundum ire, jumentum, vel vehiculum agere liceat: si vicinus meus expetitâ servitute constituenda consentiat, & contractum ineat, tunc mihi acquiritur hæc servitus tanquam domino prædii dominantis in prædio serviente, ita ut constitutam hanc servitutem imposterum licitè exercere possim, invito etiam domino prædii servientis, juxta regulam, quod contractus ab initio sint liberæ voluntatis, sed post perfectos contractus sunt necessitatis, &c. Posteriori modo constituitur servitus in testamento, quando testator alicui ex gratia quid legat, ut per fundum suum post ejus mortem iter, actum, viam, aquæ ductum &c. habeat: hanc constitutam servitutem heres post testatoris mortem disputare nequit, sed firma manet, ut conservetur ultimum testatoris elogium. Finis servitutis est, ut prædii servientis dominus quid patiatur, aut non faciat, *l. 15. ff. de servit. præd.* & per consequens prædio dominanti utilitatem præstet. Hîc quæritur, utrum servitus juri naturali sit contraria, vel non? Resp. affirmando, quoniam servitus in thesi juri naturali est contraria, si eam absolutè absque bello consideremus, secundum primævum mortalium statum; ratio est, quia omnes homines ab initio naturâ nascebantur liberi. Verùm in hypothesi ratione circumstantiarum respectu ad bellum habito servitus juri naturali non est contraria, hoc est, quatenus personæ bello capiuntur, & non promiscuè occiduntur: quod fit ob sequentem rationem; si captum in bello impunè occidere licet, quid ni eundem servare, & servitutis nexibus in victoris emolumentum gravare liceat; juxta illud commune Philosophorum, cui plus licet, (hoc est, hominem captivum pro arbitrio occidere) ei & minus licet, hoc est, captivum efficere servum, sivè mancipium. Cæterum juxta primævum statum, ubi omnes homines in ipsa innocentia vivebant, omnes nascebantur liberi, & per consequens homines non tantum primis mundi temporibus, verum etiam ad diluvium, imò & post diluvium ad Nimrodis tempora servitutis juga ignorarunt; hic Nim-

rod primum hominibus insidiari, ipsosque libertate privare tyrannicè cœpit, quod ipsius successores imitati sunt.

Servitus in genere dividi solet in tres species: (1) in servitutem merè personalem, (2) in servitutem merè realem, & (3) in servitutem mixtam. Servitus personalis est, quâ persona personæ servire cogitur, qualem servitutem præstant servi imperio Dominorum subjecti, *§. 2. Inst. de jur. personar.* hæc servitus hodiè apud Christianos non ita, ut apud Tartaros & Turcas est in usu, qui captivos jumentorum instar in foro publicè vendunt, eosque crudeliter tractant. Servitus hæc personalis, & per consequens manumissio jure gentium ob rationem probabilem & prægnantem causam est introducta: quoniam tàm victoribus, quàm debellatis, imò toti generi humano melius consulitur, captos in bello servare, eosque mancipia efficere, quàm omnes omninò victos internecioni dare. At jure naturali servitus fuit incognita, quo jure omnes homines pari libertate gaudebant, &c. Servitus realis est jus in re aliena acquisitum, quo prædium alienum vicinum ut serviens, prædio nostro ut dominanti inservire, & utilitatem perpetuò præbere cogitur, (hoc est, quà res aliena rei nostræ servit) ejusmodi servitutes vocantur onera inhærentia prædio servienti, & debentur prædio dominanti: quia sine hisce duobus correlativis, puta prædio serviente & dominante stare nequeunt. Mixta servitus est, quâ res personæ servit, ut in usufructu, usu & habitatione; ideò dicitur mixta, quia non persona personæ, ut in merè personali servitute, nec res rei, ut in reali servitute observatur, sed res personæ servit; qualis servitus neque merè personalis, neque merè realis est, sed de utraque aliquid participat: ubi in servitute mixta res aliena immediatè servit personæ, eique mediante servitute utilitatem præstat, quo etiã respectu vocatur servitus personalis, qualis est in usufructu, usu & habitatione. Porrò servitus realis sive prædialis dividitur in duas species, (1) in servitutem rusticorum prædiorum, & (2) in servitutem urbanorum prædiorum. Illa habet usum rusticum ad agrum colendum, vel fructus condendos, vel pecora habenda: quales servitutes rusticæ sunt iter, actus, via, aquæ ductus, pecoris ad aquam appulsus aquandi vel abluendi gratia, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, fructus in vicina villa cogendi, *§. 2. Inst. de servit. præd. l. 3. §. 1. ff. d. t.* uvas in alieno premendi, &c. Hæc scilicet servitus urbana habet usum urbanum, ut ædificia ad habitandum, vel

vel commercia exercenda, vel ad pensionem ex ædificiis recipiendam. Vel ut clarius dicam. Urbanus usus in habitando, recreando, mercando, hospites excipiendo consistit. Servitus urbani prædij efficit, ut ædificium dominans fiat commodius: quando vicinus cogitur pati, onus mearum ædium incumbere parieti, vel columnæ suæ; vel ut ego tignum in ejus ædes immittam ad firmandas ædes meas; vel ut stillicidium meum in vicini tectum vel aream derivem, vel ne vicinus jus habeat ædes suas altius tollendi, ne luminibus officiat, vel ne prospectui meo noceat, vide *t. ff. de servit. præd. urban.* in Medulla mea Justin. Parisiis impressa. Nota, servitutes urbanæ & rusticæ non ex loco, (num in urbe, vel ruri sint) sed ex usu æstimantur: ideò quæ ad usum urbanum destinata est, vocatur servitus urbani prædij; & quæ ad usum rusticum, vocatur servitus rustici prædij.

Servitus altius non tollendi est, quâ vicinus prohibetur, ædes suas altius non tollere, ne vicino ædium domino inde noceat.

Servitus cloacæ est, quâ vicinus pati cogitur, immunditias & sordes ædium recipere, ac per suas ædes diffluere, *l. 1. §. 2. ff. de cloacis.*

Servitus, ne luminibus officiatur, est, quâ vicinus prohibetur, vicino lumina obscuriora facere, ædificando vel alio modo.

Servitus oneris ferendi (da das eine Haus muß deß andern Hauses Last tragen) est, quâ paries aut columna vicini onus vicinarum ædium sustinere cogitur, *§. 1. Inst. de servit. præd.* hinc fluit, quod is, qui hanc servitutem debet, cogatur parietem aut columnam suis sumptibus reficere, *l. 33. ff. de servit. præd. urban.*

Servitus prædii, ut rectè præscribatur, quinque necessariò requirit, (1) est quasi possessio servitutis. Præscriptio enim in rebus corporalibus sine possessione, & in rebus incorporalibus sine quasi possessione non procedit, *c. 3. de reg. jur. in 6to.* (2) requiritur scientia & patientia adversarii, puta Domini fundi servientis, quoniam præscriptio hæc absque scientia & patientia adversarii justè obtineri nequit, (3) requiritur ad præscriptionem servitutis consequendam, quod præscribens re usus fuit jure servitutis, hoc est, ut re etiam invito adversario sic jure uti possit. (4) requiritur bona fides, quod præscribens credat, sibi servitutem jure competere, & (5) requiritur legitimum tempus ad præscriptionem introducendam sine ulla interruptione facta, puta decennium inter præsentes, & viginti anni inter absentes, *l. 12. C. de servit.* Ex dictis colligere

 licet,

licet, quod tria sequentia quasi possessionem & præscriptionem servitutis vitient, (1) si quis vi, (2) clam, & (3) precariò servitute utatur. *l. 10. pr. ff. quemadmod. servit. amitt.* Vi quis utitur servitute, quando quis illâ contra adversarii prohibitionem utitur *l. 1. §. 5 & 6. ff. quod vi aut clam.* Clam quis eâ utitur, quando quis ignorante adversario servitute utitur *l. 3. §. pen. ff. d. t.* Precariò quis servitute utitur, quando quis mediantibus precibus illâ ex concessione adversarii juxta ejus placitum saltem, & non ultra utitur. Da die Dienstbarkeit eines Dinges einem andern bittweise so lang vergönnet wird/ als es dem Grundherren gefällig / ubi eam quovis momento pro arbitrio liberè revocare potest, *l. 1. pr ff. de pecario.*

Servitus prædiorum rusticorum amittitur, si dominus prædii dominantis illâ non utatur, intra 10. annos inter præsentes, & intra 20. inter absentes, *l. 13. & l. ult. C. de long. temp. præscript.* quod ideo fit, quia rusticarum servitutum usus consistit in solo exercitio & facto ejus, cui debetur: ideo etiam solo non usu amittuntur per tempus legitimum. Ex dictis patet, quod servitus prædiorum urbanorum non amittatur solo non usu, sed requiritur insuper, ut dominus prædii servientis dominum prædii dominantis servitute uti volentem impediat, ne illâ uti possit, quo pacto libertatem prædii usucapit.

Servitus prospectûs est, quâ vicinus prohibetur, ne prospectui vicini officiat, objiciendo aliquid ad diminuendum alteri prospectum antea undiquaque liberum.

Servitus stillicidii (das Treif-Recht) est duplex, affirmativa & negativa. Illa est, quâ stillicidium in vicini tectum avertere licet. Hæc est, quâ vicinus prohibetur, stillicidium suum ex fundo meo in suum derivare, sed cogitur permittere, ut fluat in cisternam vel fundum meum, cui utile est, aquam pluviam habere. Hîc notandum, quod servitus fluminis differat â servitute stillicidii duplici modo, (1) quia flumen cum impetu & colluvione emittitur; stillicidium verò guttatim cadit, (2) stillicidium semper ex alto sive superiori ædium loco decidit, flumen verò regulariter ex imo constituitur.

Servitus tigni immittendi est, quâ quis jure potest trabem in alterius vicini parietem immittere, ut is tignum sustinere cogatur, *§. 1. Inst. de servit. præd.*

Servitus Romana antiqua ob intolerabile servitutis jugum abrogata est anno Christi 1250. *prout Bodinus refert libr. 1. de republ. c. 5. &* Taci-

Tacitus in historia de moribus Germanorum asserit. Quod Germani nunquam habuerint servos propriè sic dictos. Germani quidem habent homines proprios, olim vi belli in hanc conditionem detrusos, ut in Holsatia, Pomerania, Westphalia, Livonia &c. qui adhuc hodiè servitutis nexu quadantenus stringuntur; attamen non ita sicuti Romani servi, quia possunt testamentum condere, inire matrimonium, facere contractus, deque rebus suis ex parte disponere &c. Hi homines proprii (Leibeigen) habent quidem bona propria, sed non corpora libera; nam neque illi, neque eorum liberi possunt se in alterius Domini territorium impunè transferre absque Domini consensu; quia sunt glebæ, sivè prædiis suis adscripti, quibus semper adhærere coguntur, & sic pro bonis immobilibus habentur; hinc si tales inscio & invito Domino aufugiant, permittitur Domino potestas, eos ex aliis regionibus Germaniæ liberè repetendi, *l. 13. §. 1. C. de agric. & cens.* Multo minus famuli hodierni aliis ex contractu locationis & conductionis pro certâ mercede inservientes sunt servi tales, quorum libertas planè circumscripta est, sed sunt liberi; ideo possunt esse Judices, Procuratores, testes: item possunt licitè contractum pro arbitrio inire, & condere testamentum, & finito tempore, per quod Patrifamilias inservire promiserunt, contra voluntatem diutius in servitio detineri nequeunt. Antiquis Romanorum temporibus, ubi servitus in frequenti erat usu, servi à dominis ex triplici causa regulariter manumittebantur, (1) ex mera dominorum gratia, (2) ob servorum merita, & (3) ob lytri solutionem, quando servus se pro certa pecunia redimere poterat.

Servitutis realis natura est, non ut Dominus prædii servientis aliquid faciat, sed ut aliquid patiatur, aut non faciat, *l. 15. §. fin. ff. de servit.* Hic notandum, quod ad servitutem realem sivè prædialem constituendam duo subjecta requirantur, ut relativum & correlativum. Subjectum relativum est prædium dominans, cui inhæret jus. Et subjectum correlativum est prædium serviens, cui inhæret obligatio sive passio. Ex his patet, quod res sua nemini propriè serviat, *l. 5. ff. de usufruct. petendo.* Ratio est, quia ad servitutis realis formam requiritur prædium alienum, non proprium. *l. 26. ff. de servit. præd. urban.*

Servitus servitutis non datur, sicuti nec accidens accidentis, *l. 1. ff. de usu & usufruct. legat.* nec datur servitus, quæ nec personæ, nec præ-

dio est utilis; ratio est, quia omnis servitus eo fine introducitur, ut prædio dominanti utilitatem afferat.

Simonia est studiosa voluntas sivè prava cupiditas emendi & vendendi Spiritualia, vel spiritualibus annexa: ideo dicitur crimen ecclesiasticum, nomen â Simone Mago Samaritano, homine nefario habens. Simoniam hanc committunt, qui sacerdotia sordido pretio nundinantur vel mercantur.

Societas humana absque imperio & Magistratu subsistere nequit: nam sicuti armenta sine pastore vagantur errabunda, sic hominum Societas sine Rege (vel Magistratu) & lege conservari nequit in depravato hoc mundi statu. 1.*Reg.* 22.*v.* 17. idcircò Magistratûs imperium societati humanæ ob confusiones, iniquitates, & cædes omni tempore evitandas æque necessarium est, ut panis, aquæ, solis, & aëris usus; ut quilibet contra violentos latronum insultus & furum ac aliorum delinquentium malitiam tutò habitare, quietè vivere, suisque bonis absque injuria frui, eaque illæsa conservare possit. Naturalis etiam ratio & universalis lex naturæ homines inferiores & debiliores obligat, ut præstantioribus obedientiam præstent, seque eorum regimini ac protectioni submittant, *l.* 2.*ff.de just.* & *jur.* Ob id ipse etiam Deus hominibus dedit Magistratum ad refrænandam hominum malitiam, & unumquemque in justitia conservandum. *Romanor.* 13.*vers.* 1. omnis potestas â DEO est, 1.*Petr.* 2. *vers.* 13. qui dat Salutem Regibus *Psalm.* 143. eosque repudiat & constituit. *Dan.* 2. Igitur meritò prædicamus eam rempubl. in qua Rex vel Princeps legibus divinis & naturæ se libenter ac spontè subjicit; Magistratus verò inferior suo Principi, ejusque legibus; privati Magistratui inferiori, liberi parentibus, servi Dominis se spontè submittunt, & cives mutuâ benevolentia inter se & cum republ. conjunguntur: talis imperantium & parentium concordia est optima harmonia, rerumque publicarum incrementum maximum; ut omnium civium salus in singulis, & singulorum salus in omnibus sartâ tectâ conservetur. Societatis hujus universalissima vincula sunt ratio & oratio, *inquit Cicero lib.* 1. *offic.* hæc enim sunt præcipua humanæ naturæ dona, præ aliis animalibus homini concessa. Oratio data est hominibus, ut societas posset inter homines esse, subsistere, & conservari; quæ homines docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando inter se conciliat, ac conjungit. Ratio verò data est hominibus, ut societas illa sanctè, honestè, & quietè juxta

ratio

rationis rectè informatæ regulas institui ac coli possit; quia autem bruta animantia & ratione & oratione planè sunt destituta, ideo societas inter illa propriè non est,&c.Hic sciendum, quod in homine ratio & oratio debeant esse conjuncta in suis functionibus; quia sermo est character animi:ideo dicit Aristoteles *1.pol.2.*quod oratio inventa sit ad declarandum quod prodest, & obest: item quod justum vel injustum. Cæterum societas universalis ut perfectissima societas varias speciales societates continet, puta conjugalem, paternam & herilem societatem; illam ceu primam omnium vir & uxor; istam parentes & liberi, hanc verò herus & servi constituunt. Ex his tribus societatibus simplicibus oritur societas (composita) domestica, quæ est principium urbis, & quasi seminarium reipubl. Hinc ex domibus & vicis ceu societatibus compositis posteà urbes ac integræ civitates & respubl. existunt &c. Ex dictis satis superque constat, quod societas civilis hominibus præstet securitatem vitæ & bonorum, & ut floreant commercia, ad indigentiam humanam sublevandam, & quicquid ad vitam benè beatèque instituendam & ducendam facere potest; nam quis mortalium adeò stupidus non videt, hominem homini in infinitis negotiis esse necessarium, qui alteri usui, auxilio & præsidio esse potest: cum nec Dux in bello sine militum auxilio,necPrinceps in suis territoriis sine subditorum,ministrorum, & Consiliariorum ope aliquid præclari præstare valeat: ideo homo aliorum favorem & amicitiã meritò ambiat, ne alii ejus perniciem per varias fraudes, injurias, vulnera, cædes, bella &c. malitiosè quærant.Mirabile est, quod bruta animantia in proprium suum sexum non sæviant; nam luporum, ursorum, & leonum feritas non est tanta, ut inter se, inque suo genere facilè dimicent; nec serpentum morsus petit serpentes; nec maris belluæ & pisces in sua, sed diversa saltem genera sæviunt; sed homo animal nobilissimum, & ratione præditum homini,impulsu diaboli plurima mala inferre conatur: cum tamen homo naturaliter obligetur, ut homini prosit, & eidem non noceat.Hîc sciendum, quòd in qualibet societate duplex jus reperiatur. (1) respicit commodum cujuslibet socii privatum, & (2) respicit commune societatis interesse, quod semper prævalere debet.

Societas bonorum(germanicè die Mascoper)est contractus consensualis de re & operâ conferenda inter duos, pluresve socios initus,ut lucrum & damnum indè veniens sit inter conferentes sivè socios commune.

ne. Hujus societatis duæ sunt species, (1) est societas universalis omnium bonorum, *l. 1. §. 1 ff. b. t.* & *l. 2. ibid.* & (2) est particularis, hoc est, certæ alicujus negotiationis. In universali bonorum societate communicantur omnes res, quæ sociorum sunt; in particulari autem communicantur saltem ea, quæ ex quæstu rei veniunt, cujus rei gratia societas est contracta, *l. 52. §. 5. ff. b. t.* In societate divisio regulariter inter socios æqualiter est facienda, ut eadem sit ratio lucri & damni. *§. 1. Inst. de Societ.* ratio est, quia societas jus quoddam fraternitatis, & per consequens æqualitatis jus parit, *l. 63. ff. b. t.* ut lucrum & damnum inter eos sit commune, intellige pro ratâ: hinc si æqualis fuerit sociorum collatio, lucrum æqualiter inter se dividere debent socii; sin verò inæqualis fuerit eorum collatio, tunc pro rata quilibet accipit, hoc est, ratione sortis sivè quantitatis in societatem collatæ: æquales autem partes observare oportet non proportione arithmetica, sed geometrica, hoc est, non secundum proportionem quantitativam, sed quotitativam, prout quisque in societatem plus minusvè contulerit vel operæ, vel industriæ, vel pecuniæ; ideo plus conferens in societatem, plus indè accipere debet, e. gr. si unus sociorum Titius contulisset 4000. in societatem; alter verò Mævius 2000. & lucrum ex collata pecuniâ perceptum esset 600. thalerorum: quo casu Titius socius duplò plus conferens, quàm Mævius, lucrari debet 400. imperiales, & Mævius saltem 200. Hinc patet, quod societas talis iniri nequeat, ut alter lucrum tantùm, alter damnum sentiat, quæ vocatur leonina, *l. 29. §. 2. ff. pro Soc.* ubi leo juxta fabulam cum duobus animalibus ineundo societatem, prædam captam in tres partes dividens, sic distribuit; primam partem mihi quà socio tribuo, alteram meo robori, & tertiam qui petit, habebit me inimicum, & ita totum lucrum solus retinuit &c. Societas verò valida est, in qua alter unam partem, alter duas lucri, vel damni partes juxta pacta specialia sustineat: ast si nihil de partibus lucri vel damni inter Socios expresse actum est, æquales partes & in lucro & in damno regulariter consequuntur contrahentes, *d. 1. §. 1. Inst.* Causa efficiens hujus societatis est consensus contrahentium, sivè sociorum, *pr. Inst. de obligat. quæ ex consens.* Materia sivè objectum sunt res & facta licita (non turpia.) ratio est, quia juxta jus civile rerum turpium nulla est obligatio, & per consequens nulla earum est societas. *l. 15. ff. de condit. instit.* Quod si omnes res & facta quævis conferantur, dicitur societas universa-

versalis; si verò quædam saltem res vel facta, dicitur societas particularis certarum saltem negotiationum. Forma in definitione declarata est, & finis itidem, quia lucri causa contracta est societas, ut lucrum inter socios proportionaliter dividatur. Effectus est obligatio, ut uterque contrahentium ad bona conferenda, eorumque administrationem, ut & ad lucri & damni participationem teneatur: quod si verò unus sociorum plus operæ & industriæ conferat, tunc illa habetur loco pretii, quasi pecunia esset collata: ratio est, quia pauperior ut plurimum illud in societate supplet operâ, industriâ, & arte, quod ipse minus, quàm alter socius contulit, *l. 5. §. 1. ff. b. t.* Exempli gratia si is commerciorum & societatis causa solus naviget, vel solus peregrinetur.

Sodomia dicitur coitus contra naturam cum homine vel bruto animante impiè perpetratus, ubi sexus perdidit locum: primam sodomiæ speciem, ceu belluinum & detestabilem furorem execratus est Paulus in gentibus, *c. 1. v. 27. ad Rom.* masculi, inquit, relicto naturali usu fœminarum exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, &c. Horrendum ac detestabilem hunc coitum ultimo supplicio compensandum jubet Moises; verba legis sunt: qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas; ideò morte moriatur, &c. *Levit. 20. v. 13.* Justinianus Imp. congruè de hoc belluino crimine loquitur *in l. 31. C. de adult.* ubi sexus perdidit locum; ubi scelus est id, quod non proficit scire, ubi venus mutatur in alteram formam; ubi amor quæritur, nec invenitur, sivè videtur. Tales ut infames ultore ferro exquisitis pœnis in terrorem aliorum subjiciantur, &c. Altera sodomiæ species est nefandissima cum bruto animali commixtio, ubi semen & sanguis humanus cum brutorum sanguine pessimè confunditur, quod DEUS gravissimè *Levit. 18. v. 23.* prohibuit: cum omni pecore non coibis, nec commaculaberis cum eo. Mulier non succumbat jumento, nec commiscebitur ei, quia scelus est; nec polluamini in his omnibus, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, &c. hujus criminis reos DEUS cum ipso bruto interfici jussit, *Levit. 20. v. 15. & Exod. 22. v. 19.* Idem approbat per S. Augustinum jus Canonicum, *caus. 15. q. 1. can. 4.* licet pecus sit irrationale, quod ob destitutam voluntatem & intellectum non delinquit, cum non sit legis capax; attamen quia animal illud horrendo flagitio contamina-

tum, indignam refricat hujus detestandi facti memoriam, interfici & concremari jubetur, *d. cauf. 15. q. 1. can. 4.* Pessimum hoc crimen sodomiticum constitutione Caroli V. hodie ignis supplicio puniendum est, ut delinquentes vivi comburantur ob criminis atrocitatem, *constit. crimin. Caroli V. art. 116.*

Solutio est actus, quo id, quod alteri debemus naturaliter solvimus; solutionis subjectum relativum & correlativum constituunt personæ solventes, & solutum recipientes; quales sunt (1) subjectum relativum, ut debitor, qui debitum solvit, & (2) subjectum correlativum est creditor, cui solvitur debitum. Solutionis requisita sunt tria regulariter, (1) ut totum debitum solvatur, quia particularis solutio multa sæpè incommoda secum trahit, onerans creditorem, *l. 3. ff. famil. ercisc.* (2) ut justo sivè constituto tempore solvatur: nam minus solvere censetur debitor, si tardius solvat creditori debitum, *l. 12. §. 1. ff. de verb. signif.* (3) ut solutio fiat convenienti loco, nimirum loco domicilii, vel contractûs, *l. 19. §. 1. ff. de jud.* Causa efficiens remota solutionis est contractus, quo medjante debitor creditori solvere obligatur. Causa proxima est voluntas solventis & accipientis. Objectum sunt debita, quæ solvenda sunt; id autem propriè deberi censetur, quod etiam ab invito justè exigi potest, *l. 108. ff. de solut.* Formam solutionis indicant præcedentia tria requisita, ut res debita justo tempore ac loco congruo tota solvatur, nec aliud pro alio creditori invito à debitore solvi possit, *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.* Finis solutionis est, ut factâ solutione tollatur obligatio, *pr. Inst. quib. mod. toll. obligat.* Effectus solutionis est, ut à nexu obligationis liberetur debitor.

Solutio omnis non promiscuè intelligenda est, sed in sensu morali sive civili. Ergò in tribus sequent. casibus sic juxta jura statuimus, (1) Debitor non potest aliud pro alio creditori invito & non consentienti solvere, *l. 2. §. 1. ff. de reb. credit.* quia talis solutio creditori ut plurimum damnosa esse solet: e.gr. si debitor mutuò acceperit mille imperiales, vel ducatos in specie, & postea debitum in minuta pecunia soluturus esset, iniquus sanè in creditorem foret, nec creditor tenetur id accipere; quia minuta pecunia tanti non æstimatur, quanti imperiales & ducati in specie. Nec (2) solutio per partes admitti debet invito creditore, sed ut solidum solvatur, *l. 41. §. 1. ff. de usur.* quoniam particularis solutio creditori regulariter molesta & noxia esse solet, *l. 3. ff. famil. ercisc.* ast si una pars debiti sit li-

quida, & altera illiquida, vel dubia, tunc in hoc casu liquidum saltem solvendum est, *l. 21. ff. de reb. credit.* Sic (3) nec solutio in alio loco fieri debet, quàm in loco domicilii, aut contractûs, vel ubi debitor creditori solutionem promisit, arg. *l. 19. §. fin. ff. de judic.* Ergò si quis contraxisset debitum Hamburgi, illud Amstelodami vel Venetiis in præjudicium creditoris non est solvendum, nisi id specialiter inter contrahentes est definitum; nam solutio semper in sensu morali sive civili est intelligenda de loco idoneo, ubi actio cessante solutione regulariter institui potest.

Solutio omnis in jure debet esse fundata. Ergò si quis per errorem solvit indebitum, potest id condictione indebiti repetere; ne is cum solventis damno contra æquitatem naturalem locupletetur, *l. 14. ff. de condict. indeb.* quoniam errantis nullus est consensus, *l. 9. C. de jur. & fact. ignor.* quod si verò solvens id vel naturaliter tantùm, vel civiliter tantùm deberet, & solveret, id jure repetere poterit; ratio est, licet obligatio nudè naturalis, vel nudè civilis actionem civilem producere non valeat, *l. 7. §. 4. ff. de pact.* actionem nihilominus productam conservare valet.

Sorores & fratres an semper in jure Civili eundem habeant respectum, idemque valeant, quæritur? Resp. quod non, quia generaliter in triplici sunt differentia, ut (1) sunt Germanæ, (2) consanguineæ, & (3) uterinæ, *l. pen. & ult. C. de legitim. hered.* (1) Soror Germana est, quæ ex utroque parente cum fratribus nata est, (2) Soror consanguinea est, quæ cum suis fratribus ex eodem tantum patre, sed diversis matribus prognata est, & (3) uterina est, quæ ex eadem matre, sed diversis patribus nata est. Idem de fratribus asseritur, qui vel Germani, vel consanguinei, vel uterini sunt; hinc fit, quod sorores & fratres germani excludant consanguineos & uterinos ab hereditate defuncti fratris, quia duo vincula fortius ligant, quàm unum, &c. *Novell. 84. c. 1. §. 1. auth. post fratres C. de legi. hered.*

Spoliatus vel vi de possessione sua detrusus ante omnia est restituendus, *l. 7. C. ad L. Jul. de vi publ. c. 8. X. de filiis presbyter.* Ratio est, quia Judex dejectum sive spoliatum propter spoliantis vim absque prolixa causæ cognitione restituit in integrum; est enim res pessimi exempli, Judicem in propria causa existere, alterique absque Judicis vel Principis permissu & imploratione possessionem rerum pro lubitu violenter eripere, quod contra reipublicæ tranquillitatem directò tendit; si hoc impunè permitteretur, quis privato-

rum & imbecillium à potentiorum vi & invasione bona sua tutò possidere vel retinere posset.

Sponsalia sunt promissio mutua sivè reciproca de præstando consensu conjugali, *l. 1. ff. de sponsal.* Sponsalia propriè sic dicta verè sunt matrimonium sive nuptiæ, quas non concubitus, sed consensus facit, *l. 3 ff. de R. J.* Eapropter etiam absens absenti per utriusque contrahentis consensum liberum literis vel per internuncium declaratum validè desponsari potest *l. 4. & l. 11. ff. de sponsal.* Ad hoc magis confirmandum dicit JCtus Ulpianus: non coitus facit matrimonium, sed maritalis affectio, *l. 32. §. 13. ff. de donat. inter virum & uxorem.* hic consensus autem conjugalis verbis aut alio externo signo specificè declarandus est. Interim parentum consensus jure civili ob reverentiam iis debitam necessariò requiritur *l. 2. ff. de ritu nupt.* In hoc casu temperantius agit jus Canonicum, quod parentum consensum non de necessitate, sed de honestate requirit, *c. 23. X. de sponsalib.* ne forsan matrimonium invitis parentibus contractum superveniente copula majus secum trahat scandalum, si id postea ob parentum consensum deficientem iterum dissolvendum esset; dum virgini impraegnatæ perpetua inureretur infamia. Sponsalia variè dividuntur, vel (1) purè, sivè simpliciter contrahuntur, vel (2) sub conditione; illa statim obligant; hæc demum existente vel impletâ conditione valent & obligant. Jus civile habet saltem unam speciem sponsalium, sed jus Canonicum habet duas species, puta (1) sponsalia de futuro, & (2) sponsalia de præsenti *c. pen. X. de sponsalibus.* Sponsalia de futuro (qualia jus civile unicè agnoscit) sunt, quæ sunt mutua promissio de præstando & consummando consensu conjugali, qui ex variis causis differri solet, (1) quia contrahentium alter nondum pubertatem attigit, vel (2) quia sub certa conditione saltem celebrata sunt, vel (3) quia mas in peregrinas regiones ad certum tempus abiturus est &c. tamdiu differuntur nuptiæ. Sponsalia de præsenti sunt ipse consensus conjugalis, (intellige, quando purè & simpliciter fiunt) sub mutua promissione ritè consummandi. Sponsalia de futuro sunt tantùm spes matrimonii, à quâ contrahentes mutuo dissensu impunè recedere possunt. Contra, sponsalia de præsenti indissolubiliter obligant contrahentes; ideo mutuo dissensu ea dissolvere non possunt, sed ad consummandum matrimonium regulariter compelluntur. Inde patet, quod sponsalia de præsenti longè præferantur sponsalibus de futu-

ro,

ro, cum sint validiora: hinc si juvenis cum virgine quadam sponsalia de futuro celebrarit, & postea cum alia virgine sponsalia de præsenti celebret, jus Canonicum in tali casu posteriora ut magis firma comprobat, dissolutis prioribus de futuro saltem, vide *can. 22. X. de sponsalib.* (3) Sponsalia dividuntur in sponsalia publica & clandestina. Sponsalia publica dicuntur, quæ coram testibus cum consensu parentum sunt contracta. Clandestina sponsalia sunt, quæ clam remotis testibus & arbitris fiunt: qualia jure sunt prohibita, *c.3. X. de clandestin. sponsalib.* quod fit propter matrimonii dignitatem & honestatem publicam; quod si verò clandestinis sponsalibus supervenerit concubitus, ubi Pamphilus Terentianus vitiavit Glycerium, sponsalia subsistunt & tolerantur ad majora mala evitanda. Causa efficiens sponsaliorum est consensus tam contrahentium, puta sponsi & sponsæ, quàm parentum, *l.4. & l.7.§.1.ff.h.t.* Materia circa quam versantur sponsalia sunt futuræ nuptiæ, de quibus ultro citroque datis invicem arrhis solet in iis tractari & conveniri, oblatis invicem annulis, catenis, nummis aureis &c. *l.fin.C.de sponsalib.* Forma substantialis consistit in consensu sponsalitio, *d. l. 4. & 7.* subsequens matrimonium comprobante. Finis est, ut conjugium subsequatur. Effectus est, quod inducat obligationem ad futuras nuptias.

Sponsiones (Wetten) sunt reciprocæ promissiones, & stipulationes, quibus contrahentes sive spondentes de dubio eventu, vel alterius rei existentia inter se disceptant sub certis pignoribus vel pecuniis ab utroque apud tertium depositis; quæ deposita victori postea cedunt, e. gr. si duo inter se datâ occasione per discursum de prælio inter Danos & Suecos nuperrimè habito disceptent, ubi alter affirmat, Danos in eo per omnia exstitisse victores, alter verò Suecis victoriam adscribit: ob dubiam hanc causam sponsionem sub 100. imperialium vel equi amissione ineunt: quo casu alter centum solvere cogitur verum afferenti. Tales sponsiones in magnis emporiis â Mercatoribus, & in aulis Regum & Principum â Nobilibus frequenter fieri solent, quas sub fidei violatione quilibet servare cogitur, si modo sint honestæ. Ideo hic quæritur, an omnes sponsiones sint licitæ? Resp. negando: nam quæ de rebus turpibus & inhonestis fiunt, non valent; cum rerum turpium nullæ sint obligationes *l. 185. ff. de R. J. l. 15. ff. de condit. instit. l. 7. §. 14. ff. de pact. & confer. p. 407.* quæ verò de rebus honestis absque dolo fiunt, jure

sunt permissæ & licitæ *l. 3. ff. de aleator.* Sic sponsionis causâ annulos tanquam pignora deponere licet apud tertium, ut is victori eos restituat, & tradat. *l. 17. §. 5. ff. de præscript. verb.* Sponsiones ut plurimum solent fieri de rebus, & causis dubiis & contingentibus, de quibus contrahentes sivè spondentes inter se disceptant, *leg. 1. §. 3. ff. de pact.*

Spurius matri & cognatis sivè per lineam maternam conjunctis saltem succedit. *l. 29. §. 1. ff. de inoffic. testam.* non autem patri & agnatis; ratio est, quia spurius patrem habere non creditur, sed est vulgò quæsitus, *l. 23. ff. de stat. hom.* nam is demùm pater est, quem nuptiæ demonstrant, *l. 5. ff. de in jus vocand.* Quod si verò spurius ex damnato coitu sit procreatus, puta ex adulterio, vel ex incestu, tunc nec matri succedit ob criminis enormitatem &c. Mater etiam ex natura correlativorum admittitur ad spurii hereditatem; nam ubi eadem est ratio, ibi idem jus admittendum est. *l. ultim. ff. de acceptil.*

Spurius potest ad dignitates seculares ascendere, *l. 6. ff. de Decurion.* non autem ad dignitates Ecclesiasticas; ratio est, quia ex fornicatione nati ad Sacros Ordines non promoventur, nec ullam habere debent prælationem, *cap. 1. X. de filiis presbyter.* ne dignitas clericalis turpibus personis commissa indignè vilescat, partim ob connatam maculam, partim ob paterni exempli metum, quoniam juxta versum vulgarem fieri solet: *sæpè solet similis filius esse patri &c.*

Stabile nihil est in mundo, sed omnia variis mutationibus & corruptionibus sunt obnoxia: nihil enim inter homines in rebus humanis est stabile, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem, cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat, *Novell. 7. c. 2.* ob id conditionem rerum humanarum Euripo (quæ est pars maris inter Bœotiæ portum & Eubœam insulam inconstans, ubi fluctus septies intra 24. horarum spatium affluunt & refluunt) comparare possumus, quia non tantùm leges & Magistratus mutantur, & abrogantur, verùm & formæ rerumpubl. Exempla habemus in 4. Monarchiis, puta (1) Babylonica sive Assyriaca. (2) Persica sive Medorum, (3) Græca sive Macedonica, & (4) Romana; imprimis autem in republ. Romana, quæ initio erat regia, postea consularis, deinde plebeja, tandem Imperatoria & Monarchica est facta; nunc verò magna ejus pars ratione Italiæ Ecclesiastica est facta, à summo Ponti-

Pontifice dependens. Hinc videmus, quoties Magistratus & regimen in repub. Romana pro diversitate temporum sint mutata, & quot mutationes periculosæ ibi exstiterint. Ob id haud ineptè dicimus: quemadmodum singulis hominibus evenire solet, ut dum vivere incipiunt, in tenerrima ætate sint debiles, dum verò crescunt, in adolescentia & virili ætate sint robusti & fortes, & sic florent; postea in senectute iterum decrescunt, fiuntque debiles; tandem denique humido radicali exsiccato exspirant. Sic respublicæ & regna plerumque tenerrimis principiis incipiunt, deindè crescunt, & aliquandiu florent; elapsâ verò felicitatis periodo iterum decrescunt, & pereunt. Tanta est rerum humanarum vicissitudo! ubi jam Troja? Athenæ Musarum sedes, ubi Lacedæmon & Carthago? quæ olim quasi gentium dominæ fuerunt; extinctæ proh dolor jacent! Ergo nihil stabile aut firmum in mundo esse voluit Summus rerum arbiter præter se ipsum; nam omnia, quæ suspicis, & quæ miraris, vicibus suis aut pereunt, aut certè mutantur. Solem ac Lunam vides, quæ duo magna lumina interdum deficiunt, suasque patiuntur ecclipses: reliqua etiam sydera suos sentiunt defectus. Si tempora spectemus, illa variis modis mutantur, ver hyemem excludit, veri dat finem æstas, æstati autumnus, & autumnum fugat hyems. Quod si ætatem nostram consideremus, quot mutationes in illa deprehendimus, dum infantiam nostram claudit pueritia, pueritiam juventus, juventutem virilis ætas, hanc excipit senectus, senectutem inter se morbi & mors dividunt. Si ulterius mecum pergere velis circumferre in mundo oculos, & penitius perpendere rerum humanarum alternas vices, mira dicturus es. Ubi jam sunt invicti illi terrarum Domini Alexander Magnus, Julius Cæsar, Constantinus Magnus, & Carolus Magnus! in cinerem redacti, ut fumus & umbra evanuerunt, & exterminati sunt, & alii in eorum locum successerunt: sic nihil stabile & firmum infirmis mortalibus, nihilque fragilibus & caducis æternum præter virtutem; hoc unum contingit mortalibus immortale: cætera suam mortem secum ferunt. Nulla hic perpetua mansio, cum vita nostra nihil aliud sit, quàm peregrinatio. Elapsos centum annos seqvuntur alii, annus extrudit annum, & seculum ex seculo nascitur. Ubi intra dimidii saltem seculi lapsum erimus ipsi? mortui, & in cinerem redacti sicut Majores nostri; tunc de nobis nihil nisi honesta fama, si benè vixerimus, remanebit, sin malè, ignominia, quam.

DEUS

hæc duo præcepta piè adimpleamus, tunc nobis, nostrisque animabus sufficienter erit consultum &c. Ergo non magnum & gloriosum est juxta perversorum hominum judicium diu vivere; sed magnum, & verè gloriosum est, beatè & piè vivere, ut animam Deo devoveamus &c. Quàm mirabilem Sveci hisce temporibus sustineant fortunæ mutationem, indicant novellæ, gaudent adversarii, ac totus cum stupore mentis jam cognovit orbis. Sveci per dimidium fermè seculum Germanorum, Danorum, & Polonorum Censores, Moderatores, Dictatores, & Domini per casus rectos & obliquos existere voluerunt, multas Provincias in Germania, Dania, & Polonia injustè occupando. Sed quâ fortunæ constantia? instabili, variâ, ac valdè luctuosâ, prout ex tribus subsequentibus exemplis teste experientia apertissimè cernere licet. (1) anno 1656. Sueci ingenti equitum & peditum multitudine instructi totum Poloniæ regnum exceptis paucissimis locis occuparunt, sibique tributarium & obnoxium reddiderunt: quod iterum subsequente anno 1657. recollectis Polonorum animis & viribus sub maxima strage, & exercitûs Suecici ruinâ miserè amittere coacti sunt; sic eâdem facilitate Poloniam amiserunt, quâ eam acquisiverunt. (2) anno 1657. Sueci bellum cum Daniæ Rege Friderico (jam piè defuncto) gerentes, fuso in Funonia insula exercitu Danico, integrum regnum, exceptâ Regiâ sede & metropoli Haffniâ, ut victores possederunt; sed hunc felicitatis Suecanæ splendorem fortuna adversâ opinione citius obnubilavit: nam anno 1659. Rex Daniæ cum suis confœderatis in eadem insula Fünonia totum Suecorum exercitum tam incredibili animositate in cruento prælio suppressit, fudit, ac subjugavit, ut præter duos Suecorum Duces, noctu beneficio cimbæ aufugientes, ne quidem nuncius ê victorum manibus effugere potuerit; sic eadem insula Fünonia notabili exemplo Suecis intra biennii spatium & felicitatis initium, & finis fuit. (3) anno 1675. Rex Sueciæ cum maximo suo exercitu & classe navali ex inordinatâ regnandi & habendi cupidine toti quasi Germaniæ interitum minatus est, quem confœderati tam felicissimo successu ê regni finibus animosè fugarunt, ac infinitis modis debilitarunt, ut Sueci jam præter omnium spem justâ DEI vindictâ, & mirâ fortunæ metamorphosi omnium ludibrio, Danorum vindictæ, Brandenburgensium compensationi, Lüneburgensium, ac Episcopi Monasteriensis justæ prædæ, & Cæsareanorum condignæ satisfactioni pro tot hostilibus minis plenariè

riè exponantur. Hi confœderati omnes victoriosis suis armis & Heroico spiritu Svecos in tantum jam deprimunt, ut terrâ marique in omnibus præliis, & hostilibus congressibus miserè succumbant, ac planè conterantur. Paucis exprimam, Svecorum Gloria & belli fama justo DEI judicio jam pro tempore usque adeò suppressa, & sepulta est, ut Suecos extra mundum quasi delatos credas. Undè subita & incredibilis hæc Svecorum mutatio & miseranda Reipubl. præsentis Svecanæ facies? ex nimio eorum luxu, impietate, mala fide, injustitiâ, & contemtu axiomatis: *fortunam reverenter habe*, profluit. Si illi ut totius quasi Europæ Moderatores, & Mediatores Serenissimum Brandeburgensem Electorem, ejusque subditos remotâ malitia & crudelitate reliquissent intactos, nec ipsi Sacræ Cæsareæ Majestati quævis suprema mala temerario ausu hostiliter minati essent, utique ad tam deploratum & desperatum rerum statum non pervenissent. Sic Deus ut justus Judex & Vindex illata mala nunquam relinquit impunita; quo fit, ut Sueci Episcopatum Bremensem, & Verdensem Luneburgensibus, & Monasteriensibus ex coactâ liberalitate cedant; Wismariam cum suis territorii limitibus & Insulam Rûgiam Regi Daniæ, Pomeraniam Electori Brandeburgensi. Scaniam, Hallandiam, Bleckingiam, Gottlandiam, & partem Norvegiæ gloriosè occupat bellicosissimus Daniæ Rex. Livoniam, Ingermanniam & reliqua finitima loca sibi vindicare conatur Muscovitarum magnus Princeps. Provinciis Suecorum sic inter confœderatos solenniter divisis, inter incultas suas rupes tutò latere, & quiescere possunt Sueci, longè â Germaniâ remoti. Mirandum est, quod Sueci ex eo tempore, quo detestandum & illustrem atheum Magistrum Samuelem Puffendorffium in horrendis suis publicis scriptis, & inaudita nova professione entium moralium, & actionum humanarum indifferentia, religione statui reipublicæ accommodanda &c. contra tot viros eruditione & pietate insignes, Episcopos, Professores, Doctores Theologiæ ac Juris; imo contra tot Academias, tum Germanicas, tum Suecicas per violentum modum impiè defendere tentarunt, nullam neque in civilibus, neque militaribus rebus amplius experti sint Salutem; sed quicquid susceperunt, vano & infelici conamine miserrimè cessit. Infelicem hunc Reipubl. Suecanæ statum jam ante quadriennium Suecis ê publico suggestu Stôckholmiæ coram aliquot millibus hominum me: præsente audacter præsagiit primarius Cathedralis Pastor, ac Theo-

logiæ

logiæ Professor nomine D. Johannes Gertz, qui remoto metu & adulatione Suecis dicere non est veritus, Sueciam ob luxum, injustitiam, & impietatem justâ DEI vindictâ ad miserrimum brevi redactum iri statum, duas has subnectens rationes, quia (1) in Tribunalibus Suecicis nulla amplius administraretur justitia, nec (2) ullum spatio sedecim annorum publicè vindicatum fuit violentum vel temerarium homicidium, quæ duo vigentia mala DEI iram certo certius in regni perniciem excitarent, proclamante ad cœlum innocentis sanguine injustè profuso. Hoc vaticinium post mortem boni viri & Theologi nunc demùm ostendit, quantum ponderis & veritatis secum ferat.

Status imperii Romano-Germanici (germanicè Stände des Reichs) sunt illi, qui in suis territoriis habent merum & mixtum imperium & omnimodam jurisdictionem, ut ipsum quasi Imperatorem in suis territoriis quoad jurisdictionis exercitium repræsentent: vocantur membra imperii principaliora & immediata, suntque cives imperii immediati, qui consensu Imperatoris, Electorum & reliquorum Principum in album sivè matriculam Imperii sub hac conditione vel lege sunt recepti, ut Cæsari ceu capiti in comitiis publicè proponenti consilio, auxilio & suffragiis adsint, & necessitate efflagitante eidem certum censum in matricula expressum solvant, vel subsidium militare præstent, nec alium, quàm Imperatorem agnoscant suum superiorem; ut autem quis sit Status Imperii, quatuor requiri solent, quorum duo priora sunt maximè necessaria; (1) requiritur, ut quis sit in matricula receptus, nam sicuti matricula sivè albus civem, militem vel Studiosum indicat & confirmat *l. 1. & seq. C. de primicer.* ita eadem Statum Imperii innuit. (2) requiritur, ut quis habeat sessionem & votum in comitiis (daß er habe seine Stimm und Stand in der Reichs-Versammlung. *vid. recess. Imp. de anno 1548. §. 56.* wan auch ein außgezogener.) ratio est, quia nemo ad consilium & senatum imperii admittitur, nisi sit imperii consors, & membrum curiæ imperialis. (3) requiritur, ut quis collectas imperio immediatè pro rata sua parte quolibet tempore solvat, *recess. imp. dict. loco.* quoniam collectæ nemini regulariter imponi possunt, nisi personis subditis *l. 6. §. fin. ff. de muner. & honor.* (4) requiritur, ut is territorium cum omnimodâ jurisdictione & regalibus ab imperio habeat, quorum vigore Imperatorem in suo territorio repræsentat, ut eandem jurisdictionem ibi licitè exercere possit,

quam Imperator in universo Romano Imperio. Omnes hi Status Imperii tam Ecclesiastici, quàm Seculares dividuntur in decem circulos; *de quibus specialiter tracto in titulo Circuli imperii.* Hic notandum, quod quidam dentur Principes Imperii, qui Status Imperii non sunt, dum voto & sessione in Comitiis carent, exempla sunt odiosa. Hîc data occasione quæritur, an Princeps plures Principatus vel Ducatus possidens singularum nomine ad Comitia vocetur, votaque inde diversa habeat? Resp. quod sic, prout ex subsequentibus exemplis patet: e. gr. Elector Palatinus interest Comitiis quà Elector, & quà Palatinus & Princeps respectu Zimmern und Lautern. Sic diverso respectu in Electorali & Principum collegio sessionem & votum habet: Item Rex Sueciæ ratione Ducatuum Bremensis & Verdensis, ut & Pomeraniæ ac Rugiæ diversa in Comitiis olim habuit vota, quibus omnibus infelici belli sidere jam est privatus.

Status Imperii, qui ad Comitia vocantur, sessionem & votum in iis habent, in tres classes dividuntur. (1) in Electores, (2) Principes, & (3) liberas civitates. Electores sunt octo. Tres Ecclesiastici, ut (1) Moguntinus, (2) Trevirensis, & (3) Coloniensis. Et quinque Seculares. (1) Rex Bohemiæ, (2) Dux Bavariæ, (3) Dux Saxoniæ, (4) Marchio Brandeburgensis, & (5) Palatinus Rheni. Hi octo eligunt Imperatorem, Caput populi Christiani, quorum dignitas Regibus comparatur, vide *Aur. Bull. c. 2. & 3. 12. & 24.* Electoribus tanta adscribitur autoritas, ut Cæsarem minus idoneum deponere possint: vivum exemplum habemus in Wenceslao Imperatoris Caroli IV. Filio, quem ut inhabilem deposuerunt, &c. Principes Imperii sunt multi, qui dividuntur in Ecclesiasticos & Seculares. Ecclesiastici sunt Archi-Episcopi, Episcopi & Abbates. Seculares sunt Duces, Marchiones, Comites Palatini, & Principes in specie tales. Ubi notandum, quod Principes Ecclesiastici semper præferantur Secularibus. Inter Principes Ecclesiasticos sive Episcopos ordine referuntur sequentes, (1) Oesterreich / Burgund / Saltzburg / Bisantz / Teutsch-Meister / Bamberg / Würtzburg / Worms / Eichstätt / Speier / Straßburg / Costantz / Augspurg / Hildesheim / Paderborn / Regenspurg / Passau / Trient / Basel / Münster / Osnabrug / Lüttig / Lübeck / 2c. Post Episcopos sequuntur Prælati principali dignitate gaudentes, ut Abbas Fuldensis, Campidonensis, Elwangen / Mürbach und Luders / Johanniter-Meister / Berch-

Berchtesgaden / Weissenburg und Odenheim / &c. Jam sequuntur Principes Seculares, quales sunt Archi-Duces Austriæ, Duces Bavariæ, Duces Saxoniæ, Marchiones Brandenburgenses, Duces Brunsvicenses, Duces Juliacenses, Duces Pomeraniæ, Duces Megapolitani, (ut Gustraviensis & Suerinensis) Duces Würtenbergenses, Landgravii Hassiæ, Marchiones Badenses, Duces Saxoniæ Inferioris, ut Lauenburgensis, Duces Holsatiæ, Principes Anhaltinorum, &c. Cæterùm Status Imperii quilibet in suo territorio eadem jura habere censetur, quæ Imperator habet in Imperio; quod secundum quid, nimirum quoad jurisdictionem, & jura territorialia intelligendum est, & non absolutè & simpliciter: nam sicuti Imperator in Imperio est Judex ordinarius, ita quilibet Imperii Status in suo territorio est judex ordinarius; in eo tamen differunt, Imperator jurisdictionem habet ex se ipso, & Status Imperii non ex se ipso, sed ex concessione Imperatoris: item Imperator in toto imperio solus utitur titulo Majestatis, estque totius Imperii Romano-Germanici caput; illi contra saltem sunt Imperii membra; quibus Imperator jura superioritatis per investituras gratiosè concedit: quo etiam respectu omnes Status Imperii se Vasallos Imperatoris agnoscunt. Indè fluit, quod nullus Imperii Status in suo territorio Academiam erigere, vel universales nundinas instituere possit absque Imperatoris speciali indultu, &c. Civitates Imperii liberæ præter Cæsarem & Cameram Imperialem neminem in Imperio agnoscunt superiorem; ideò in causis controversis saltem in Camera Spirensi immediatè conveniuntur, quoties alii cum illis litigant. Hæ Civitates habent propria territoria, & jura superioritatis, merum & mixtum imperium; habent multa regalia, jus cudendæ monetæ, eligendi Magistratus, jus mittendi Legatos, & sunt Status Imperii, votum & sessionem in comitiis habent.

Statutum est lex municipalis, sivè lex loci, eos, qui in illo loco habitant, validè obligans. Sic jus Saxonicum & jus Lubecense sunt statuta & leges municipales, quibus juri communi Rom. aliquid additur, vel detrahitur; interdum etiam juri civili planè derogatur, *l. 32. ff. de legib.* Statuta tamen regulariter non debent esse contra jus civile, ceu leges universales, cum illa à subordinato, hæ verò à supremo Magistratu conditæ sint: ob id statuta ex jure communi interpretationem declaratoriam regulariter accipiunt, *l. 2. C. de noxal. action. c. 8. §. quia nobis X. de consuetud.* hinc fit, ut in quantum

tum possibile, statuta juxta jus civile interpretemur; quoniam omnia statuta debent esse rationabilia, juri & æquitati consentanea. Statutorum effectus est, ut omnes in illo territorio viventes non minus obligent, quàm lex universalis. Ergò statuta extra territorium neminem invitum obligant, quia non debent extendere vires suas extra territorium & jurisdictionem civitatis.

Stipulatio est contractus consensualis conceptis verbis constans, quibus alter præsens interrogat, & alter itidem præsens, quod interrogatur, se daturum, vel facturum, quod interrogatus est, congruenter & continuò respondet. In stipulatione duo subjecta probè consideranda & distinguenda sunt. Primum subjectum relativum est stipulans, qui regulariter est interrogator, qui sibi stipulatur. Alterum subjectum correlativum est promissor, qui stipulanti sivè interroganti promittit, se daturum vel facturum id, quod petiit. Stipulatio olim ideò fuit introducta, ut per eam (1) confirmarentur pacta nuda, unde aliàs non dabatur actio, *l 45. ff. de pact.* (2) ut contractus alii per stipulationem redderentur firmiores, (3) ut quidam contractus per eam constituerentur; quales sunt fidejussio, novatio, & acceptilatio. Ex stipulatione dandi quis ad dandum præcisè obligatur, *l. 75. §. fin. ff. de verb. obligat.* Ex stipulatione verò faciendi ad id saltem quis obligatur, quod interest, *l. 13. ff. de re judic.* Ubi porrò notandum, stipulatio quoad formam genericam est juris gentium; ast quoad formam specificam est juris civilis, *l. 7. §. 12. ff. de pact.* Causa efficiens stipulationis remota est jus civile, à quo stipulationes suam trahunt originem. Proxima causa est consensus contrahentium, hoc est, stipulatoris & promissoris. Materia sunt (1) res omnes commercio hominum non exemptæ, tam mobiles, quàm immobiles, *pr. Inst. de inutil. stipulat.* (2) facta honesta, licita, possibilia, *l. 185. ff. de R. J.* & propria; aliena verò facta promittendo nemo regulariter obligatur, *§. 3. Inst. de inutil. stipulat.* Forma ex definitione stipulationis patet, dum consistit in congrua interrogatione & responsione: hodie stipulationes formales in desuetudinem abierunt, degenerantes in pactum: quoniam non amplius tam accuratè observantur in contractibus illa stipulationum verba solennia, dare spondes? spondeo: dabis? dabo; fidejubes? fidejubeo; sed requiritur saltem contrahentium consensus sine solennibus verbis. Finis externus est, ut obligatio verborum vinculo contra promissorem firmetur, & per consequens

actio

actio acquiratur. Finis internus est, ut stipulator promissa consequatur. Hic quæritur, num sponsa â suo sponso sub pœna stipulari licitè possit, ne post celebratum conjugium unquam verberibus excipiatur? Resp. negando, & quidem ob varias rationes, 1) quia stipulatio pœnalis matrimonio adjecta censetur minus honesta, & per consequens est inutilis, *l. 134. pr. ff. de verb. oblig.* talis etiam suspicio non debet cadere in virum bonum; maritus enim non præsumitur virtuosam uxorem verberare, sed amare. (2) quia improbum videretur ad tales pœnales stipulationes jure astringi; præsertim si uxor sit duræ cervicis, vel depravatis obnoxia moribus, quam meritò modicè castigare potest maritus, ut eam ad saniorem reducat mentem, *Novell. 117. c. 14. & seq.* ne cessante modica castigatione ad exstirpandam uxoris malitiam delictis fenestræ aperiantur. Quod si verò uxor sit virtuosa & modesta, talem nemo bonus vel indigno verbulo, nedum verberibus injustè excipiet; quoniam viro honesto nihil hoc ingrato exercitio est ignominiosius.

Studiosi sivè Scholares favore artium liberalium, quas magnis sumtibus onerosè excolunt, immunes sunt ab omnibus oneribus personalibus, à gabellis & vectigalibus; neque pro rebus, quas studiorum, aut alioquin necessarii usus causa secum peregrè transferunt, aliquid vectigalis solvunt. Hi Studiosi contra omnem injuriam à Magistratu sunt defendendi; quis enim eorum non misereatur, inquit Imperator, qui amore scientiæ consequendæ fiunt exules & pauperes, *auth. habita Cod. ne filii pro patre.* nam regulariter vacuum, quod Philosophi nullibi invenire possunt, in crumenis Studiosorum reperire licet. Pro hoc bonorum dispendio & continuo studio æternam hanc laudem consequuntur Literati, quod totus mundus scientiâ eorum illuminetur, attestante Imperatore, *d. auth. habita C.*

Stultitia sermonis mentis indicat stultitiam, *l. 1. §. fin. & pen. ff. de ædilitio edicto:* nam sicuti ex plumis cognoscitur avis, sic ex sermone homo, ut statim cognoscatur, utrum prudens, vel stolidus sit: hinc proverbio dicere solemus. Si tacuisses, Philosophus mansisses.

Stuprum propriè est illicita defloratio virginis, *caus. 36. quæst. 1. can. 2.* quod etiam ad viduam honestam extenditur, *l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* Stuprum est duplex, vel est violentum, vel non est violentum.

tum. Stuprum violentum est, quando stuprator virginem, vel viduam honestam contra ejus voluntatem vi stuprat, cujus pœna est ultimum supplicium, *l. 1. §. 2. ff. de extraordin. crimin.* stupri non violenti pœna jure civili Rom. olim fuit publicatio dimidiæ partis bonorum, *§ 4. Inst. de publ. judic.* sed jure Divino & jure Canonico stupratores mitius puniuntur, ut stuprator stupratam dotet, aut ducat in uxorem, *Exod. 22. vers. 16. & 17. Deuter. 22. vers. 28. & c. 1. & 2. X. de adulter.* quod si quis puellam 5. 6. vel 7. annorum stupraverit, capite plectitur, quia talis infans ob rationis defectum consentire nequit, *§. 10. Inst. de inutil. stipulat.* ob id vi potius, quàm consensu stuprum tale censetur commissum &c. Hic quæritur, an personæ desponsatæ, ut sponsus & sponsa propriè committant stuprum, si ante benedictionem sacerdotalem & nuptias carnaliter se miscuerint? Resp. quod non; ratio est, quia stuprum extra conjugium in virginem & viduam committitur, *l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* qui verò jam sponsalia celebrarunt, ipsi quodammodo nuptias jam celebrasse, & coram DEO & hominibus esse conjuges videntur, *l. 30. ff. de R. J.* ideo pœnâ stupri non sunt afficiendi; coërcitionem tamen aliquam levem merentur propter exemplum, dum contra Ecclesiæ ordinationem & ritus exteriores peccent, ne alii (dum impunè permittatur) cum multorum scandalo idem facere tentent, &c. Advocatus gallicus Monsieur le Maistre in lingua gallica admirandâ eloquentia defendit mulierem, â juvene quodam sub spe matrimonii impprægnatam, ut imprægnator eam ad salvandam famam ducat. La pauvre fille debauché a dit plusieurs fois au Lieutnant criminel: qu' il m' epouse, & me sauve mon honneur, qu' il m' a osté: qu' il fasse apres de moy ce qu' il luy plaira: qu' il me fasse mourir, s' il veut entre quatre murailles, j' en seray contente &c. (hic advocatus clientem defendere incipit) Ne sont ce pas Messieurs sentimens d' une fille genereuse? autrefois les filles avoient le choix de la mort, on du mariage de leur ravisseur; & celle cy demande au sien, qu'il epouse, & qu'il la fasse mourir. Elle demande un mary, & un tombeau; un mary, qui couvre sa faute; un tombeau, qui finisse sa misere. Elle sera satisfaite d' estre l' objecte de ses vengeances, pourveu, qu' il soit son mary, avant que d' estre son tyran, & de perdre sa vie entre ses mains, pourveu qu' elle sauve sa pudeur. Majus hoc voto meo est, salvo ut pudore manibus immoriar tuis. Elle ne desire, que d' estre plutost la victime de sa colere, que

celle

celle de son incontinence. Elle ne luy demande pas de vivre avec luy comme sa femme: mais seulement de mourir sa femme &c. quod sic latinè vertitur. Misera & afflicta hæc puella vitiata sæpissimè humili voce dixit Magistratui criminali, nihil aliud desidero, nec peto, quàm ut stuprator me ducat in uxorem, famamque meam, quam mihi abstulit, restituat; hoc præstito, mecum pro suo arbitrio liberè disponat: si velit, ut intra 4. muros fame peream, non resistam. (jam ipse loqui incipit Advocatus) an non has rationes ex generoso pectore depromtas judicaveritis, quanquam aliàs puellis vi imprægnatis libera detur electio, vel petendi condemnationem stupratoris, vel expetendi eundem in matrimonium ad abstergendam maculam; ast afflicta hæc tam benignè & generosè cum illo agit, ut stupratorem suum sibi saltem petat maritum, eundemq; suæ vitæ & necis constituat moderatorem ac dominum; ipsa in illo expetendo desiderat simul maritum & sepulchrum. Maritum ad famæ maculam eluendam; sepulchrum ad miseriam suam finiendam. Illa non abnuit, stupratoris vindictæ impunè subjici, si modò prius declaretur ejus maritus, quàm constituatur ejus tyrannus, nec renuit inter ipsius manus vitâ indignè privari, si modò pudicitiam & honorem mediante conjugio conservet. Ipsa mavult esse victima injustæ ejus vindictæ, quàm opprobrium ejus libidinis. Ipsa societatem conjugalem diuturnâ cum illo colere non desiderat, ob capitale odium interveniens, modo ut declarata ejus uxor honestè moriatur.

Stuprum non violentum stupratorem obligat, vel ad matrimonium ineundum, vel minimum ad dotem stupratæ dandam. Sed quæritur, quid jure civili statuendum, si stuprator neget, promissionem conjugii esse factam, & puella affirmet? Resp. si de promissione matrimonii ex literis, vel testium depositione satis constet, matrimonium est contrahendum: nec admittitur stuprator in tali casu ad juramentum purgatorium, ne contra conscientiam in sui damnationem perjurium committat. Ast si de promisso matrimonio ex certis rerum & circumstantiarum argumentis nihil constet, sed puella id saltem asserit; tunc primò tentandum, num stuprator ad illud conjugium ineundum persuasionibus commoveri possit, ut conservetur stupratæ honor; si id impetrari nequeat, stupratori juramentum purgationis deferendum est, qui, si juraverit, absolvitur, sin verò jurare nolit, eam ducere cogitur; quod si verò puella semiplenè probare possit, stupratorem sibi promisisse matrimonium,

puellæ deferendum est juramentum suppletorium, quo præstito matrimonium stat firmum, vid. *Carpzov. Consistor.*

Subditus propriè est ille, qui in alicujus territorio domicilium constituit, *l. 190. ff. de verbor. signif.* domicilium enim facit subditum, *l. 17. §. 5. & 13. ff. ad municip.* ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, animo ibi permanendi. Ergò qui bona tantum in alterius territorio possidet, sivè sint feudalia, sivè allodialia, is subditus ibi non est propter illa bona; sed ibi est subditus, ubi focum suum instituit, & domicilium habet, *d. l. 17. §. 5.* sic vasallus ob acceptum feudum non est domini feudi subditus; ratio est, quia feudi recognitio ob juramentum fidelitatis non facit subditum, sed vasallum; nec efficit, ut vasallus in causis controversis civilibus dominum feudi habeat judicem, sed dominum territorii, exceptis causis feudalibus: ideò alio juramento vasallus, alio subditus domino suo est obstrictus: nam vasallus jurat ratione rerum in feudum concessarum: & subditus jurat ratione personæ suæ, quod velit domino & Magistratui suo fidelitatem & obedientiam præstare.

Subditi in conscientia obligantur Principi suo in omnibus cum honore & reverentia præstare obedientiam, *Matth. 22. & 1. Pet. 2. v. 13.* Excipe nisi Princeps aliquid turpe vel impium contra DEI & naturæ legem subditis mandaverit; in eo Principi parere non obligantur, docente Paulo Apostolo; quia magis DEO, quàm hominibus obediendum, *Actor. 5. vers. 29.* quoties utrique ob contraria mandata parere non possumus. Ob eam causam Tobias laudatur, quod plus timuerit DEUM, quàm Regem, *Tob. 2. v. 9.* quo casu id malum humillimè deprecari debet subditus, aut si preces nihil efficiant, aufugere, & exilium pati, melius est, quàm sub animæ periculo id facere, vel Principi vi resistere; quia Principi tyranno resistere non licet, ut omnis seditio & rebellio in republica sedulò præcaveatur; sed DEO vindicta est committenda, qui potentes delinquentes potenter tormentis cruciabit, *Sapient. 6.* Ut ut autem DEUS lento gradu ad vindictam procedere soleat, tarditatem tamen supplicii gravitate pœnæ compensat, exemplo Pharaonis, Caligulæ, Neronis, Tiberii, &c. *Plura de hac materia vide in titulo de obedientia subditorum.*

Subhastatio bonorum debitoris in concursu creditorum fieri solet autoritate judicis, ubi præviâ præconizatione res publicè venduntur plus-

licitanti. Subhastatio non tantùm creditoribus est utilis, ut eò facilius res vendendæ distrahantur, emptorq; inveniatur ad creditum suum consequendum; sed etiam debitori est proficua, ne ex taxatione viliori iniquè lædatur. Hinc quoties partes de vero rei vendendæ pretio convenire non possunt, nullum commodius remedium excogitari potest, ad determinandum pretium, quàm ut res vendendæ subhastentur, h. e. prævià præconizatione publicè distrahantur, *l. 3. C. de execution. rei judic.* quo casu id censetur verum pretium, quod quivis extraneus pro illa plus licitatur, der beym Ausruf am meisten für die Sachen geben will / bekömt dieselbigen. Ideò subhastatio meritò vocatur auctio, *l. fin. C. de fide & jur. hast. fiscal.*

Substitutio quomodo fieri debet? Resp. ut testator de futuro herede eò sit certior, ne intestatus moriatur, ideò institutionem heredis non tantùm potest facere in primo gradu, sed etiam in secundo & tertio gradu, sivè ordine, quam vocamus substitutionem, quæ in genere sic definitur; quod sit secundi, vel ulterioris heredis in primi deficientis locum facta institutio sivè substitutio, *l. 1. ff. de vulgari substit.* Germanicè einen Nacherben setzen. Exempli gratia, institutio heredis est, Titius mihi heres esto. Substitutio est. Si Titius mihi heres non erit, Sempronius heres esto. Substitutio in genere dividitur in vulgarem & pupillarem: illa est, quæ vulgò sivè communiter cujuscunque ætatis heredibus fieri solet, ut cum heredi puberi instituto alius substituatur eo modo, ut si priori gradu institutus heres vel moriatur, vel hereditatem repudiet, secundus substitutus admittatur. Hæc scil. pupillaris substitutio fit solis liberis impuberibus, *de his in Inst. & ff. fusius tractavi in meis operibus anno 1666. Parisiis, & anno 1672. Londini Schanorum editis.*

Subtilitas nimia legibus odiosa est, *l. 13. in fin. C. de contrah & committ. stipulat.* ne nimia juris subtilitate videamur aliquid contra pietatem & conscientiam statuere, ipsaque jura in vero & genuino legum sensu contra naturalem æquitatem iniquè interpretari.

Successor est duplex, universalis, vel particularis. Universalis successor est heres, qui in universum jus defuncti succedit, dum defuncti personam repræsentat, *l. 62. ff. de R. J.* Ubi sciendum, quod causa sivè titulus acquirendæ hereditatis sit testamentum, vel lex, *l. 3. §. 2. ff. pro socio.* de quibus in subseqq. plura. Particularis successor est legatarius & fideicommissarius; quia in certas duntaxat res succedit; indè successio est vel universalis, vel particularis.

Successio universalis in omnia defuncti bona est duplex, (1) testamentaria, *de qua libr. 2. Inst. tit. 10. agitur.* & (2) successio ab intestato, quæ propriè & per excellentiam dicitur legitima successio, quam non testamentum & voluntas testatoris, sed sola lex, sivè solum jus operatur absque ulla hominis dispositione, quam lex immediatè proximioribus defert. *de qua agitur lib. 3. Instit. tit. 1.* Hæ duæ species universalis successionis hereditariæ sibi semper opponuntur; nam quamdiu valet testamentum (undè successio testamentaria oritur) tamdiu legitimus heres ab intestato non admittitur, *l. 89. ff. de Reg. Jur.* ratio est, quia provisio hominis (hoc est, testatoris) tollit provisionem legis, in tantum, ut heredes in testamento solenniter instituti succedant testatori defuncto in omnem hereditatem, exclusis aliis heredibus ab intestato aliàs jure sanguinis succedentibus. Ast cessante testamento heres proximus ab intestato succedit defuncto in omnia bona & jura. Nota hîc tres succedendi ordines ab intestato, jure novissimo receptos. (1) ordo est descendentium sivè liberorum, (2) ordo est ascendentium sivè parentum, & (3) ordo est collateralium; ubi observanda est sequens regula, quamdiu aliquis est ex primo ordine, puta descendentium, nullus ex secundo, vel tertio ordine ad defuncti successionem ab intestato admittitur, *Novell. 118. c. 1.* hoc est, liberi excludunt ab hereditate paterna ascendentes (parentes, avos, proavos &c.) & collaterales: quoniam liberi, sivè masculi, sivè fœminæ sint, sine discrimine sexus in bona allodialia sivè patrimonialia promiscuè succedunt exclusis omnibus ascendentibus & collateralibus: ratio est, quia liberis jure naturæ debetur parentum hereditas ob commune parentum votum, & jus repræsentationis, dum per juris fictionem videntur parentis personam repræsentare, *l. fin. C. de impub. & ali. subftit.* si verò primus ordo (hoc est, descendentes sive liberi) planè deficiat, tunc secundus ordo admittatur, hoc est, tunc ex secundo ordine succedant ascendentes sive parentes contra mortalitatis ordinem; ubi tamen graduum prærogativa observatur; quoniam inter ascendentes jus repræsentationis non habet locum, ut avus cum matre ad defuncti hereditatem promiscuè admittatur, sed pater & mater, vel horum alter præferuntur avo & aviæ, *d. Novell. 118. c. 2.* cum ascendentibus tamen admittuntur fratres & sorores ex utroque latere, quales sunt Germani. Ergo non consanguinei, vel uterini: ast in bona feudalia masculi exclusis fœminis regulariter succedunt. *1. feud. 1. §. 3. &*

§.3.& 1.feud. 8.§.filia. Moribus autem hodiernis masculi Nobiles, Barones, Comites & Principes regulariter ab hereditate paterna excludunt fœminas, quæ dote contentæ esse coguntur;& sic omnibus reliquis bonis paternis & maternis renunciare debent: quæ patrimonii dispositio ratione haud caret, ne dignitas & splendor familiarum ob fœminarum in alienas familias per nuptias transitum obsolescant, sed per filios tanquam columnas familiarum conserventur ac subsistant. Hanc dispositionem lex Mosaica quadantenus observare videtur, dum filios filiabus prætulit *Num. 27.* quam Mosaicam dispositionem Judæi adhuc religiosè observant. Fratres & Sorores utrinque conjuncti excludunt alios fratres ex uno tantum latere conjunctos (sivè consanguinei sint, sivè uterini) à defuncti fratris vel sororis hereditate, *Novell. 84.c. 1.§. 1. auth post fratres C. de legit. hered.* Ratio est, quia duo vincula fortius ligant, quàm unum. Cæterum fratrum filii non existentibus fratribus ad defuncti Patrui hereditatem in capita admittuntur, hoc est, in viriles sivè æquales partes, quia jus repræsentationis ibi jam exspiravit, *l. 2.§. 2.ff. de suis & legitim. hered.* Si verò fratrum demortuorum filii cum Patruis suis ratione defuncti Patrui hereditatis dividendæ concurrant, succedunt in stirpes ob jus repræsentationis, quia videntur patris sui defuncti personam repræsentare, *Novell. 118.c. 3. &c.* Hic data occasione quæritur, num ergo testamentaria successio sit illegitima, cum successio ab intestato saltem propriè vocetur legitima? Respondetur, est quidem legitima, hoc est, legibus fundata, ast non per excellentiam legitima, uti successio ab intestato, quam sola tantum lex, & non expressa testatoris voluntas immediatè defert, *l.130.ff.de verb.signif.*

Successio ab intestato fit duplici modo, vel (1) fit in capita, vel (2) in stirpes. In capita dividitur hæreditas, quando hæreditas in tot dividitur partes, quot sunt succedentium capita sivè personæ, *l. 3. C. de suis & legitimis heredibus. Novella 118. c. 3. in fin.* Hæc in capita successio semper fit, quando hæredes æqualiter absque repræsentatione defuncto succedunt, ubi liberi succedunt defuncto patri. Contra, in stirpes dividitur hæreditas, quando hæreditas non secundum numerum personarum succedentium dividitur inter heredes, sed secundum lineas sivè stirpes, e.gr. pater meus moriens reliquit filium tanquam unam stirpem sivè lineam, idem pater reliquit ex altero filio demortuo tres nepotes; hi tres consti-

tuunt alteram lineam sivè stirpem, qui jure repræsentationis (dum patrem demortuum repræsentant) dimidiam hæreditatis partem accipiunt. Ergo si pater pro hereditate reliquit 2400. tunc filius superstes accipit 1200. nepotes verò tres ex altero filio omnes conjunctim alteram lineam repræsentantes accipiunt reliquam hæreditatis partem, nimirum 1200. sic hi tres quâ singuli accipiunt saltem 400. quoniam & rationi & æquitati naturali esset contrarium, ut hi tres nepotes plus ex avi hæreditate consequi deberent, quàm eorum parens, in cujus jus succedunt, accepisset, si adhuc vixisset, quod vergeret in summum alterius filii adhuc superstitis præjudicium, qui demortuo suo patri non fuit minori privilegio filius, quàm alter, cujus filii cum ipso succedunt.

Successio ab intestato num semper obveniat illi, qui in proximo sanguinis gradu existit, quæritur? Resp. si quæstio in sensu verè civili morali, imo maximè proprio intelligenda est, affirmamus, nimirum ut eum vocemus gradu proximum, qui in linea descendente est gradu proximus; quoniam descendentes etiam remotissimi, ut trinepotes omnibus aliis ascendentibus & collateralibus, puta, parentibus, fratribus, & aliis justè præferuntur. *vide §. 1. Instit. de servil. cognatione in commentario meo Institutionum.* Ast si quæstionem in sensu vulgari & minus proprio accipere velimus, intelligendo eum gradu proximum, qui in linea saltem collaterali vel ascendenti juxta graduum computationem est proximus, gravissimos in jure committimus errores; prout ex subsequenti exemplo apertè colligere licet. Johannes pater moritur, relicto saltem atnepote & fratre suo Paulo superstite, quo casu frater Paulus defuncti Johannis secundo duntaxat gradu à defuncto distans præferretur defuncti atnepoti in quarto gradu existenti, quod valdè injustum foret, *prout in supradictis & præcedentibus titulis jam innuimus:* quamdiu enim aliquis ex ordine descendentium sive liberorum superest, nullus ex secundo, vel tertio ordine ad hereditatem defuncti admittitur. Hic porrò quæritur, an parentes diversorum graduum promiscuè succedant in demortui filii hæreditate relicta? (e. gr. si pater adhuc viveret, & avus & avia materna, an hæ tres personæ ad hæreditatem defuncti promiscuè admittendæ essent; vel si avus & avia paterna adhuc viverent, & proavus maternus, exstinctis jam gradu proximioribus parentibus) Resp. quod non; ratio est, quia jus repræsentationis in linea ascendente non habet locum. *vide de his pag. 331.*

ideo

ideo in tali casu proximior parentum gradus excludit remotiorem. Ex eodem fundamento statuitur, quod à patre ascendentes, & à matre ascendentes (quoties in pari gradu existunt) in stirpes, & non in capita succedant; hoc est à patre ascendentes (sive unus, sive duo) accipiunt dimidiam hereditatis partem, & à matre ascendentes consequuntur alteram partem. *Novell. 118. c. 2.*

Superflua non nocent, *l. 17. C. de testam.* quæ regula non de vino, cerevisia, vel cibis assumendis est intelligenda; quia illa propter abundantiam homini maximè nocent; verùm intelligenda est de testamentis & contractibus: nemo enim in iis nimis cautè agere potest, ad evitandam in pessimo hoc seculo hominum malitiam, ne præter spem iniquè decipiatur; ergo abundans cautela non nocet, *l. 81. & l. 94. ff. de R. J.* Ad id prudenter respexerunt Canonistæ statuentes, quod ad tollendam sophisticam rationem verba non possint supra modum specificari.

Syndicatus est, quando pars litigans injustâ judicis sententiâ latâ se gravatam dicit, Judicem ipsum doli in superiori foro accusando, quod pretio, favore, odio injustam sententiam tulerit. vide *ordinat camer. part. 3. tit. 53. §.* wo aber 10. ob id petit pars læsa, sententiam iniquam mediante revisione tolli, seque illæsam conservari.

Syndicus Civitatis est actor Universitatis civicæ, vice Procuratoris sivè defensoris fungens, *l. 6. §. fin. ff. quod cujusque universitat. nomine.* qui causas Universitatis sivè civitatis in judicio contra alios legitimè defendit, vel agit. Ne autem pars adversa legitimationem personæ Syndici in dubium vocare possit, duo demonstrare debet Syndicus in judicio. (1) se Syndicum reverà esse constitutum, partesque agendi vel defendendi ab Universitate sivè civitate sibi esse demandatas, (2) suos constituentes, puta Consules & Senatores esse tales, qui civitatis nomine Syndicum constituere possunt, h. e. ad Consulatum & Senatum urbanum à civibus legitimè esse vocatos, *Ordin. process. judic. tit. 7.*

T*Acere* quomodo in jure rectè intelligitur? Resp. primò secundum juris regulam. Qui tacet, consentire videtur, *c. 43. de R. J. in 6to.* quò refertur regula Juris 142. *in ff.* qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare. Tacere est medium inter fateri & negare: ut autem generaliter scire possis, utrum quis tacendo actum approbaverit, vel negaverit, observa distinctionem: aut actus tendit in utilitatem & favorem tacentis, & tunc tacens præsumi-

ſumitur conſentire, *l. 2. §. 2. ff. ſolut. matrim.* aut actus tendit in damnum & præjudicium tacentis, & tunc tacens non intelligitur conſentire, *l. 5. ff. de ſervit. urban. præd.* Quod ſi verò factum ſit tale, quod tacens contradicendo ſtatim impedire potuerit, ſed noluit, ſibi imputet, ſi indè tacendo ſentiat damnum; quo caſu conſentire videtur, *l. 63. verſ. ſcientibus, ff. de re judic.* Item ſi juvenis virgini in matrimonii teſſeram det annulum, armillas, catenas vel alia pretioſa; quamvis illa tacendo hæc accipiat, hic actus tamen conſenſum matrimonii operatur, quoniam mediante donorum receptione videtur conſenſiſſe. Sic qui ex duobus illatis unum negat, alterum affirmare præſumitur; exemplum eſt in *can. 5. X. de præſumtion.* Nonnè benè dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes; iis reſpondet JESUS, ego dæmonium non habeo: hic duo JESU fuerunt objecta, quorum unum negavit, alterum tacendo conceſſit. Aſt ſi quis à Magiſtratu in judicio interrogatur, & ad interrogata non reſpondet, ſed tacet, is videtur quaſi negare, & ob contumaciam condemnatur, ac ſi negaſſet, quia Magiſtratum contemnere videtur.

Talio eſt ſimilitudo vindictæ, ut quis talia patiatur, qualia alteri fecit. Quamvis talionis pœna non amplius ſit in uſu, manet tamen adhuc aliqua ſimilitudo ſupplicii in eo, ut qua parte corporis quis peccavit, ea condignè plectatur. Sic fugitivo pes, blaſphemo lingua, & falſario manus amputatur; ideo Notario falſum inſtrumentum in Vaſalli favorem, & in Domini feudi præjudicium doloſè ſcribenti manus amputatur, fitque infamis, vide *c. 55. de probibita feudi alienatione per Imp. Fridericum.* In Jure Suecico adulteris olim illa talionis pœna ignominioſè dictabatur, ut adulterii convictus pudendis fune ligatus publicè duceretur à lictore per civitatem in criminis enormitatem ad pœnam luendam; quod eo fine factum, ut talis delinquens eâ corporis parte videretur punitus, quâ peccarat. Pia quidem Legislatoris Suecici fuit intentio: aſt eam pro tempore miſerrimè exequuntur, quoniam in nullo Regno delicta carnis, ſcortationes, & adulteria liberius & licentius exercentur, quàm ibi, ubi nequiſſimum hoc illicitæ Veneris exercitium usque adeò venerantur, ac nobile cenſent Sueci, ut cerebro quaſi carentem æſtiment eum, vel planè plumbeum, qui tales Venereos amplexus in deliciis non habet, ſeque indè inter æquales gloriari non poſſit, quod multis honeſtis viris impoſuerit cornua. En nobile & Heroicum exercitium

citium hominibus Christianis dignissimum! ipse meis auribus audivi, quendam ex primariis Suecicis Comitibus Stockholmiæ in regia sede per jocum objicientem pugili Gallo seni, mundanarum rerum pro sua scientia satis gnaro, dicendo, vos Galli tanto veneris æstu flagratis; ut quovis momento ad illicitam venerem exercendam sitis promti ac parati, qui veneris furor correctionem meretur. Huic ex tempore congruè reposuit Gallus. Nos Galli spontè fatemur, nostram naturam in tam amœnis, temperatis, & jucundis Galliæ locis ad adorandas tam gratas veneres esse proclivem; sed vos Sueci in rigidissima Zona habitantes majori adhuc mentis fervore & indelebili corporis æstu invehitis in sexum fœmineum; qui non tantum tempore æstatis, sed immanissimo frigore hyberno regnante in ipsis sterilibus scopulis, frigidissima nive tectis puellas libidinosè deponitis; in tantum exardet vester calor, ut eundem nec horrendum frigus boreale supprimere valeat. &c. Sed redeo ad priora; Lex DEI talionem certo modo admittit; ut quis oculum pro oculò, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede puniendum offerat, *Exod. 21. vers. 23. & seqq. Levit. 24. vers. 19. & Deuter. 19. & seqq.* Eo respectu dicit Thomas de Kempis in *cap. 24. §. 3.* in quelle cose, che l' huomo hara peccato, in quelle più grandemente sara punito. Ivi li accidiosi saranno trafitti d' ardenti stimoli. I golosi saranno tormentati di grandissima fame, e sete. Ivi gli huomini lussuriosi & amatori delle volutta saranno gittati nella pece ardente, e nel puzzolente solfo. Gl' invidiosi per la grandezza del dolore urleranno, come cani arrabbiati. Non sara vitio alcuno, che non habbia il suo proprio tormento. Ivi i superbi saranno ripieni d' ogni confusione; gli avari saranno afflitti da miserabili povertà. Ivi sara piu grave e molesta un' hora di pena, che qui cento anni di amarissima penitenza &c. Hæc latinè sic transferuntur. In quo delicti genere homo peccavit, in illo gravissimè punietur. Ibi accidiosi ardentibus stimulis pungentur, & gulosi ingenti siti ac fame cruciabuntur: ibi luxuriosi & voluptatum amatores in ardentem picem & fœtidum sulphur detrudentur: Invidiosi vi doloris ululabunt sicuti furiosi canes. Nullum erit vitium, quod non habebit suum proprium tormentum: ibi superbi omni confusione replebuntur, & avari miserabili paupertate affligentur: ibi erit una hora gravior & molestior in pœna, quàm hic centum anni in amarissima pœnitentia. Cæterum jus quoque

talionis secundum quid æquitate nititur in hereditatibus deferendis, ut si in Anglia advenis collateralibus non deferatur hereditas, nec Anglis collateralibus in hiscè Germaniæ regionibus hereditas collateralium est deferenda, sed deneganda: item si Bohemi denegant Saxonibus hereditatem jure communi debitam, eadem ipsis in Saxonia meritò est deneganda, juxta regulam in æquitate naturali fundatam, & in Digestis expositam: quod quis juris statuit in alium, eodem jure ipse utatur. Ex hoc etiam fundamento olim calumniosus accusator eâdem pœnâ afficiebatur, quâ afficiendus foret reus, si illud crimen, cujus accusatus fuit, commisisset, *l. fin. C. de accusat.* ne licentia mentiendi maneat impunita, sed similitudo supplicii calumniantes ad vindictam poscit, *caus. 2. quæst. 8. c. 3.* hodiè mitius puniuntur. Ad talionis pœnam quoque respexit Cato, dum dicit:

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus,
Tu quoque fac simile, sic ars deluditur arte.

Tempus per se non est modus tollendæ obligationis, *l. 44. §. 1. ff. de oblig at. & action.* Hinc quod promittens semel debere cœpit, illud non potest desinere debere, nisi certis modis tollendæ obligationis jure civili inductis, nimirum solutione, acceptilatione, novatione &c. sic solo temporis cursu feudum non extinguitur, nec Domino feudi eripitur directum dominium, etiamsi vasallus quà vasallus feudum per centum annos possederit; sed si vasallus Domino feudi per 30. annos denegaverit fidelitatem & obsequium, tunc tempus hoc per præscriptionem vasallo prodest, & Domino feudi nocet, ut cadat directo feudi dominio.

Tempus quomodo in jure considerandum? Resp. juxta regulam: qui prior est tempore, potior est jure, *c. 54. de R. I. in 6to.* quæ regula in concursu creditorum multum valet; quando creditores paria jura habent, tunc is creditor debet esse prior in debito consequendo, qui prior existit creditor in tempore. Contrarium observatur in iis creditoribus, qui non paria, sed diversa jura habent, ut si unus sit privilegiatus creditor, alter hypothecarius, & tertius chirographarius; licet chirographarius inter illos sit ratione temporis primus creditor, est nihilominus ultimus ratione debiti consequendi; privilegiatus verò est primus, & hypothecarius est secundus; ratio est, quia prioritas temporis in hisce casibus non inducit prælationem, sed potiora privilegia, & jura hypothecæ hoc efficiunt

 & præ-

& præstant *l. 32. ff. de reb. autor. judic. possid.* Hinc si privilegiatus creditor cum aliis concurrat, is reliquis præfertur, cujus causa est potior: quod si hypothecarii inter se concurrant, tunc is, qui tempore prior, præfertur; quia hîc paria habent jura; idem de chirographariis dicitur, &c. Hanc regulam ad leges & testamenta applicare non possumus; ratio est, quia leges posteriores corrigunt priores, & testamentum posterius corrigit vel tollit prius, si invicem sint contraria, vel disparia.

Tempus immemoriale est, de cujus principio nemo memorare potest, quod regulariter memoriam hominum superat, & excedit centum annos, *c. 1. de præscript. in 6to.* tamdiu homo vivere præsumitur. *l. 56. de usufruct.*

Termini agrorum (germanicè die Marckstein) sunt signa, quæ agrum ab agro separant, & limites agrorum ac fines possessionum lapidibus terminalibus dividunt, ad dominia diversa probè distinguenda *l. 1. & seqq. ff. de termino moto.* Positis his agrorum terminis, quilibet confines agros habens, inde statim scire & probare potest, quo usque se prædia sua, vel agri extendant; sic confines agros habentibus occasio litigandi commodè adimitur. Quod si verò quis lapidem terminalem in vicini damnum dolosè effodiat, exaret, vel transportet, ad terminos & limites agrorum confundendos, is jure Romano pro conditione personæ olim variè puniebatur. *d. l. 1. & l. 1. C. de accusat.* Hodiè verò juxta constitutionem criminalem Caroli V. *artic. 114.* capitaliter punitur; quoniam ex illa terminorum confusione multum mali, rixæ &c, oritur: ast Jure Saxonico & in quibusdam Germaniæ Tribunalibus arbitrariæ pœnæ subjacet. *vide de his plura in titulo finium regundorum.*

Territorium cujus est, ejus etiam est jurisdictio, ut omnia intra territorii terminos sita Domini territorii jurisdictioni regulariter sint obnoxia: ex hoc principio profluit; sicuti Magistratus extra territorium jus dicere non potest, *l. fin. ff. de jurisd.* ita etiam jure non potest delinquentem in alieno territorio propriâ autoritate capere, eumque ad suum forum & tribunal retrahere, sed captus meritò relaxandus est, propter autoritatem Magistratûs territorii conservandam, ne justitiæ ordo & jurisdictiones diversæ iniquè confundantur; quod fieret, si jurisdictio cuique sua non relinqueretur incolumis, *caus. 11. q. 1. can. 39.* Ideo Principes & Magistratus in alienis territoriis habentur pro privatis, quibus nihil contra territorii Domini volunta-

tem ibi tentare licet. Ex hoc fundamento fluit, quemlibet Principem vel Magistratum in suo territorio esse majorem peregrino Principe, vel Magistratu sibi alioquin æquali, vel majore. Indè per consequentiam concludunt JCti, Comitem, Baronem, & Nobilem in alterius absoluti Principis territorio atrociter delinquentem, ibique comprehensum puniri posse, nullâ habita ratione dignitatis, honoris, & privilegii; quia reatus omnem dignitatem excludit, imprimis in atrociori casu, ut Princeps pacatam & quietam conservet rempublicam *l. [illegible] ff de offic. Præsid.*

Territorium quid in se revera comprehendit? Resp. multa prædia possunt esse in territorio alicujus Principis, licet non sint de ejus territorio; nam multi Comites, Barones & Nobiles possunt habere in cujusdam Principis districtu castra & villas, quæ tamen quoad jurisdictionem Principi non sunt subjecta. Hinc civitates liberæ possunt esse in territorio Principis, ut Lubeca & Hamburgum in territorio Holsatiæ; & tamen non sunt de territorio, non agnoscunt Principem Holsatiæ, vel Regem Daniæ Dominum. Attamen præsumtio regulariter est pro territorii Domino, quod omnia, quæ intra territorii sive dominii ejus fines continentur, sint ratione Superioritatis in Domini territorialis jurisdictione, *c. 2. de restitut. spoliator. in 6to.* ratio est, quia quasi sepimento videntur inclusa finibus territorii, hoc est, regulare est, quod omnia bona intra limites & septa alicujus Principis territorii sita censeantur de territorio ejus esse. Ergò qui bona vel castra in cujusdam Domini territorio habet, si negaverit, ea esse de territorio, tenetur antecedentem præsumtionem evidentibus argumentis elidere, quod videlicet non sint de territorio, sed ab eo exempta: & sic præsumtio cedit veritati. Ex hoc principio omnia monasteria in Episcopatu sita regulariter agnoscere debent loci Episcopum ceu Dominum. Excipe, nisi monasterium evidenter probare possit, se privilegio speciali ab Episcopi jurisdictione esse exemtum; vel etiam consuetudine immemoriali id obtinuisse. Sic Nobiles Imperio Romano Germanico immediatè subjecti per speciale privilegium eximuntur à territorio Principis, ut ex subsequentibus clarius patet. Die Landesfürstliche Obrigkeit kan nicht auf die Reichs-freyen ohnmittelbaren von Adel ausgestrecket werden / sondern nur auf die mittelbare von Adel und Landsassen / qui Principi homagium præstare coguntur, dann die ohnmittelbare von Adel seynd von der Fürsten jurisdiction befreyet;

Drum

drum seynd ihre Gütter / so in eines Fürsten Land seyn / nicht alsofort unter seiner jurisdiction und Gewalt / besondern ausser derselben gelegen / und gehören in die Ritterschafft.

Testamentum est legitima & directa à testatore habili facta designatio successoris habilis in universum jus suum, quod ipse post mortem relinquit. Ex hac definitione constat, (1) quod personæ inhabiles testamentum condere prohibeantur, quales sunt furiosi, mente capti, impuberes, naturâ muti & surdi, &c. (2) quod testamentum post testatoris mortem demum vires accipiat; nam viventis nulla est hereditas, *l. 1. ff. pro hered.* Nihil quicquam generi humano jucundius & utilius esse potest, quàm ut voluntas testatoris regnet in bonis à se relictis, extincto jam corpore; nec majus est fati solatium, quàm quod voluntas ultra fatum subsistat, deque patrimonio suo ritè distribuendo justè disponat. Causa efficiens testamenti est voluntas testatoris jure civili approbata, *l. 1. C. de SS. Eccles.* nam in testamento adeò regnat testatoris voluntas, ut eum post mortem habeat heredem, quem licitè vult: hinc tanta est immortalis animæ in mortali corpore dignitas, ut post corporis interitum proroget imperium, & reliquias cogitationum cum efficacia relinquat. Materia in qua scribitur est, charta vel pargamenum, posterius tamen est commodius, *§. 12. Inst. de testam.* Materia circa quam sunt omnes testatoris res, sive totum ejus patrimonium; nam cum hereditas sit jus, non potest testator plus juris in alium, puta heredem suum institutum transferre, quàm ipse habet, *l. 54. ff. de R. J.* ast nihil juris habet in re aliena; Ergò eam in testamento relinquere nequit. Forma ex antecedentibus & ex titulis testamentorum subsequentibus patet. Finis & effectus testamenti est, ut, quod testator post mortem de bonis suis fieri velit, certò constet, eaque voluntas tanquam lex aliqua conservetur, si modò testator nihil in testamento contra leges & jura disponat, *l. 55. ff. de legat. 1.* Ergò ex imperfecto testamento nihil debetur, sed omnia in eo relicta habentur inutilia, *l. 3. & l. 21. §. 1. ff. de testam.*

Testamentum condere possunt masculi puberes 14. annorum, & sui juris; fœminæ verò viri potentes, h. e. completo 12. ætatis anno *l. 5. ff. qui testam. facere poss.* Subjectum relativum est testator, & correlativum est heres.

Testamentorum hodiè regulariter tria sunt genera, (1) solenne in scriptis, (2) coram actis factum, quod vocatur judiciale, & (3) nuncu-

pativum. Solenne testamentum requirit 7. testes masculos idoneos, specialiter ad id rogatos, uno tempore simul adhibitos, *l. 21. §. fin. ff. qui testam. fac. poss. l. 21. C. ibid.* cui testator & testes nomina sua subscribere debent, aut si testator scribere nesciat, octavus testis pro eo scribere debet, *l. 28. §. 1. C. d. t.* Non requiritur, ut testamentum hoc testibus prælegatur, si testator id nolit, sed sufficit, si id testibus clausum proferat, dicendo; in hoc latet mea ultima voluntas, quam post fata mea ratam & observatam cupio; rogo vos testes, ut vestra nomina saltem subscribatis ad majorem fidem, ut hoc meum testamentum testimonio vestro post mea fata tanto sit validius, *l. 21. C. de testam.* Judiciale testamentum vel apud acta conditum non requirit testes, quia publicum Magistratûs testimonium sufficit, *l. 19. §. sicuti ergò C. de testam.* quo testator voluntatem suam ultimam in judicio coram Judice oretenus vel scriptis publicè declarat. Talia testamenta non indigent testium præsentia, dum Judicis autoritas omnem fraudis & falsitatis suspicionem removet *l. 31. C. de donat.* Nuncupativum testamentum est, quando testator coram 7. testibus specialiter rogatis, voluntatem suam ultimam vivâ voce declarat, sivè nuncupat, *l. 21. ff. qui testam. fac. poss. §. fin. Inst. de testam. ordin.* Ergò nuncupatio heredis, & expositio voluntatis est de substantia testamenti nuncupativi; quia nuncupativum testamentum omnia solennia requirit, exceptâ scripturâ & signaturâ; tutius tamen facit heres, si mortuo testatore instrumentum super ultima testatoris voluntate per Notarium confici, vel testes sub juramento publicè examinari curet, ne unus vel alter testis morte præventus ultimam testatoris voluntatem ob testimonii defectum remoretur, sicque propter insufficientem testium numerum corruat. Jure Canonico testamenta censentur perfecta coram Parocho & duobus vel tribus testibus facta; ratio est, quia in duorum vel trium ore consistit omne verbum, *c. 10. X. de testam.* quod autem jure civili septem testes ad testamentum solenne requirantur, fit ad fraudes eò melius circa testamenta præcavendas, ne quid falsi circa ultimam testatoris voluntatem malitiosè committatur, *l. 1. C. de SS. Eccles.* cum testatoris os post ejus fata jam sit clausum, quod ad veritatem testamenti detegendam amplius loqui non valet. Dantur etiam hodiè testamenta privilegiata, in quibus duo saltem testes requiruntur, ut (1) quando pater vel mater testamentum inter liberos suos condunt, vid. *Recess. Imperii de An. 1512. tit.*

tit. von Testamenten. *§. 2. circa fin.* (2) quando milites in prælio testamentum condunt, *verba dicti Recessus §. 2. in fin. sunt* : Aber die Ritter / so in Ubung deß Streits sind / mögen ihr Testament machen ohne alle solennität / oder Form / wie sie selber wollen. Ex antecedentibus cernere licet, testamenta esse varia, (1) vel solennia, vel minus solennia, in quibus solennitates omittuntur, quale est parentum inter liberos: item testamentum ad pias causas, quando testator coram duobus testibus hereditatem suam Ecclesiis, hospitalibus, vel pauperibus relinquit, *l. 22. C. de SS. Eccles.* Sic etiam testamentum minus solenne est, quando tempore pestis coram duobus testibus conditur, *Gail. 2. observat. 118.* (2) Testamenta sunt vel publica, vel privata. Illa in judicio coram judice fiunt: hæc coram testibus in domo testatoris. (3) testamenta sunt vel scripta vel nuncupativa, &c.

Testamentum quodlibet requirit sua essentialia, sine quibus id non subsistit. Ergo quando testamentum peccat in forma essentiali, tunc clausula codicillaris nihil operatur, (e. gr. si non valet testamentum jure tale, valeat jure Codicillorum, aut quocunque jure melius valere poterit) e. gr. si heredis instituendi nulla facta sit mentio, vel testator inhabilis sit ad testamentum faciendum, tale testamentum non valet: ideo sequentes personæ ob rationis defectum non possunt condere testamentum, ut impubes, furiosus, prodigus &c. forma enim dat esse rei, *l. 9. §. 3. ff. ad exhibend.* quâ deficiente corruit totum negotium.

Testamentum ad iniquas conditiones non debet adstringi. Ergo si quis testamentum fecerit, jurans se id non mutaturum, quæritur, an id postea mutare valeat? Resp. affirmando; ratio est, quia nemo potest eam sibi legem dicere, ut à testamento non recedat. *l. 22. ff. de legat. 3.* Sic enim se ipsum sibi obligaret, quod est contra obligationis naturam, quæ duas separatas personas requirit.

Testamentum regulariter in sensu maximè proprio intelligendum est. Hinc ne quis facilè testamentum, sivè ultimam testatoris voluntatem subvertere possit, verba testamenti in sinistrum sensum detorquendo; ideo dicit Imperator in *l. 69. ff. de legat. 3.* quod non debeamus in testamento regulariter recedere à proprietate verborum; excipe, nisi voluntas testatoris, & res subjecta aliud necessariò suadeat, quod ex circumstantiis facilè colligere licet.

Testamentum in plurimis à testatoris arbitrio dependet, in quantum legibus

gibus non est contrarium. Ergo patri licet bona sua in testamento inæqualiter inter liberos suos dividere, *l. 8. C. de inoffic testam.* Si modo singulis pro ratâ legitimam relinquat, *l. fin. C. famil. erciscund.* quoniam in testamentis dominatur voluntas testatoris, dummodo non sit legibus contraria, *l. 55. ff. legat. 1.* quod si verò liberi ab intestato succedant, omnes æqualiter ad hereditatem admittuntur.

Testamentum inofficiosum condunt parentes, quando id non ex officio pietatis faciunt, sed absque justa causa injuriam proprio suo sanguini, hoc est, liberis malitiosè inferunt contra naturalem affectum; ad quod sæpè impelluntur novercalibus delinimentis vel odiis, ut liberos suos exheredent, vel eos paternâ hereditate defraudare velint, *l 4. ff. h. t.* qualia testamenta improba & inhumana sunt, *l. 1. & seqq. ff. de inoffic. testam.* Hic sciendum, quod contra testamentum inofficiosum tres personarum gradus querelam inofficiosi instituere possint, si se iniquè exheredatos justè conquerantur, ut (1) & quidem regulariter liberi, (2) extra ordinem parentes, & (3) remotè fratres in certo saltem casu, si turpis nimirum persona in testamento sit heres instituta. Hæc actio intra quinquennium â tempore aditæ hereditatis instituenda est, *l. 34. §. ult. C. de inoffic. testam.* Hoc tamen quinquennium minoribus 25. annis non currit â tempore aditæ hæreditatis, sed demum incipit currere, quando majorennes sunt facti, *l. 2. C. in quib. caus. restit. in integr. necess. non est.*

Testis habilis & idoneus quinam est? Resp. quilibet integri judicii & probatæ fidei homo juxta juris civilis doctrinam potest in omnibus causis tam criminalibus, quàm civilibus regulariter esse testis idoneus, *l. 2. & 3. ff. de testib.* Excipe, nisi vel consanguinitas vel affinitas, vel inimicitia iis obstant, quoniam consanguineus, affinis & inimicus videntur affectibus regi in testimoniis ferendis; ideo ut suspecti favore vel odio corrupti non admittuntur ad testimonium dicendum, *l. 9. & l. 24. ff. de testib. & l. 16. C. de judic.* nam ea est natura inimicitiæ, ut inimicus inimicum quærat offendere quovis modo. Quod si verò testis utrique litiganti æque sit conjunctus, affinis, vel inimicus, ad testimonium admittitur, quia par affectionis vel odii causa suspicionem in testimoniis tollit. Sic nemo quoque potest esse testis in propria causa, *l. 10. ff. de testib.* ne in sui favorem iniquè ferat testimonium: hinc circa testes sequentia diligenter sunt considerandа.

Con-

Conditio sexus, ætas, discretio fama,
Et fortuna, fides in testibus ipsa requirit.

Ex dictis patet, quod furiosus, mente captus ob rationis exilium, & impuberes ob judicii defectum non sint idonei sivè habiles testes; tenera etiam ætas ad mentiendum est facilis, *l.15.ff.de quæst.* Nec infames sunt idonei testes ob levitatem animi; nec mulieres habentur habiles testes, præsertim in testamentis, & in causis criminalibus, quia fœminæ regulariter tantâ laborant imbecillitate animi, ut varium & mutabile testimonium producere credantur. *c.8. X. de verb. signif. & l.20.§.6.ff. qui testam. facere poss.* Ab hac regula supra exposita recedit jus canonicum, quod laicum probatæ fidei contra Clericum non admittit testem idoneum, *c.14.X. de testib. & attestat.* nisi quoad præsumptionem faciendam, vel semiplenam probationem, *c.5. X. de adult.* Attamen regula canonica limitatur etiam in tribus criminibus, nimirum (1) in crimine læsæ Majestatis, (2) in crimine heresos, & (3) in crimine simoniæ, in quibus laici testes esse possunt ob criminis atrocitatem, *c.7. X. de Simon.*

Testis ad testimonium ferendum cogi potest: ideò quilibet etiam invitus ad testimonium ferendum regulariter jure cogitur, & quidem mandatis pœnalibus ad id coërcetur, *l. 22. ff. de testib. & tit. X. de testibus cogend.* ratio est, quia publicè interest, veritatem non occultari, & qui veritatem in alterius præjudicium celat, peccatum mortale committit, quia proximo justè prodesse non vult, *caus.11. q.3. can. 80.* Si vero testes ritè citati comparere nolint, mandatis pœnalibus ad id coërceri possunt, *d. t. X. de testib. cogend. & l. 19. C. de testib.* ast testium productio & examen debet fieri sumtibus producentis, sivè actor eos ad probandos articulos positionales, sivè reus eos ad defensionales articulos producat, *l. 11. C. de testibus.* quoniam regulare est, quod is sumtus præstare debeat, cujus gratia actus celebratur, *l. 11. §. 1. ff. ad exhibend.* Hinc si testes extra locum habitationis peregrè evocentur ad ferenda testimonia, viaticum necessarium iis producens suppeditare obligatur; nisi id fecerit, citati testes comparere non coguntur, *c. 11. §. pro ferendo testimonio de rescriptis in 6to.* ideò producens testibus expensas ministrare cogitur. Cæterum à regula (quod quis invitus cogatur esse testis) quosdam reverentia & subjectio eximit, qui ad testificandum inviti non compelluntur, quales sunt pater, mater, socer, gener, vitricus, liberi, clientes, &c. *l. 4. 5. & 8. ff. de test.* Hìc porrò

notandum, quod pars litigans producens testes juxta hodiernam praxin debeat exhibere directorium, sivè designationem articulorum, super quibus singulos testes examinari cupit: ob id testes saltem testari coguntur de articulis in directorio specialiter scriptis: ut sic ad articulos & interrogatoria uno contextu publicè respondeant testes.

Testes regulariter post litis contestationem auctoritate Judicis juxta actoris, vel rei petitum in judicio præsente altera parte, contra quam producuntur, sunt producendi; ergò si Judex testes ante litis contestationem receperit, eorum testimonium regulariter non valet, *c. 1. & 5. X. ut lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem.* Excipe, nisi testes ad perpetuam rei memoriam ante examinentur, si forsan periculum est in mora, ne testis senex vel valetudinarius prius moriatur, vel peregrè proficiscatur, vel ob aliam justam causam deinde testimonium ferre non possit. Quibus casibus ante litis contestationem depositio testimonii admittitur, ne veritas injustè occultetur, & probationis copia futuris casibus subtrahatur, *d. c. 5. X.* nam quoties periculum est in mora, à regulis juris ob necessitatem licitè recedere possumus, arg. *l. 5. §. 11. ff. de novi. oper. nunciat.* Judex secundum qualitatem causæ, personarum, & distantiam loci potest pro arbitrio definire tempus producendorum testium, quod regulariter trium, vel quatuor mensium, & interdum sex mensium esse solet. Si producturus testes eos intra hoc tempus non produxerit, non amplius admittitur. Testes in judicio ab actore vel reo autoritate Judicis producuntur ad testimonia ferenda, parte adversâ citatâ, ut veniat ad videndum jurare testes, *auth. sed & si C. de testib.* In eo hodierna judicia recedunt à jure Novellarum, & Authenticâ hac: nam postquam testes jurarunt, tunc ipse producens & pars adversa, contra quam producuntur testes, jubentur discedere, ne audiant examen, & depositionem testium, quæ fiunt saltem apud Judicem, vel Commissarium testibus examinandis deputatum, præsente Notario vel Actuario, qui testium dicta verbotenus consignat. Judex regulariter solet testes in loco judicii secreto seriò admonere de perjurio vitando, & dicendâ veritate, priusquam eos ad juramentum admittat, ut animo secum piè volvant, quàm sancta & ardua res sit juramentum, & quàm gravissimæ pœnæ perjuros maneant; ut proindè veritatem dicant, & perjuria piè præcaveant, quæ non solum di-

cendo falsum, sed & supprimendo verum committuntur. Factâ hâc severâ admonitione testes jurare coguntur: ubi testis ad quatuor præstanda se sanctè obligat, (1) quod veritatem rei, super qua ejus testimonium religiosè petitur, sit dicturus, in quantum ei constat, *caus. 3. q. 9. can. 20.* (2) quod nullam falsitatem committere vel intermiscere velit, *dict. caus. 3. quæst. 9. can. 17.* (3) quod pro utraq; parte tàm ad interrogatoria, quàm ad ipsos articulos productos, veritatem (in quantum eam novit) dicturus sit, *caus. 14 quæst. 5. can. 15.* & (4) quod non prece, nec pretio, timore, odio, consanguinitate, affinitate, neque lucri causa quid omissurus sit, quod ad veritatis testimonium spectet, &c. Præstito sic juramento in præsentia actoris & rei, postea testes remotis partibus seorsim & singuli, non autem catervatim ad articulos & interrogatoria singulariter examinantur, omniaque eorum dicta verbotenus annotantur; hoc præstito, judex depositionem testis descriptam debet eidem testi prælegere, priusquam eum dimittat, ut videant, num omnia ex animi sui sententia sint annotata; an vero aliquid corrigendum, vel addendum supersit; sic testem injuncto silentio à se dimittit Judex, ne ipse attestationes suas ante factam publicationem propalet. Publicatio autem testimoniorum ideò fit, ut partes litigantes ex attestationum copiis probationes & defensiones suas hinc indè deducere possint; attamen Judex non proprio motu, sed petitione producentis, vel etiam partis adversæ, contra quam testes producti sunt, publicationem testimoniorum, & copiam attestationum litigantibus facit, *c. 2. X. de testib.* Impetratâ publicatione pars adversa, contra quam testes sunt producti, excipere solet vel contra personas testium, vel contra testium dicta, ut testimoniorum fidem imminuere & enervare possit, nimirum quod testis sit domesticus, affinis, consanguineus, amicus, infamis, reus capitalis delicti, &c. *caus. 3. q. 5. can. 1.* vel quod testimonia sibi sint contraria, *l. 27. ff. ad L. Cornel. de fals.* vel quod testimonia sint varia, obscura, ambigua, præmeditata, & composita, falsa, non verisimilia cum facto, vel naturâ rei non congruentia, *d. c. 2. X. de testib.* nam dicta testium cum rei circumstantiis benè consonare debent.

Testes singulatim & non in turba examinandi sunt, *can. 52. X. de testib.* sicut in præcedenti titulo dixi; quod fit ob eam rationem, ne illi in actoris vel rei præjudicium aliquid contra veritatem unanimi voce injustè afferant; testes autem Judex ut singulos ritè examinatos, imposito silentio dimittit.

Testis quot requiruntur ad indicandam rei controversæ veritatem? Resp. ad omne negotium sive factum controversum validè probandum regulariter requiruntur duo testes, *l. 12. ff. de testib.* qui debent esse probatæ fidei, justæ ætatis, & integræ mentis, qui dicuntur testes omni exceptione majores; quos pars adversa neque justè rejicere, multò minùs eorum testimonia debilitare potest; quia in duorum ore consistit veritas, *c. 10. X. de testam.* Cæterum duo vel plures testes de diverso tempore testimonium ferentes habentur singulares, nec semiplenè probant; ratio est, quia iis ob testimoniorum diversitatem super delicto minus creditur, quàm uni testi; e. gr. si unus testis testimonio suo asserat, delictum esse factum die solis circa vesperam, & alter testis dicat, esse factum die lunæ, & quidem mediâ nocte; hæc duo testimonia propter disparitatem conjungi nequeunt; ratio est, quia testes hi videntur de diversis factis deposuisse testimonium, *c. 9. vers. quanquam. X. de probat.* quod si verò testes non de actu sive negotio speciali diversa dicant, ubi aliquid in genere probandum est, e. gr. Titium esse furiosum, vel infamem; si in hisce casibus diversa in suis testimoniis asserant testes, quæ tamen ratione finis inter se conveniunt, nullamque habent inter se pugnam, tunc testes non censentur singulares, sed plenè probant.

Testes plures de negotio controverso contraria testimonia jurato deponentes causam quidem controversam reddunt obscuram, ita tamen, ut à prudente judice dissolvi possit: quoniam judex prudens in talibus casibus accuratam testium rationem habere solet. Sic plus fidei tribuit testibus senibus, quàm juvenibus, testibus honoratis & dignioribus, quàm minus dignis & vilibus; testibus masculis, quàm fœminis, testibus peritis & Doctoribus, quàm imperitis & plebeis: sic etiam magis credit testibus de negotio controverso benè informatis, quàm istius ignaris: item testibus Clericis, quàm laicis, testibus probatæ fidei & existimationis, quàm testibus levibus & corruptis moribus *l. 3. prin. ff. de testib. l. fin. ff. de fid. instrument. l. 16. ff. de accusat.* Ex dictis apertè colligere licet, quod duo vel tres probatæ fidei & existimationis testes plus probent, quàm 10. testes levis conditionis; ratio est, quia non tam multitudo testium consideranda est, quàm fides & autoritas eorum *l. 21. in fin. ff. de testib.*

Testes etiam inhabiles interdum admittuntur ad ferenda testimonia; intellige in iis casibus, quando veritas aliter haberi nequit, quales inha-

inhabiles testes sunt impuberes, ancillæ, servi, &c. *l. 8. §. 6. ff. de re-pud.* quod fieri solet, quando delicta sunt occulta & atrocia, ut adulterium, sodomia &c. Attamen testimonia talia non faciunt plenam fidem, sivè probationem, sed saltem indicium ad veritatem amplius indagandam.

Testes testimonium de auditu vel credulitate deponentes nihil probant, *constit. crim. Caroli V. art. 65. ibi.* Die Zeugen sollen sagen von ihrem selbst eigenen Wahren wissen/mit Anzeigung ihres wissens gründlicher Ursach; so sie aber von frembden hören sagen würden / das soll nicht gnugsam geachtet werden: ob id testes semper urgendi sunt à Judice, ut de proprio suo sensu testentur, quod hoc viderint &c.

Testi non jurato non creditur, *l. 9. Cod. de testib.* Ratio est, quia tota substantia testimonii consistit in juramento testium; quamvis juxta Christi doctrinam noster sermo sit, *est, est, non, non.* hoc est, nuda ac simplex alicujus rei affirmatio vel negatio sufficiat cessante juramento; attamen crescente hominum malitia, simplici affirmationi vel negationi in rebus controversis amplius non creditur; ideo hodiè ob fraudes & malitiam hominum evitandam, juramento in casibus & causis dubiis vel controversis regulariter opus est, *c. 26. X. de jurejur.* Ex dictis constat, quod juramentum testium ante examen sit deponendum, ut tantò religiosius veritatem dicant;

Testiculum unum habens generare potest, *l. 6. §. 2. ff. de ædilit. edict.* ergo talis ad matrimonium ineundum non censetur inhabilis, attestantibus Medicis & experientia: duo tamen plus probant, attestante Glycerio.

Tigni appellatione omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significatur, *l. 62. ff. de verb. signif.* hinc oritur actio de tigno juncto, si quis ædibus suis tignum alienum junxerit invito Domino, ad duplum pretii consequendum, *vid. t. ff. de tigno juncto.*

Titulus in genere denotat causam possessionis, quo defenditur uniuscujusque possessio ab impugnatione alterius, quales sunt emtio, venditio, hereditatis aditio, donatio, legatum, transactio, dotis datio, judicatum *l. 27. ff. de usurpat. l. 1 ff. pro solut. l. 3. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Tituli hi dividi solent (1) in lucrativos & onerosos: lucrativi sunt donatio, legatum &c. Contra, onerosi sunt emptio, venditio, transactio &c. *de his vide plura pag. 136.* & (2) dividuntur tituli in universales & particulares. Sic heres defuncto succedit in omnem hereditatem & jura omnia titulo universali, &

Legatarius succedit saltem in res singulares titulo particulari. Hic quæritur, an titulus falsus, corruptus vel malus furem, prædonem, raptorem vel alium malæ fidei possessorem adjuvet? Resp. quod non, quia talis nullam justam causam sive validum titulum adducere potest, quâ possessionem validè defendat *l. 2. C. de servitut.* sed fumum duntaxat aliis falsò vendit, ac titulum injustæ suæ possessionis mentitur *§. 35. Inst. de rer. divis. l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. confer hic pag. 441. & pag. 444.* Titulus etiam in jure interdùm accipi solet pro indice rei subjectæ, sive pro rubrica, quam olim minio scribere solebant JCti, ut rubens præ ipso textu emineret *l. 2. §. 3. ff. de interdict. &c.* Cæterum cum totum jus Romanum in digestis latè proponatur, hic porrò quæritur, quare Imperator Justinianus duos titulos, (1) de verborum significatione, & (2) de regulis juris in fine digestorum subnectere voluerit? Resp. quia hi duo tituli sunt generalissimi per totum jus civile se extendentes, idque in genere clarè explicantes; ideo in favorem Studiosorum juris sunt adjecti, ut illi mediantibus hisce duobus juris titulis universalibus omnia sibi in memoriam facilè revocare possint, quæ in toto quasi jure proponuntur: nam primus titulus de verborum significatione eo fine ab Imperatore & JCtis est conscriptus, ut Legislatoris mentem in casibus difficilioribus & obscurioribus illustret, ac nodosas verborum ambiguitates in legibus sæpissimè occurrentes juventuti Studiosæ dilucidè resolvat. Alter autem titulus de regulis juris inventus est à Juris interpretibus, ad varias in jure emergentes difficultates tollendas & decidendas: quandoquidem hic ultimus titulus solida juris principia & generales decisiones in se breviter continet, estque norma universalis actionum civilium, unde maximum in jure lumen exsurgit: ob eas rationes Studiosi Juris ad bonum aliquem horum titulorum interpretem fideliter evolvendum meritò remittuntur, puta, ad Gottofredum, Wissenbachium, Bronchorstium, Corvinum, vel alium, ut tantò felicius Juris Studium in sui promotionem & reipubl. salutem absolvant.

Tortura (vulgò dicitur quæstio) est interrogatio de crimine commisso per corporis tormenta, ad eruendam veritatem, à Judice solenniter instituta, *l. 15. §. 41. ff. de injur.* Causa efficiens torturæ est Judex criminalis, torturam decernens. Forma torturæ consistit in ejus executione, ubi reus equuleo à carnifice subjicitur. Varia autem sunt tormentorum genera, de quibus loquitur Carpz. *in pract. crim.*

p. 3. q.

p. 3. q. 117. Finis torturæ est, ut veritas tormentis adhibitis à reis exploretur, & delinquentes puniantur, *l. 15. §. 41. ff. de injur.* ut sic tranquillitas in republica conservetur, quæ conservari nequit, nisi petulantes vel noxii condignè puniantur.

Tortura justitiæ, pietati & æquitati naturali in tantum videtur contraria, ut dilectionem Christianam fermè tollere credatur: quoniam perquam crudele ac inhumanum censetur, corpora hominum vi tormentorum usqueadeo lacerare, & quasi excarnificare, ut violentis hiscè remediis veritatem & delictum inquisitis, sivè torturæ subjectis sic exprimant, cum sit utriusque manûs amputatione gravior, & comparetur agoni mortis. DEUS etiam in Sacra Scriptura torturam non approbavit, & populus Israëliticus eam ignoravit; imo in multis regnis hodiè non est permissa, ut in Anglia, Arragonia, Svecia &c. quia aliquid tyrannicum & injustum secum trahere videtur; ideo probus & prudens Magistratus torturam haud facilè permittere debet: quod autem jus civile concernit, in eo tortura sæpè admittitur, præsertim in delictis atrocioribus contra reum jam semiplenè probatis, vel ubi reus argumentis penè convictus est *l 1. §. 1. ff. de quæstion.* ideo juxta juris civilis doctrinam tunc licitè censetur permissa tortura, si quis ratione criminis atrocioris commissi præsumtionibus in tantum est oneratus, ut ad criminis probationem nihil amplius superesse videatur, quàm propria delinquentis confessio, *d. l. 1. §. 1. ff.* quam mediante tortura, & intenso corporis dolore exprimit carnifex, ne reus promeritam pœnam dolosè effugiat, & per consequens ne delicta maneant impunita, quæ plerumque clam & occultè, remotis testibus malitiosè perpetrari solent; eo fine dixit S. Augustinus, Judicem excusari, si necessitate societatis humanæ conservandæ torturam temperatè, legitimè ac prudenter adhibeat, *libr. 19. c. 6. de Civitate Dei.* Ergo Judici juxta S. Augustini monitum in hoc passu perquàm cautè est procedendum, ne ob leves quasdam præsumtiones vel rumores vulgi ad torturam temerè prosiliat, sicque innocenti iniquè & ignominiosè noceat, *l. 8. ff. de quæstionib.* & quando Judex reum crimen negantem propter urgentia indicia & præsumtiones graves torturæ subjicere vult, ad veritatem delicti cum suis circumstantiis reo vi tormentorum exprimendam, & plenè cognoscendam, tria accuratè observare debet. (1) qualitatem causæ sivè delicti, (2) qualitatem tormentorum, ut Judex gradatim procedat; nam si tormenta levia sufficiant ad veri-

rita-

ritatem detegendam, graviora tormenta non adhibeat, (3) qualitatem personæ: aliter enim torquendi sunt robusti, aliter imbecilles, aliter viri, & aliter fœminæ; quoniam ita torquendi sunt homines præsumtionibus gravati, ut post torturam salvi sivè sani innocentiæ aut supplicio reserventur. Hic notandum, quando plures sunt rei complices, tunc tortura inchoanda est ab eo, qui veritatem præ reliquis scire præsumitur, si verò omnes in delicto censentur pares, tunc debilior primùm est torquendus *vid. l. 3. C. de naufragiis.* Sic quando pater & filius sunt correi, filius primùm torquendus est in conspectu patris; ratio est, quia parentes pro affectu naturali magis in liberis terrentur, *l. 8. § fin. ff. quod met. caus.* undè proverbium: torque filium, fatebitur pater; tortura tamen non facilè repeti debet, nisi nova & prægnantia supervenerint indicia, & gravissimæ præsumtiones, *l. 18. §. 1. ff. de quæstion.* Quod si verò reus in tortura confiteatur delictum, illa confessio non habetur pro explorato facinore & ipsa veritate, nisi alia probatio & confessionis ac delicti circumstantiæ Judicem plenius instruant: tortura enim est res fragilis, & periculosa, quæ veritatem sæpè fallit; quoniam multi tantâ sunt impatientiâ, ut quidvis in sui perniciem mentiri, quàm torturam pati velint, *l. 1. ff. de quæstion.* ideo tunc demùm confessio habetur vera, quando per certa signa, & negotii circumstantias verificabitur (ne Judex innocentem iniquè condemnet.) In tali casu Judici præprimis de corpore delicti prius constare debet, e. gr. in delicto homicidii Judex reum interrogare debet de armis, & armorum qualitate, quibus occisum necavit: item si de furto agatur, Judex interrogare debet reum, quibus vendiderit furto ablata, & si reus aliquos nominaverit, nominatos examinare debet; ut certò certius explorare possit, num delictum juxta relationem delinquentis sit verum, vel non: item si quis in causa veneficii torqueatur, interrogandus est reus, ubi venenum accepit? num emit? & â quo? quando? quanti? an ipse, vel alius occiso dederit? sic delicta fiunt explorata. Ex dictis facilè colligi potest, quod prudens Judex neminem ad torturam condemnare debeat, nisi 4. conjunctim adsint requisita. (1) est, ut quis ob crimen atrox & capitale sit accusatus, *l. 8. ff. de quæstion.* (2) ut præsumtum reum aliter convincere non possit: nam quoties aliæ probationes ad reum convincendum adsunt, ad torturam ceu remedium extraordinarium non est deveniendum. (3) ut reus multis indiciis oneratus, ac quasi argumentis convictus sit, *l. 1. §. 1. ff. h. t.*

ff. h. t. & (4) ut de corpore delicti prius constet, delictum esse verè perpetratum, *l. 1. §. 24. ff. ad SCt. Syllan. constit. criminal. Caroli V. art. 20.*

Tortura quot modis in jure consideratur? Resp. JCti solent distinguere inter territionem & torturam, quæ duo probè sunt distinguenda. Territio est iterum duplex, (1) est nuda, & (2) est realis, sivè cum præparatoriis tormentorum leviter conjuncta. Territio nuda propriè continet tantum minas de torquendo, quando carnifex jussu Judicis verbis & gestibus severioribus simulat, se reum jam torquere velle; attamen hoc facit absque apprehensione rei. Hæc territio verbalis ad torturam planè non refertur, quia corpus inde nihil patitur. Territio realis, sivè cum præparatoriis tormentorum conjuncta est species torturæ, sed minima; quia corpus & membra per digitorum compressionem aliquid patiuntur, quando carnifex non tantum minatur reo, verum etiam eundem apprehendit, ejusque corpus vestibus nudatum, & quadantenus ligatum ad scalam torturæ ducit, eique omnia torturæ instrumenta monstrat, affigendo forcipes digitorum, quibus pollices digitorum constringuntur. Hinc jura dicunt, impuberem pubertati proximum torqueri quidem non posse, sed eundem terreri esse permissum, appositis etiam forcipibus sivè instrumentis ad constringendos pollices, mit Anlegung der Daumstöcke/ quo respexit JCtus Ulpianus, dum *in l. 1. §. 33. ff. ad SCtum Syllan.* dicit: impuberem terreri posse, & habenâ & ferulâ cædi. Quod veram torturam concernit, dantur varia variarum gentium genera tormentorum. Apud Romanos fuit (1) eculeus torturæ species ad torquendos homines, in quo pendebant brachiis retortis, & pedibus violenter extensis. *l. 7. C. de malefic. & mathemat.* (2) per fidiculas intulerunt reis tormenta, *l. 4. C. ad L. Jul. Majest.* ubi reos chordis sivè funibus fortiter constringit carnifex &c. Hodiè in terris Saxonicis & circumjacentibus sunt tres torturæ species sivè gradus. (1) gradus torturæ est, quando rei delictum negantes, & veritatem dolosè celantes adhibitis funiculis cruciantur, dum eorum manus retrò funibus arctissimè & durissimè constringuntur; in eo differt infima hæc tortura à territione reali, quod illa constrictio fiat arctissimè in juncturis manuum ad ossa usque, undè maximus dolor; hæc verò in pollicibus vel manibus saltem leviter fit. (2) torturæ gradus est, quando carnifex reos scalæ subjicit, eosque violenta corporis ac omnium membro-

rum extensione miserè macerat & excruciat, (da inquisitus auf der Pein-Banck gefoltert/ und außgespannet wird.) qualis tortura est frequentissima. (3) gradus torturæ est violentissimus, quando carnifex præter violentam membrorum extensionem in scala severioribus adhuc tormentis utitur, dum candentibus luminibus, sulphure & igne corpori injecto cutem adurit, aut extremas digitorum partes immissis infra ungues pineis cuneolis, iisque postmodum accensis adustione lædit, &c. Ultima hæc torturæ species, cum sit crudelissima, non habet locum, nisi in delictis atrocissimis: ideo rarò adhibenda est, ne pietas lædatur &c. Julius Clarus JCtus facit 5. gradus torturæ, quorum duo priores ad territionem, & tres reliqui torturæ gradus ad ipsam torturam spectant. (1) gradus torturæ consistit in nudis verbis & minis de torquendo. (2) in conductione ad locum torturæ, ut metu torturæ fateri cogantur, (3) in denudatione corporis rei, & ligaturâ. (4) in elevatione in eculeo, manibus retrò ligatis, & (5) in quasatione corporis, quando carnifex reum elevatum & pendentem gravissimè concutit, & miserè cruciat. Cæterum ob confessionem in tortura factam reus non statim condemnatur, sed tunc demum, si confessionem extra torturæ locum ex intervallo temporis coram judice repetat, eamque ratam habeat. *Ordin. crim. art. 58. Carpz. q. 126.* ne quid vi tormentorum contra veritatem dicere videatur; ideo jura solam confessionem sine investigatione delicti non censent validam, ut mereatur fidem, *l. 1. §. 24. ff. ad SC. Syllan.* Ergo meritò in ipsum delictum & delicti autorem inquirendum est.

Transactio (germanicè ein gütlicher Vergleich) est rei dubiæ & litigiosæ partium consensu placida, sive conventa decisio, pacto vel contractu facta, dato, retento vel promisso aliquo, *l. 1. ff. de transact.* Sciendum, quod Judicis officium ob publicam & privatam quietem conservandam exigat, partes litigantes ad transactionem, concordiam, & amicabilem litis compositionem hortari; ast si litigantes nolint, Judex eos ad compositionem vel transactionem regulariter cogere nequit, sed eos ad ordinarium processum admittere debet; si litigantes id urgeant, ac velint: cum nemini regulariter jus suum sit denegandum. Excipe duplicem casum, (1) nisi lis reipubl. tranquillitatem lædat, vel (2) nisi subsit magna præsumtio, litigantes ad arma perventuros, *l. 21. §. 1. ff. de captiv. & postlim. reverſ.* Quibus casibus à superiori Magistratu ad compositionem cogi possunt;

sunt; *vid. Menochium libr. 2. de arbitr. Judic.* Hic porrò sequens regula notanda est, quæ in omnibus contractibus, transactionibus & renunciationibus habet locum; nim: quod omnibus actibus & negotiis civilibus tacitè insit clausula, *rebus sic stantibus.* hoc est, si negotium in eodem statu permaneat, *l. 38. pr. ff. de solut.* ratio est, quia mutato negotii statu, mens & intentio disponentium mutata videtur. Quo casu à contractu ob justam causam noviter exortam impunè recedere licet, invito etiam altero contrahente. *l. 54. §. 1. ff. de locat & conduct.* Cæterùm ex transactionis definitione patet, transactionem non esse gratuitam, quia alterutri parti semper aliquid datur, aut illa dat alteri: nec esse pactum, vel stipulationem, sed fieri per ista tanquam per modos sivè causas, *l. 2. ff. h. t.* Causa efficiens transactionis est consensus transigentium. *l. 15. C. h. t.* Causa impulsiva est dubius litis eventus, *l. 51. ff. de pecul.* qui utramque partem sollicitam habet. Objectum sunt res dubiæ, quæ jam actu in judicium sunt deductæ, vel in id brevi deducendæ, *l. 1. ff. h. t.* Forma transactionis consistit in eo, quod fiat vel simplici pacto, vel mediante stipulatione Aquiliana *l. 3. ff. de transact.* vel per contractum innominatum: item transactio fit vel purè, vel sub conditione &c. *l. 9. C. d. t.* Finis transactionis est, ut lis finiatur *d. l. 1.* resque dubiæ vel litigiosæ amicè componantur, ac tollantur. Effectus ejus est, quòd transactio semel facta haud facilè retractetur *l. 19. & l. 29. C. de transact.* ideo in transactione pœnitentiæ non datur locus *l. 39. C. h. t.* cum autoritatem rei judicatæ habeat. *l. 20. Cod. dict. tit.*

Tributa ad rempublicam conservandam sunt necessaria. Ideo Justinianus Imperator *in Novell. 149. c. 2.* dicit, quòd fieri non possit, ut tributis non illatis conservetur respubl. quoniam in tributis consistunt reipubl. nervi, sine quibus nihil in pace aut bello geri potest; militares enim copiæ salario ex tributis percepto hostibus resistunt. Contra, milites denegato stipendio detrectant imperium & obedientiam Ducibus suis. Hinc Cicero tributa, inquit, sunt ornamenta pacis, & belli subsidia, quia neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt &c. Tributorum duo sunt genera, alia sunt soli sivè prædiorum, alia capitis: illa imponuntur fundis; hæc personis. Sciendum tamen, quod tributa non debeant modum excedere, quæ absque necessitate sine gravi peccato à Principe Christiano exigi nequeunt; ratio est,

gibus non est contrarium. Ergo patri licet bona sua in testamento inæqualiter inter liberos suos dividere, *l.8. C. de inoffic testam.* Si modo singulis pro ratâ legitimam relinquat, *l. fin. C. famil. ercifcund.* quoniam in testamentis dominatur voluntas testatoris, dummodo non sit legibus contraria, *l. 55. ff. legat.1.* quod si verò liberi ab intestato succedant, omnes æqualiter ad hereditatem admittuntur.

Testamentum inofficiosum condunt parentes, quando id non ex officio pietatis faciunt, sed absque justa causa injuriam proprio suo sanguini, hoc est, liberis malitiosè inferunt contra naturalem affectum; ad quod sæpè impelluntur novercalibus delinimentis vel odiis, ut liberos suos exheredent, vel eos paternâ hereditate defraudare velint, *l 4. ff. h.t.* qualia testamenta improba & inhumana sunt, *l.1. & seqq. ff. de inoffic. testam.* Hic sciendum, quod contra testamentum inofficiosum tres personarum gradus querelam inofficiosi instituere possint, si se iniquè exheredatos justè conquerantur, ut (1) & quidem regulariter liberi, (2) extra ordinem parentes, & (3) remotè fratres in certo saltem casu, si turpis nimirum persona in testamento sit heres instituta. Hæc actio intra quinquennium â tempore aditæ hereditatis instituenda est, *l. 34. §. ult. C. de inoffic. testam.* Hoc tamen quinquennium minoribus 25. annis non currit â tempore aditæ hæreditatis, sed demum incipit currere, quando majorennes sunt facti, *l.2. C. in quib. caus. restit. in integr. necess. non est.*

Testis habilis & idoneus quinam est? Resp. quilibet integri judicii & probatæ fidei homo juxta juris civilis doctrinam potest in omnibus causis tam criminalibus, quàm civilibus regulariter esse testis idoneus, *l. 2. & 3. ff. de testib.* Excipe, nisi vel consanguinitas vel affinitas, vel inimicitia iis obstant, quoniam consanguineus, affinis & inimicus videntur affectibus regi in testimoniis ferendis; ideo ut suspecti favore vel odio corrupti non admittuntur ad testimonium dicendum, *l.9. & l.24. ff. de testib. & l.16. C. de judic.* nam ea est natura inimicitiæ, ut inimicus inimicum quærat offendere quovis modo. Quod si verò testis utrique litiganti æque sit conjunctus, affinis, vel inimicus, ad testimonium admittitur, quia par affectionis vel odii causa suspicionem in testimoniis tollit. Sic nemo quoque potest esse testis in propria causa, *l. 10. ff. de testib.* ne in sui favorem iniquè ferat testimonium: hinc circa testes sequentia diligenter sunt consideranda.

Con-

Conditio sexus, ætas, discretio fama,
Et fortuna, fides in testibus ipsa requirit.

Ex dictis patet, quod furiosus, mente captus ob rationis exilium, & impuberes ob judicii defectum non sint idonei sivè habiles testes; tenera etiam ætas ad mentiendum est facilis, *l. 15. ff. de quæst.* Nec infames sunt idonei testes ob levitatem animi; nec mulieres habentur habiles testes, præsertim in testamentis, & in causis criminalibus, quia fœminæ regulariter tantâ laborant imbecillitate animi, ut varium & mutabile testimonium producere credantur. *c. 8. X. de verb. signif. & l. 20. §. 6. ff. qui testam. facere poss.* Ab hac regula supra exposita recedit jus canonicum, quod laicum probatæ fidei contra Clericum non admittit testem idoneum, *c. 14. X. de testib. & attestat.* nisi quoad præsumptionem faciendam, vel semiplenam probationem, *c. 5. X. de adult.* Attamen regula canonica limitatur etiam in tribus criminibus, nimirum (1) in crimine læsæ Majestatis, (2) in crimine hæresos, & (3) in crimine simoniæ, in quibus laici testes esse possunt ob criminis atrocitatem, *c. 7. X. de Simon.*

Testis ad testimonium ferendum cogi potest: ideò quilibet etiam invitus ad testimonium ferendum regulariter jure cogitur, & quidem mandatis pœnalibus ad id coërcetur, *l. 22. ff. de testib. & tit. X. de testibus cogend.* ratio est, quia publicè interest, veritatem non occultari, & qui veritatem in alterius præjudicium celat, peccatum mortale committit, quia proximo justè prodesse non vult, *caus. 11. q. 3. can. 80.* Si vero testes ritè citati comparere nolint, mandatis pœnalibus ad id coërceri possunt, *d. t. X. de testib. cogend. & l. 19. C. de testib.* ast testium productio & examen debet fieri sumtibus producentis, sivè actor eos ad probandos articulos positionales, sivè reus eos ad defensionales articulos producat, *l. 11. C. de testibus.* quoniam regulare est, quod is sumtus præstare debeat, cujus gratia actus celebratur, *l. 11. §. 1. ff. ad exhibend.* Hinc si testes extra locum habitationis peregrè evocentur ad ferenda testimonia, viaticum necessarium iis producens suppeditare obligatur; nisi id fecerit, citati testes comparere non coguntur, *c. 11. §. pro ferendo testimonio de rescriptis in 6to.* ideò producens testibus expensas ministrare cogitur. Cæterum à regula (quod quis invitus cogatur esse testis) quosdam reverentia & subjectio eximit, qui ad testificandum inviti non compelluntur, quales sunt pater, mater, socer, gener, vitricus, liberi, clientes, &c. *l. 4. 5. & 8. ff. de test.* Hic porrò

notandum, quod pars litigans producens testes juxta hodiernam praxin debeat exhibere directorium, sivè designationem articulorum, super quibus singulos testes examinari cupit: ob id testes saltem testari coguntur de articulis in directorio specialiter scriptis: ut sic ad articulos & interrogatoria uno contextu publicè respondeant testes.

Testes regulariter post litis contestationem auctoritate Judicis juxta actoris, vel rei petitum in judicio præsente altera parte, contra quam producuntur, sunt producendi; ergò si Judex testes ante litis contestationem receperit, eorum testimonium regulariter non valet, *c. 1. & 5. X. ut lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem.* Excipe, nisi testes ad perpetuam rei memoriam ante examinentur, si forsan periculum est in mora, ne testis senex vel valetudinarius prius moriatur, vel peregrè proficiscatur, vel ob aliam justam causam deinde testimonium ferre non possit. Quibus casibus ante litis contestationem depositio testimonii admittitur, ne veritas injustè occultetur, & probationis copia futuris casibus subtrahatur, *d. c. 5. X.* nam quoties periculum est in mora, à regulis juris ob necessitatem licitè recedere possumus, arg. *l. 5. §. 11. ff. de novi. oper. nunciat.* Judex secundum qualitatem causæ, personarum, & distantiam loci potest pro arbitrio definire tempus producendorum testium, quod regulariter trium, vel quatuor mensium, & interdum sex mensium esse solet. Si producturus testes eos intra hoc tempus non produxerit, non amplius admittitur. Testes in judicio ab actore vel reo autoritate Judicis producuntur ad testimonia ferenda, parte adversâ citatâ, ut veniat ad videndum jurare testes, *auth. sed & si C. de testib.* In eo hodierna judicia recedunt à jure Novellarum, & Authenticâ hac: nam postquam testes jurarunt, tunc ipse producens & pars adversa, contra quam producuntur testes, jubentur discedere, ne audiant examen, & depositionem testium, quæ fiunt saltem apud Judicem, vel Commissarium testibus examinandis deputatum, præsente Notario vel Actuario, qui testium dicta verbotenus consignat. Judex regulariter solet testes in loco judicii secreto seriò admonere de perjurio vitando, & dicendâ veritate, priusquam eos ad juramentum admittat, ut animo secum piè volvant, quàm sancta & ardua res sit juramentum, & quàm gravissimæ pœnæ perjuros maneant; ut proindè veritatem dicant, & perjuria piè præcaveant, quæ non solum di-

cendo falsum, sed & supprimendo verum committuntur. Factâ hâc severâ admonitione testes jurare coguntur: ubi testis ad quatuor præstanda se sanctè obligat, (1) quod veritatem rei, super qua ejus testimonium religiosè petitur, sit dicturus, in quantum ei constat, *caus. 3. q. 9. can. 20.* (2) quod nullam falsitatem committere vel intermiscere velit, *dict. caus. 3. quaest. 9. can. 17.* (3) quod pro utraq; parte tàm ad interrogatoria, quàm ad ipsos articulos productos, veritatem (in quantum eam novit) dicturus sit, *caus. 14 quaest. 5. can. 15.* & (4) quod non prece, nec pretio, timore, odio, consanguinitate, affinitate, neque lucri causa quid omissurus sit, quod ad veritatis testimonium spectet, &c. Præstito sic juramento in præsentia actoris & rei, postea testes remotis partibus seorsim & singuli, non autem catervatim ad articulos & interrogatoria singulariter examinantur, omniaque eorum dicta verbotenus annotantur; hoc præstito, Judex depositionem testis descriptam debet eidem testi prælegere, priusquam eum dimittat, ut videant, num omnia ex animi sui sententia sint annotata; an vero aliquid corrigendum, vel addendum supersit; sic testem injuncto silentio à se dimittit Judex, ne ipse attestationes suas ante factam publicationem propalet. Publicatio autem testimoniorum ideò fit, ut partes litigantes ex attestationum copiis probationes & defensiones suas hinc indè deducere possint; attamen Judex non proprio motu, sed petitione producentis, vel etiam partis adversæ, contra quam testes producti sunt, publicationem testimoniorum, & copiam attestationum litigantibus facit, *c. 2. X. de testib.* Impetratâ publicatione pars adversa, contra quam testes sunt producti, excipere solet vel contra personas testium, vel contra testium dicta, ut testimoniorum fidem imminuere & enervare possit, nimirum quod testis sit domesticus, affinis, consanguineus, amicus, infamis, reus capitalis delicti, &c. *caus. 3. q. 5. can. 1.* vel quod testimonia sibi sint contraria, *l. 27. ff. ad L. Cornel. de fals.* vel quod testimonia sint varia, obscura, ambigua, præmeditata, & composita, falsa, non verisimilia cum facto, vel naturâ rei non congruentia, *d. c. 2. X. de testib.* nam dicta testium cum rei circumstantiis benè consonare debent.

Testes singulatim & non in turba examinandi sunt, *can. 52. X. de testib.* sicut in præcedenti titulo dixi; quod fit ob eam rationem, ne illi in actoris vel rei præjudicium aliquid contra veritatem unanimi voce injustè afferant; testes autem Judex ut singulos ritè examinatos, imposito silentio dimittit.

Testes quot requiruntur ad indicandam rei controversæ veritatem? Resp. ad omne negotium sive factum controversum validè probandum regulariter requiruntur duo testes, *l. 12. ff. de testib.* qui debent esse probatæ fidei, justæ ætatis, & integræ mentis, qui dicuntur testes omni exceptione majores; quos pars adversa neque justè rejicere, multò minùs eorum testimonia debilitare potest; quia in duorum ore consistit veritas, *c. 10. X. de testam.* Cæterum duo vel plures testes de diverso tempore testimonium ferentes habentur singulares, nec semiplenè probant; ratio est, quia iis ob testimoniorum diversitatem super delicto minus creditur, quàm uni testi; e. gr. si unus testis testimonio suo afferat, delictum esse factum die solis circa vesperam, & alter testis dicat, esse factum die lunæ, & quidem mediâ nocte; hæc duo testimonia propter disparitatem conjungi nequeunt; ratio est, quia testes hi videntur de diversis factis deposuisse testimonium, *c. 9. vers. quanquam. X. de probat.* quod si verò testes non de actu sivè negotio speciali diversa dicant, ubi aliquid in genere probandum est, e. gr. Titium esse furiosum, vel infamem; si in hisce casibus diversa in suis testimoniis afferant testes, quæ tamen ratione finis inter se conveniunt, nullamque habent inter se pugnam, tunc testes non censentur singulares, sed plenè probant.

Testes plures de negotio controverso contraria testimonia jurato deponentes causam quidem controversam reddunt obscuram, ita tamen, ut à prudente judice dissolvi possit: quoniam judex prudens in talibus casibus accuratam testium rationem habere solet. Sic plus fidei tribuit testibus senibus, quàm juvenibus, testibus honoratis & dignioribus, quàm minus dignis & vilibus; testibus masculis, quàm fœminis, testibus peritis & Doctoribus, quàm imperitis & plebeis: sic etiam magis credit testibus de negotio controverso benè informatis, quàm istius ignaris: item testibus Clericis, quàm laicis, testibus probatæ fidei & existimationis, quàm testibus levibus & corruptis moribus *l. 3. prin. ff. de testib. l. fin. ff. de fid. instrument. l. 16. ff. de accusat.* Ex dictis apertè colligere licet, quod duo vel tres probatæ fidei & existimationis testes plus probent, quàm 10. testes levis conditionis; ratio est, quia non tam multitudo testium consideranda est, quàm fides & autoritas eorum *l. 21. in fin. ff. de testib.*

Testes etiam inhabiles interdum admittuntur ad ferenda testimonia; intellige in iis casibus, quando veritas aliter haberi nequit; quales

inhabiles testes sunt impuberes, ancillæ, servi, &c. *l. 8. §. 6. ff. de repud.* quod fieri solet, quando delicta sunt occulta & atrocia, ut adulterium, sodomia &c. Attamen testimonia talia non faciunt plenam fidem, sivè probationem, sed saltem indicium ad veritatem amplius indagandam.

Testes testimonium de auditu vel credulitate deponentes nihil probant, *constit. crim. Caroli V. art. 65. ibi.* Die Zeugen sollen sagen von ihrem selbst eigenen Wahren wissen/mit Anzeigung ihres wissens gründlicher Ursach; so sie aber von frembden hören sagen würden / das soll nicht gnugsam geachtet werden: ob id testes semper urgendi sunt à Judice, ut de proprio suo sensu testentur, quod hoc viderint &c.

Testi non jurato non creditur, *l. 9. Cod. de testib.* Ratio est, quia tota substantia testimonii consistit in juramento testium; quamvis juxta Christi doctrinam noster sermo sit, *est, est, non, non.* hoc est, nuda ac simplex alicujus rei affirmatio vel negatio sufficiat cessante juramento; attamen crescente hominum malitia, simplici affirmationi vel negationi in rebus controversis amplius non creditur; ideo hodiè ob fraudes & malitiam hominum evitandam, juramento in casibus & causis dubiis vel controversis regulariter opus est, *c. 26. X. de jurejur.* Ex dictis constat, quod juramentum testium ante examen sit deponendum, ut tantò religiosius veritatem dicant;

Testiculum unum habens generare potest, *l. 6. §. 2. ff. de ædilit. edict.* ergo talis ad matrimonium ineundum non censetur inhabilis, attestantibus Medicis & experientia: duo tamen plus probant, attestante Glycerio.

Tigni appellatione omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significatur, *l. 62. ff. de verb. signif.* hinc oritur actio de tigno juncto, si quis ædibus suis tignum alienum junxerit invito Domino, ad duplum pretii consequendum, *vid t. ff. de tigno juncto.*

Titulus in genere denotat causam possessionis, quo defenditur uniuscujusque possessio ab impugnatione alterius, quales sunt emtio, venditio, hereditatis aditio, donatio, legatum, transactio, dotis datio, judicatum *l. 27. ff. de usurpat. l. 1. ff. pro solut. l. 3. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Tituli hi dividi solent (1) in lucrativos & onerosos: lucrativi sunt donatio, legatum &c. Contra, onerosi sunt emptio, venditio, transactio &c. *de his vide plura pag. 136.* & (2) dividuntur tituli in universales & particulares. Sic heres defuncto succedit in omnem hereditatem & jura omnia titulo universali, &

Legatarius succedit saltem in res singulares titulo particulari. Hic quæritur, an titulus falsus, corruptus vel malus furem, prædonem, raptorem vel alium malæ fidei possessorem adjuvet? Resp. quod non, quia talis nullam justam causam sive validum titulum adducere potest, quâ possessionem validè defendat *l. 2. C. de servitut.* sed fumum duntaxat aliis falsò vendit, ac titulum injustæ suæ possessionis mentitur *§. 35. Inst. de rer. divis. l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. domin.* *confer hic pag. 441. & pag. 444.* Titulus etiam in jure interdùm accipi solet pro indice rei subjectæ, sive pro rubrica, quam olim minio scribere solebant JCti, ut rubens præ ipso textu emineret *l. 2. §. 3. ff. de interdict. &c.* Cæterum cum totum jus Romanum in digestis latè proponatur, hic porrò quæritur, quare Imperator Justinianus duos titulos, (1) de verborum significatione, & (2) de regulis juris in fine digestorum subnectere voluerit? Resp. quia hi duo tituli sunt generalissimi per totum jus civile se extendentes, idque in genere clarè explicantes; ideo in favorem Studiosorum juris sunt adjecti, ut illi mediantibus hisce duobus juris titulis universalibus omnia sibi in memoriam facilè revocare possint, quæ in toto quasi jure proponuntur: nam primus titulus de verborum significatione eo fine ab Imperatore & JCtis est conscriptus, ut Legislatoris mentem in casibus difficilioribus & obscurioribus illustret, ac nodosas verborum ambiguitates in legibus sæpissimè occurrentes juventuti Studiosæ dilucidè resolvat. Alter autem titulus de regulis juris inventus est â Juris interpretibus, ad varias in jure emergentes difficultates tollendas & decidendas: quandoquidem hic ultimus titulus solida juris principia & generales decisiones in se breviter continet, estque norma universalis actionum civilium, unde maximum in jure lumen exsurgit: ob eas rationes Studiosi Juris ad bonum aliquem horum titulorum interpretem fideliter evolvendum meritò remittuntur, puta, ad Gottofredum, Wissenbachium, Bronchorstium, Corvinum, vel alium, ut tantò felicius Juris Studium in sui promotionem & reipubl. salutem absolvant.

Tortura (vulgò dicitur quæstio) est interrogatio de crimine commisso per corporis tormenta, ad eruendam veritatem, â Judice solenniter instituta, *l. 15. §. 41. ff. de injur.* Causa efficiens torturæ est Judex criminalis, torturam decernens. Forma torturæ consistit in ejus executione, ubi reus equuleo â carnifice subjicitur. Varia autem sunt tormentorum genera, de quibus loquitur Carpz. *in pract. crim.*

p. 3. q.

p. 3. q. 117. Finis torturæ est, ut veritas tormentis adhibitis à reis exploretur, & delinquentes puniantur, *l. 15. §. 41. ff. de injur.* ut sic tranquillitas in republica conservetur, quæ conservari nequit, nisi petulantes vel noxii condignè puniantur.

Tortura justitiæ, pietati & æquitati naturali in tantum videtur contraria, ut dilectionem Christianam fermè tollere credatur: quoniam perquam crudele ac inhumanum censetur, corpora hominum vi tormentorum usqueadeo lacerare, & quasi excarnificare, ut violentis hiscè remediis veritatem & delictum inquisitis, sivè torturæ subjectis sic exprimant, cum sit utriusque manûs amputatione gravior, & comparetur agoni mortis. DEUS etiam in Sacra Scriptura torturam non approbavit, & populus Israëliticus eam ignoravit; imo in multis regnis hodiè non est permissa, ut in Anglia, Arragonia, Svecia &c. quia aliquid tyrannicum & injustum secum trahere videtur; ideo probus & prudens Magistratus torturam haud facilè permittere debet: quod autem jus civile concernit, in eo tortura sæpè admittitur, præsertim in delictis atrocioribus contra reum jam semiplenè probatis, vel ubi reus argumentis penè convictus est *l 1. §. 1. ff. de quæstion.* ideo juxta juris civilis doctrinam tunc licitè censetur permissa tortura, si quis ratione criminis atrocioris commissi præsumtionibus in tantum est oneratus, ut ad criminis probationem nihil amplius superesse videatur, quàm propria delinquentis confessio, *d.l. 1. §. 1. ff.* quam mediante tortura, & intenso corporis dolore exprimit carnifex, ne reus promeritam pœnam dolosè effugiat, & per consequens ne delicta maneant impunita, quæ plerumque clam & occultè, remotis testibus malitiosè perpetrari solent; eo fine dixit S. Augustinus, Judicem excusari, si necessitate societatis humanæ conservandæ torturam temperatè, legitimè ac prudenter adhibeat, *libr. 19. c. 6. de Civitate Dei.* Ergo Judici juxta S. Augustini monitum in hoc passu perquàm cautè est procedendum, ne ob leves quasdam præsumtiones vel rumores vulgi ad torturam temerè prosiliat, sicque innocenti iniquè & ignominiosè noceat, *l. 8. ff. de quæstionib.* & quando Judex reum crimen negantem propter urgentia indicia & præsumtiones graves torturæ subjicere vult, ad veritatem delicti cum suis circumstantiis reo vi tormentorum exprimendam, & plenè cognoscendam, tria accuratè observare debet. (1) qualitatem causæ sivè delicti, (2) qualitatem tormentorum, ut Judex gradatim procedat; nam si tormenta levia sufficiant ad verita-

ritatem detegendam, graviora tormenta non adhibeat, (3) qualitatem personæ: aliter enim torquendi sunt robusti, aliter imbecilles, aliter viri, & aliter fœminæ; quoniam ita torquendi sunt homines præsumtionibus gravati, ut post torturam salvi sivè sani innocentiæ aut supplicio reserventur. Hic notandum, quando plures sunt rei complices, tunc tortura inchoanda est ab eo, qui veritatem præ reliquis scire præsumitur, si verò omnes in delicto censentur pares, tunc debilior primùm est torquendus *vid. l. 3. C. de naufragiis.* Sic quando pater & filius sunt correi, filius primùm torquendus est in conspectu patris; ratio est, quia parentes pro affectu naturali magis in liberis terrentur, *l. 8. § fin. ff. quod met. caus.* undè proverbium: torque filium, fatebitur pater; tortura tamen non facilè repeti debet, nisi nova & prægnantia supervenerint indicia, & gravissimæ præsumtiones, *l. 18. §. 1. ff. de quæstion.* Quod si verò reus in tortura confiteatur delictum, illa confessio non habetur pro explorato facinore & ipsa veritate, nisi alia probatio & confessionis ac delicti circumstantiæ Judicem plenius instruant: tortura enim est res fragilis, & periculosa, quæ veritatem sæpè fallit; quoniam multi tantâ sunt impatientiâ, ut quidvis in sui perniciem mentiri, quàm torturam pati velint, *l. 1. ff. de quæstion.* ideo tunc demùm confessio habetur vera, quando per certa signa, & negotii circumstantias verificabitur (ne Judex innocentem iniquè condemnet.) In tali casu Judici præprimis de corpore delicti prius constare debet, e. gr. in delicto homicidii Judex reum interrogare debet de armis, & armorum qualitate, quibus occisum necavit: item si de furto agatur, Judex interrogare debet reum, quibus vendiderit furto ablata, & si reus aliquos nominaverit, nominatos examinare debet; ut certò certius explorare possit, num delictum juxta relationem delinquentis sit verum, vel non: item si quis in causa veneficii torqueatur, interrogandus est reus, ubi venenum accepit? num emit? & â quo? quando? quanti? an ipse, vel alius occiso dederit? sic delicta fiunt explorata. Ex dictis facilè colligi potest, quod prudens Judex neminem ad torturam condemnare debeat, nisi 4. conjunctim adsint requisita. (1) est, ut quis ob crimen atrox & capitale sit accusatus, *l. 8. ff. de quæstion.* (2) ut præsumtum reum aliter convincere non possit: nam quoties aliæ probationes ad reum convincendum adsunt, ad torturam ceu remedium extraordinarium non est deveniendum. (3) ut reus multis indiciis oneratus, ac quasi argumentis convictus sit, *l. 1. §. 1. ff. h. t.*

ff. h. t. & (4) ut de corpore delicti prius constet, delictum esse verè perpetratum, *l. 1. §. 24. ff. ad SCt. Syllan. constit. criminal. Caroli V. art. 20.*

Tortura quot modis in jure consideratur? Resp. JCti solent distinguere inter territionem & torturam, quæ duo probè sunt distinguenda. Territio est iterum duplex, (1) est nuda, & (2) est realis, sivè cum præparatoriis tormentorum leviter conjuncta. Territio nuda propriè continet tantum minas de torquendo, quando carnifex jussu Judicis verbis & gestibus severioribus simulat, se reum jam torquere velle; attamen hoc facit absque apprehensione rei. Hæc territio verbalis ad torturam planè non refertur, quia corpus inde nihil patitur. Territio realis, sivè cum præparatoriis tormentorum conjuncta est species torturæ, sed minima; quia corpus & membra per digitorum compressionem aliquid patiuntur, quando carnifex non tantum minatur reo, verum etiam eundem apprehendit, ejusque corpus vestibus nudatum, & quadantenus ligatum ad scalam torturæ ducit, eique omnia torturæ instrumenta monstrat, affigendo forcipes digitorum, quibus pollices digitorum constringuntur. Hinc jura dicunt, impuberem pubertati proximum torqueri quidem non posse, sed eundem terreri esse permissum, appositis etiam forcipibus sivè instrumentis ad constringendos pollices, mit Anlegung der Daumstöcke/ quo respexit JCtus Ulpianus, dum in *l. 1. §. 33. ff. ad SCtum Syllan.* dicit: impuberem terreri posse, & habenâ & ferulâ cædi. Quod veram torturam concernit, dantur varia variarum gentium genera tormentorum. Apud Romanos fuit (1) eculeus torturæ species ad torquendos homines, in quo pendebant brachiis retortis, & pedibus violenter extensis. *l. 7. C. de malefic. & mathemat.* (2) per fidiculas intulerunt reis tormenta, *l. 4. C. ad L. Jul. Majest.* ubi reos chordis sivè funibus fortiter constringit carnifex &c. Hodiè in terris Saxonicis & circumjacentibus sunt tres torturæ species sivè gradus. (1) gradus torturæ est, quando rei delictum negantes, & veritatem dolosè celantes adhibitis funiculis cruciantur, dum eorum manus retrò funibus arctissimè & durissimè constringuntur; in eo differt infima hæc tortura à territione reali, quod illa constrictio fiat arctissimè in juncturis manuum ad ossa usque, undè maximus dolor; hæc verò in pollicibus vel manibus saltem leviter fit. (2) torturæ gradus est, quando carnifex reos scalæ subjicit, eosque violenta corporis ac omnium membro-

funt; *vid. Menochium libr. 2. de arbitr. Judic.* Hic porrò ſequens regula notanda eſt, quæ in omnibus contractibus, transactionibus & renunciationibus habet locum; nim: quod omnibus actibus & negotiis civilibus tacitè inſit clauſula, *rebus ſic ſtantibus.* hoc eſt, ſi negotium in eodem ſtatu permaneat, *l. 38. pr. ff. de ſolut.* ratio eſt, quia mutato negotii ſtatu, mens & intentio diſponentium mutata videtur. Quo caſu à contractu ob juſtam cauſam noviter exortam impunè recedere licet, invito etiam altero contrahente. *l. 54. §. 1. ff. de locat & conduct.* Cæterùm ex transactionis definitione patet, transactionem non eſſe gratuitam, quia alterutri parti ſemper aliquid datur, aut illa dat alteri: nec eſſe pactum, vel ſtipulationem, ſed fieri per iſta tanquam per modos ſivè cauſas, *l. 2. ff. h. t.* Cauſa efficiens transactionis eſt conſenſus tranſigentium. *l. 13. C. h. t.* Cauſa impulſiva eſt dubius litis eventus, *l. 51. ff. de pecul.* qui utramque partem ſollicitam habet. Objectum ſunt res dubiæ, quæ jam actu in judicium ſunt deductæ, vel in id brevi deducendæ, *l. 1. ff. h. t.* Forma transactionis conſiſtit in eo, quod fiat vel ſimplici pacto, vel mediante ſtipulatione Aquiliana *l. 3. ff. de transact.* vel per contractum innominatum: item transactio fit vel purè, vel ſub conditione &c. *l. 9. C. d. t.* Finis transactionis eſt, ut lis finiatur *d. l. 1.* resque dubiæ vel litigioſæ amicè componantur, ac tollantur. Effectus ejus eſt, quòd transactio ſemel facta haud facilè retractetur *l. 19. & l. 29. C. de transact.* ideo in transactione pœnitentiæ non datur locus *l. 39. C. h. t.* cum autoritatem rei judicatæ habeat. *l. 20. Cod. dict. tit.*

Tributa ad rempublicam conſervandam ſunt neceſſaria. Ideo Juſtinianus Imperator *in Novell. 149. c. 2.* dicit, quod fieri non poſſit, ut tributis non illatis conſervetur respubl. quoniam in tributis conſiſtunt reipubl. nervi, ſine quibus nihil in pace aut bello geri poteſt; militares enim copiæ ſalario ex tributis percepto hoſtibus reſiſtunt. Contra, milites denegato ſtipendio detrectant imperium & obedientiam Ducibus ſuis. Hinc Cicero tributa, inquit, ſunt ornamenta pacis, & belli ſubſidia, quia neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt &c. Tributorum duo ſunt genera, alia ſunt ſoli ſivè prædiorum, alia capitis: illa imponuntur fundis; hæc perſonis. Sciendum tamen, quod tributa non debeant modum excedere, quæ absque neceſſitate ſine gravi peccato à Principe Chriſtiano exigi nequeunt; ratio eſt,

quia Princeps est velut communis omnium subditorum a pter; ideo subditos ceu filios suos boni patris instar omni tempore fovere, & conservare debet, iisque potius ut filiis thesaurizare, quàm nimis gravem se iisdem præbere. *c. 6. §. sustinemus X. de censibus.* ne indè quid mali eveniat. Quo respectu Rex Angliæ Jacobus filium suum Henricum prudenter & piè admonuit; noli, inquit, te locupletare, nova & gravia populo tributa imponendo, sed eorum opes & facultates certissimas tuas divitias existimato. Nota, tributa & vectigalia pro rebus regulariter exigi solent, ac præstanda sunt à rerum Dominis: hinc fit, quod tributa, census & collectæ ab iis Regi vel Principi solvenda sint, qui res jure proprio possident *l. 4. C. de agric. & cens.* sic locator & non conductor ad onera & tributa solvenda meritò obligatur; ratio est, quia is pro fructibus rerum pensionem accipit.

Turpitudo est vitium morale, deformitatem animi delinquentis, & temerariam legum & virtutum violationem denotans; ubi quis sciens contra legum & virtutum præcepta inhonestè ac turpiter agit, seque turpi actione infamem reddit, vid. *t. ff. de his, qui notantur infamia.* omnis enim turpitudo honestati est contraria, vid. *t. ff. de condict. ob turpem caus.* sic furari, mœchari, occidere per se turpes actiones sunt, de quibus *in t. t. ff. de delictis. Confer hîc titulum Probrum.* Hic quæritur, an in honesta & civili conversatione absque turpitudinis notâ jocari liceat? Resp. si joci sint tales, ut alios sine scandalo oblectent, nec honestas ac pias audientium aures, aut aliorum famam arrodant, tunc maximè jocari licet: quoniam vita civilis requirit interdum requiem & honesta quædam animorum oblectamenta, *teste Aristotele ad Nicomach. libr. 4. cap. 8.* In jocando tamen accurata ratio personarum est habenda, apud quos, & cum quibus jocamur; nam non omnes joci quemlibet promiscuè decent: alii enim joci conveniunt pueris & adolescentibus, alii matronis & virginibus, alii viris & senioribus: sic etiam alius jocus convenit militi, alius Sacerdoti, alius Consuli, alius plebejo, qui omnes diversimodè jocari debent. Eodem modo diligenter consideranda est eorum persona & conditio, apud quos, vel cum quibus jocamur; dum aliter jocandum est cum doctis, aliter cum indoctis, item aliter jocari decet cum iis, qui sunt nobis æquales, quàm cum iis, qui sunt in majori dignitate, ætate, autoritate, & potentia constituti, hinc oritur proverbium: quod non sit tutum cum potentioribus joca-

jocari, (sivè cerasa comedere) sic etiam Magistratus non debent cum suis subditis, parentes cum liberis, & Præceptores cum discipulis nimium jocari, ne suam autoritatem nimium jocando sordidè amittant. Ergò omnes joci debent esse sale sapientiæ conditi, ne in iis excedatur modus. In jocando etiam habenda est ratio loci & temporis: quoniam non ubique semper promiscuè jocari licet: sic non licet jocari in templo, in curia, in senatu, in schola, & in aliis locis, seriis & gravioribus negotiis & actionibus destinatis; ratio est, quia in iis locis non utendum est jocis & ludicris confabulationibus, sed animus intentus esse debet iis, quæ ibi dicuntur, vel aguntur: sic etiam tempore luctus & publicarum calamitatum jocari non convenit, ne luctuosorum animi indè gravissimè irritentur & exacerbentur, &c.

Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter teneram ætatem se ipsum defendere nequit, h. e. est singularis facultas & autoritas tutoribus jure concessa, regendi personam, ejusque bona administrandi, *l. 7. C. de codicill.* Pupillus dicitur caput à dominicâ & patriâ potestate liberum, & homo sui juris. Tutor primariò datur personæ, consequenter etiam rebus. Tutela est triplex, ut testamentaria, legitima & dativa; quia causa efficiens tutelæ est, vel (1) testator, qui pupillo suo in testamento specialiter constituit tutorem, vel (2) lex, quando lex immediatè sine ullo hominis facto proximum consanguineum, vel agnatum denominat tutorem, qui vocatur legitimus, *l. 5. ff. de legitim. tutel.* Hîc accuratè notandum, quod legitima tutela respectu testamentariæ & dativæ non vocetur talis oppositivè, quasi hæ duæ essent illegitimæ, sed sic vocatur eminenter, per excellentiam, quia immediatè ex lege proficiscitur. & (3) est Magistratus; nam quando nullus omninò tutor, neque testamentarius, neque legitimus pupillo est datus, tum ob defectum istum supplendum à Magistratu ex officio pupillo datur tutor ex lege Attilia. Hanc tutelam in jure vocamus specialiter dativam; quare autem Magistratus ex officio det, & constituat pupillo tutorem; ratio est hæc, quia reipublicæ interest, ne pupilli relinquantur indefensi, suisque rebus iniquè spolientur, *l. 2. §. 2. ff. qui pet. tut. vel curat.* Datur etiam quarta species tutelæ, quæ tamen est irregularis, & extraordinaria, quam mater vel avia sponte in se suscipit. Causa efficiens tutelæ est testator & Magistratus. Causa impulsiva est indigentia pupilli, qui se regere, resque suas ob

teneram ætatem & judicii defectum administrare, vel conservare nequit, *§. fin. Inst. de Attilian. tut.* Materia tutelæ sunt liberi impuberes parentibus orbati, eorumque bona. Forma tutelæ est tuitio & gubernatio pupilli; & Finis est, ut impuberes parentum auxilio destituti beneficio tutelæ regantur, & defendantur, ne sint indefensi. Hodiè tutoris officium post pubertatem durat, & sic tutela in curatelam transit, ut qui tutor fuit impuberis, is maneat curator puberis; sic tutor & curator una voce germanicè vocatur Vormunder. Hîc probè attendendum, quando in jure dicitur, quod tutelæ onus sit munus publicum, hoc dicitur saltem certo respectu, nimirum ratione causæ efficientis, quia tutor publica autoritate constituitur: aliàs ratione materiæ & finis est munus privatum, cum principaliter privatam pupilli utilitatem concernat, per consequentiam verò respicit utilitatem publicam. Ex dictis colligere licet, pupillos tutoribus obedientiam, honorem & reverentiam meritò debere, quia eos parentum loco defendunt, eorumque bona conservare quærunt.

Tutores quomodo cautè constituendi sint, ex subsequentibus percipe. Priusquam tutores ad res pupillares administrandas admittantur, sequentia 4. secundum jura Rom. præcedere debent, (1) ut Judex tutoribus administrationem tutelæ, bonorumque pupillarium specialiter decernat, *Receß. Imperii de anno 1548. tit.* von Pupillen / *§.* daß auch. (2) coguntur tutores cautionem fidejussoriam de indemnitate pupilli præstare, *prin. Inst. de satisdat. tut. & l. 1. ff. rem pupil. sal. for. d. Receß. de anno 1548.* (3) tenentur tutores juramentum præstare, quo sanctè pollicentur, se omnia in pupillorum utilitatem fideliter administraturos, *l. fin. §. 5. C. de curat. furios.* quod hodie in praxi non semper observari solet, *teste Carpzov. p. 2. c. 11. d. 6.* (4) tenentur tutores inventarium rerum pupillarium conficere, *Novell. 94.* ut sciri possit, quales res pupillorum sint; ob id censetur inventarium maximum & securum fundamentum rationum reddendarum, *t. ff. de tut. & rat. distrah.* qui verò ex tutoribus non conficiunt inventarium, illi ob præsumptum dolum habentur infames, & ut suspecti removentur, *l. fin. §. 1. C. de arbitr. tutel.* Tutores quoque obligantur ad rationes tutelæ reddendas, *t. ff. de tut. & rat. distrah.* & quidem juxta jus civile finitâ demum tutelâ; *§. fin. Inst. de Attilian. tut.* Ast jure Canonico tenentur tutores quotannis reddere rationem bonorum pupillarium proximioribus pupilli agna-

agnatis, & futuris heredibus; quia per hoc fraus & negligentia tutoris, si qua intervenerit, maturè deprehendi, & remedium adhiberi potest. Tutor sic constitutus administrat omnia negotia pupilli cum libera potestate domini instar, *l. 27. ff. de administ. tut.* Hinc si tutor quædam in officio suo tutorio contra pupillorum salutem oscitanter negligit, id facit suo periculo, *l. 1. pr. ff. de tut. & rat. distrab.* ne culpa tutoris pupillo iniquè noceat. Quod si tutor ob dolum à tutela removeatur, fit infamis, *l. ult. C. de susp. tut.* ast si ob culpam, non item; quia culpa nunquam desidiosum, sed dolus delinquentem regulariter infamat. Hîc porrò quæritur, an omnis promiscuè tutor constitui possit? Resp. si sit habilis, sanæ mentis & perfectæ ætatis, h. e. 25. annis major: uno horum requisitorum deficiente, constituendus tutor meritò rejicitur, *§. 2. Inst. qui testam. tutor. dar. poss.*

V*asallus* Domino feudi fidelitatem & servitia denegans, privatur feudo ob feloniam commissam, aut si vasallus domino gravem infert injuriam, *2. feud. tit. 23. in quib. caus. feud. amittitur & tit. 24. quæ fuit prima causa beneficii amittendi.* Ratio est, quia vasalli officium requirit, ut Domino feudi pro accepto beneficio devotè & fideliter inserviat, eumque omni modo contra injurias conservare conetur *d. t.* Quod si verò Dominus feudi vasallo injungat servitia, quæ vasalli conscientiam, existimationem & honorem lædunt, ea præstare non obligatur, quia rerum turpium nulla est obligatio, *l. 15. ff. de condit. instit.* Sic vasallus Dominum feudi contra patrem suum adjuvare non cogitur, quia filio persona patris semper debet esse sancta, *l. 9. ff. de obsequio parentibus præstando.* ne videatur aliquid facere contra DEI præceptum (honora patrem &c.) Ergo non absolutè & simpliciter juvandus est semper Dominus feudi, sed hypotheticè, intellige, si Dominus justam habeat causam, & si non contra vasalli parentes vel Magistratum ordinarium pugnet: ratio est, quia juramentum subjectionis longè fortius ligat aliquem, quàm juramentum vasallagii; vasalli enim non simpliciter & absolutè, sed secundum quid, sive impropriè dicuntur subditi, respectu fidelitatis saltem, & non ratione subjectionis. Ergo arctius obligatus est subditus suo Principi, quàm vasallus Domino feudi. Ex illo principio & fundamento nihil novi est, quod Superiores ab inferioribus feuda accipiant ac recognoscant. Sic Electores imperii interdum à Principibus, & Principes à Comitibus feuda accipiunt, eaque ab

illis

illis per suos delegatos mediante investitura renovare solent: inde non læditur eorum dignitas, nec inferioribus ut subditi subjiciuntur.

Vasalli demortui heres renovationem investituræ intra annum & diem post mortem domini vel vasalli petere debet, ne feudo ob moram intempestivam privetur; ratio est, quia vasallus novus, qui intra annum renovationem investituræ non petit, videtur Dominum feudi contemnere, ac feudi possessionem invertere velle; ideo propter contemtum hunc feudo se reddit indignum, *2. feud. 24. pr.* Ubi notandum, quod tempus illud vasallo à tempore scientiæ demum currere incipiat; ignorans enim Dominum non contemnit. *l. 50. ff. locat.* Vasallus interdum propter sexum fœmineum, teneram ætatem, gravem morbum, vel alias causas feudum per substitutum suum à feudi domino accipit, vel id renovat. Substitutus talis vasallus vocatur germanicè ein Lehnträger/ welcher nicht blosser Dinge pro nudo Procuratore vasalli, sondern pro ipso vasallo zu halten: weil er die Lehn nicht allein an statt der nechsten und rechten Lehns-Erben von dem Lehn-Herrn præstito homagio solenniter empfängt/ besondern seine Person wird so hoch hierin consideriret/ daß wenn der Lehn-Träger stirbt/ so muß der rechte Vasall einen andern Lehn-Träger sub pœnâ privationis intra annum & diem stellen/ und die Lehn aufs neu wieder renoviren lassen. Ex dictis colligi potest, quod substitutus vasalli æque ac vasallus (quamdiu juramento & onere isto non est liberatus, so lang er Lehnträger ist) ad fidelitatem, obsequia, & servitia teneatur. *teste Speidelio par. 784.* Hic tamen accuratè distinguendum inter procuratorem vasalli, & substitutum vasalli, unter einen Gewalthaber/ und einen Lehnträger. Prior præstito juramento fidelitatis non obligatur, Domino feudi ad aliquid pro sua persona præstandum, dum saltem in animam domini sui mittentis jurat; sed contrarium asseritur de substituto vasalli von einem Lehnträger/ qui ad fidelitatem & servitia mediante juramento est obligatus domino feudi, quamdiu is vinculo juramenti nondum solutus est.

Vectigal à vehendo derivatum sic definitur: est reditus, qui fisco vel Reipublicæ solvitur pro mercibus, quæ in regionem invehuntur, vel evehuntur negotiationis causâ. Ex hac definitione colligere licet, quod nemo jure civili vectigal solvat pro mercibus, quas proprii usus gratia invehere vel evehere curat. *l. 5. C. de vectigal. & commiss.*

quod

quod autem hodie non solet observari, sed vectigalia pro omnibus mercibus promiscuè solvuntur in Germania, Dania, Suecia &c.

Vectigal instituit Majestas pro rebus sive mercibus civitati invectis & evectis *l. 10. ff. de publican. & vectigal.* & concedit aliis jus percipiendi vectigal constitutum; hoc jus vectigal instituendi spectat ad Imperatorem, inter cujus reservata enumeratur. *Recess. imp.* zu Regenspurg anno 1576. §. weiter seind. Hodiè non potest Imperator absque unanimi Electorum & Statuum imperii consensu vectigalia nova instituere, vel antiqua augere, *Capit. Carol. V. art. 18.* vectigalibus his non solus Imperator, sed & Electores & reliqui Status Imperii fruuntur. Ex dictis constat, quod nullus Statuum Imperii propriâ autoritate absque Imperatoris indultu & Electorum consensu possit nova vectigalia instituere: imo nemo potest ultra certam pecuniæ summam pro mercibus exigere; quod si verò publicanus aliquid illegitimè exegerit, restituere debet, *l 3. C. vectigal. nova instituere non poss.*

Vectigalium origo inde descendit, quia protectio & tutela viarum publicarum, maris & fluminum reipubl & Principi imprimis incumbit; ideo mercatores merces per vias publicas, maria vel flumina ad alia loca vehentes Principi aliquid vectigalis nomine solvunt pro usu viæ, & curâ Principis, quâ vias terrâ, marique contra latronum & pyratarum insultus commeantibus reddit tutas, *l. 13. ff. de offic. Præsid. & l. 21. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Nota, vectigal à tributo in eo differt. Vectigal solvitur ob merces in rempubl. importandas, & inde exportandas. Tributum verò penditur â personis & rebus extra mercium usum: sic tributum â Majestate vel Principe imponitur pro reip. necessitate, (1) personis sivè corporibus, quale tributum vocatur capitatio Kopfgeld/ & (2) imponitur agris, ædibus, aurifodinis, piscinis, pecoribus, mercaturæ &c. In Imperio Romano-Germanico & quibusdam regnis Principes, Comites, Barones, Nobiles &c. â vectigalis solutione regulariter sunt immunes, quando per alterius ditionem ducunt frumentum, vinum vel alia ad familiæ usum: hac immunitate & privilegio quoque gaudent personæ Ecclesiasticæ, Studiosi, & alii, si libros suos secum peregrè ducant.

Vectigalia solvere debent mercatores pro mercibus suis in iis locis, ubi ea solvere convenit: qui verò vectigal vel telonium dolosè non solvit, plectitur amissione & confiscatione mercium; *l. fin. §. divi. ff.*

de publ. & vectig. Hic probè notandum, quod vectigalia pro mercibus importandis & exportandis regulariter non debeant esse nimis magna, ne commercia impediantur, & subditi nimium graventur. Sic in Suecia est intolerabile vectigal, ubi mercatores & alii pro certis mercibus alterum tantum (hoc est, tantum vectigalis nomine, quantum ipsa est mercium æstimatio) solvere coguntur; pro aliis dimidiam vel tertiam partem: ob hoc malum evitandum plurimi Hollandi, & Germani mercatores Sueciam non visitant. Quod si verò merces exoticæ importandæ ad luxum (& non ad necessaria vitæ subsidia) saltem faciant, per quas exteræ nationes quasi tributa à nobis exigunt & accipiunt, ejusmodi merces vectigalibus onerare licet, ut subditi à talibus mercibus ceu minus necessariis abstinere discant, ac luxuriam refrænent. Vectigalis nomine olim solvebatur octava pars rei, sive ejus æstimatio *l. 7. & 8. C. de vectigal.* ast quantum hodie in qualibet regione pro mercibus solvi debet, id ex cujusque regionis consuetudine cognoscendum est: dum vectigalia hodiè pro regionum & regnorum diversitate sunt diversa. Hic quæritur, an Status Imperii in suis ditionibus potestatem habeant vectigal novum pro arbitrio indicendi, vel vectigal antiquum augendi? Resp. juxta recessus imperii *de anno 1576. §. 116. 117. & seq.* quod non; ratio negationis est, quia vectigalia indicere & imponere est de reservatis Imperatorum, estque inter jura Majestatis specialia, quod absque speciali consensu & approbatione Imperatoris fieri nequit *l. 3. C. vectigal. nov. instit. non posse.* Hodie nec ipsi Imperatori permissum est, in Imperio Romano-Germanico absque expresso Statuum consensu vectigalia nova erigere. *vid. Carpzov. ad leg. Reg. c. 8.*

Vectigalis actio de fundo vectigali competit emphyteutis contra quosvis possessores, *t. t. ff. si ager vectig. sive emphyt. petatur.* nam dum emphyteutæ agrum vectigalem ad perpetuum vel longum tempus conducunt, si illum postea amittunt, possunt utilem in rem actionem (rei vindicationem) contra quosvis possessores instituere, si modò pensionem annuam pro locatione semper solvant, *l. 1. §. 1. ff. d. t.* Verum quia mediante ejusmodi locatione conductores emphyteutici non constituuntur veri rerum locatarum domini, sed utile duntaxat dominium consequuntur, hoc est, jus utendi, fruendi habent sub lege meliorationis, & præstationis annuæ pensionis in dominii recognitionem. Ergo utilis rei vindicatio emphyteutis saltem

saltem datur, & non directa rei vindicatio, quæ vero tantum domino competit. Origo hujus juris emphyteutici â fundis publicis descendit, quos Romani bello captos non tantum militibus assignabant, verum etiam eos, qui propter belli calamitatem inculti ac deserti erant, aliis pro certo, & exiguo vectigali excolendos dare solebant: quod deinde ad agros municipum, & quarumcunque civitatum, & tandem ad privatas res immobiles est translatum, *dict. leg. 1.*

Venatio in genere considerata est occupatio animalium ferorum animo domini facta. Cum autem tria dentur animalium ferorum genera, puta terrestria, volatilia & aquatica sive marina; ideo pro diversitate objecti venatio censetur triplicis generis; (1) est venatio specialiter sic dicta; (2) aucupium, & (3) piscatio. Venatio specialiter dicta est occupatio ferarum terrestrium, quæ in sylvis & campis liberè vagantur. Hic quæritur, utrùm Imperatores, Reges, vel Principes venationem contra privatos sibi solis per præscriptionem immemorialem vindicantes possint privatum sive subditum ultimo supplicio justè afficere, si contra eorum prohibitionem cervum vel aprum necaverit? Resp. negando, quia inter delictum & pœnam semper observanda est proportio, ut pœna delicto proportionaliter respondeat; quod egregiè exprimit Imperator *in l. 11. pr. ff. de pœn.* perspiciendum, inquit, est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius in delinquentes constituatur, quàm causa deposcit; nec enim aut severitatis aut clementiæ gloria est affectanda, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. Quàm magna autem proportio sit inter hominis ad imaginem Dei creati, (qui dicitur nobilissima Dei creatura) & inter bruti animalis naturali adhuc libertate gaudentis vitam, cuilibet prudenti notissimum est: cum Deus omnibus hominibus promiscuè in bruta animantia dominium & imperium naturaliter concesserit, *Genes. 1. vers. 28.* quod Reges & Principes privatis posteà propriâ autoritate ob probabiles politicas rationes ademerunt, sibique ut regale magnum unicè reservarunt. Sed regeris, in hoc delicto contra Principis severum mandatum perpetrato non tantus respectus ad occisam vel captam feram, quantus ad Principis supremi contemtum est habendus, cujus autoritas malitiâ & contumaciâ rustici delinquentis temerè violata est, quæ alioquin sancta & inviolabilis habenda, Ad hoc Respondeo, ob supervenientem Principis contemptum non

declaramus legis venatoriæ transgressorem ab omni pœnâ liberum, sed saltem à pœna capitali immunem. Nam si ob quemvis Principis contemtum delinquens capite plectendus foret, tunc omnis legis transgressio contra expressam Principis voluntatem facta pœnam capitis conciliaret, quod nimis rigorosum foret. Quoniam sic nemo mortalium ob depravatam naturam à pœnâ capitali facilè liberari posset. Ex rationabili hoc principio jure Saxonico prudentissimè constitutum est, quod pœna capitalis in hisce casibus non habeat locum. *verba sunt seqq.* Da Gott den Menschen schuf / gab er ihm Gewalt über Fische / Vögel / und alle wilde Thiere / darum haben wir dessen ein Uhrkund von Gott / daß niemand sein Leben an diesen dreyen verwircken kan. Ergo licet in quibusdam regnis & regionibus venatio cervorum & aprorum sub capitis pœnâ sit prohibita, ad deterrendos privatos; attamen in hujus legis transgressores pro Regum & Principum clementia & conscientia capitaliter non animadvertitur, nec justè animadverti potest; sed eosdem aliâ gravi tum mulctuariâ, tum carceris pœnâ juxta delictorum qualitates in aliorum terrorem onerant, ut alii idem facere clam molientes metu pœnæ abstinere discant &c. Aucupium non æquè absolutè & rigorosè est prohibitum, sicut venatio specialiter dicta. Sic certa avium genera absque venia Superiorum venari non licet, ut majores & nobiliores aves, turdos, perdices, anates, anseres, gallos & gallinas sylvestres. Nec hodiè in fluminibus & stagnis alienis piscari promiscuè licet, *constit. crim. art. 169.* Ab hac generali venationis prohibitione datur exceptio, quâ privatis adhuc hodie conceditur venatio animalium noxiorum, puta luporum &c. quod fit ob reipubl. commodum, ne lupi rusticis vel civibus pecora auferant, vel hominibus noceant. Certis etiam in regionibus datur insuper capientibus pro singulis captis lupis definitum præmium, ut regiones tantò magis à tam nociferis animalibus purgentur.

Venatio est juris gentium ratione originis, & sic omnibus meritò esset libera; sed quia Reges & Principes eam postea sibi solis tribuere voluerunt, ideò illa privatis regulariter est adempta, *prout ex anteced. tit. clarius patet.* Hinc fit, quòd in venationis negotio consuetudo hodierna multum dominetur: inde evenire solet, quòd jus venandi in eadem sæpè sylva ad diversos dominos diversimodè pertineat; ita ut alius venationem superiorem habeat (das hohe Wild zu jagen / als Hirsche / wilde Schweine / Bären ꝛc.) alius inferiorem saltem venatio-

nationem (das kleine Wildwerck/von Hasen/ Füchsen/ Vögeln/ &c.) Ergò qui in tali casu sub certa restrictione jus venandi habet, ei non statim absolutè venari licet.

Venatores parum in Sacris Literis, & Jure Canonico laudantur; sed potius ob impietatem reprehenduntur. Nimrod fuit primus venator & magnus peccator; Esau in venatione & peccatis Nimrodem secutus est; ideo notanter dicit S. Hieronymus in Scripturis Sacris: sanctum venatorem non invenimus, piscatores verò sanctos invenimus, *distinct. 86. c. 11.* Venatores voluptatibus suis peccata accumulant, non tàm ad Ecclesiam, quàm ad venationem festinantes congregant servos, disponunt retia, canes producunt, saltus sylvasque avidè perlustrant, servosque ad sui perditionem secum trahunt, ut ab apris, lupis, vel aliis feris animantibus dilanientur, vid. *distinct. 86. c. 13.* Quo intuitu Canones vocant venationem artem nequissimam, *dict. distinct. can. 9.* quæ rei militaris comes, & meditatio rerum bellicarum; quo fine etiam Clericis venatio interdicitur sub pœna suspensi officii, ne canes & falcones alant ad sylvaticas vagationes, *t. X. de Clerico venatore, &c.* Meo tamen judicio venatio in se non est illicita, aut ullo vituperio digna, si modicè exerceatur à viris secularibus absque magnis sumtibus, & rusticorum dispendio, quæ ipsos sæpè recreat; ideò venationem etiam inter regalia referunt. Si verò Principes venationi nimium sint dediti, non tàm salutem subditorum, quàm intempestivas corporis & animi recreationes & voluptates quærere videntur, &c. Venatio est duplex, superior & inferior. Illa est cervorum, aprorum, ursorum, &c. (vocatur die hohe Jagt von schwartz und roth Wildprät) Hæc est vulpium, leporum, avium, &c. (das kleine Weidwerck.)

Vendere res suas an quis jure teneatur? Resp. nemo regulariter obligatur invitus rem suam vendere, *l. 11. 13. & seq. C. de contrab. empt.* Ast si publica salus id exposcat, contrarium statuitur, quia salus publica semper præferenda est privatæ saluti; attamen venditori invito justum pretium solvendum est, ne ipse rebus suis contra naturalem æquitatem injustè spolietur.

Venditio rerum quovis honesto modo licita est. Ergò ea, quæ commendandi causâ in venditionibus dicuntur, si palàm appareant, venditorem non obligant, e.gr. si venditor dicat, domum vendendam benè ædificatam esse, equum esse formosum, vel fundum esse fer-

tilem, &c. *l. 43. ff. de contrah. empt.* ratio est, quia hæc omnia incurrunt in emptoris oculos, nec latent; ideò venditor non tenetur de vitiis manifestis, quæ latere non possunt, sed latentia vitia emptori à venditore dicenda sunt, aliàs posteà dissolvitur contractus; ideò emptor pro omnibus vitiis equi empti internis & latentibus validè agere potest ad dissolvendum contractum, & pretium restituendum, *l. 1. §. 2. ff. de ædilit. edict.* ut si equus sit lunaticus, (**Tollerend**) vel retrogradus, (**stetig**) vel calcitrosus, hoc est, pedibus feriens, arg. *l. 43. princ. ff. dict. tit.* Hodiè venditor equi de quinque vitiis emptori communiter obligatur, (1) quod equus venditus non sit lunaticus, (**nicht Tollerend**) (2) non pituitosus, (**nicht rotzig**) (3) non scabiosus, (4) **nicht Bauchblässig**/ & (5) non furto acquisitus, talis enim non est venditoris. Alii addunt non retrogradus, & non laborans latente cæcitate, sed duo hæc ultima vitia incurrunt in oculos, & non latent; ideò huc propriè hodiè non referuntur.

Venditio rerum efficax traditionem requirit. Ergò si una eademque res duobus vel pluribus diverso tempore sit vendita, is in quæstione dominii consequendi non præfertur, cui illa prius est vendita; sed cui res prius est tradita, *l. 15. C. de rei vindicat.* ut is fiat rei emptæ dominus; ratio est, quia rerum dominia non transferuntur pactis & contractibus, sed traditionibus, *l. 20. C. de pact.*

Venenum quo sensu in jure accipitur? Resp. qui venenum dicit, adjicere debet, utrum bonum, vel malum sit; quia & medicamentum est venenum, *l. 236. ff. de V. S.* Sic etiam, qui dolum dicit, adjicere debet, utrum malum, vel bonum intelligat; quia dolus absque adjectione simpliciter in jure sumitur pro solertia animi.

Verba sunt signa rerum, ipsas res repræsentantia; ideò verba rebus, non res verbis inservire debent: hinc in legem dolosè committit, qui verba legis contra legis mentem amplectitur, *l. 5. C. de legibus.* nam scire leges, non est verba earum tenere, sed vim ac genuinum earum sensum, *l. 17. & 19. ff. ibid.* ideò in fraudem legum facit, qui salvis verbis legum sententiam earum dolosè captat, & interpretatur, *l. 30. ff. d. t.* quoniam non in verbis scripturarum est Evangelium, sed in vero & genuino sensu; non in superficie, sed in radice rationis, *caus. 1. q. 1. can. 64.*

Verba regulariter intelligenda sunt in proprio suo sensu, secundum usum popularem, *l. 125. ff. de verb. signif.* ob eam rationem non debe-

debemus regulariter recedere à proprietate verborum; excipe, nisi legislatoris, vel scribentis voluntas, & res subjecta aliud necessariò suadeant, *l.69.ff. de legat. 3.* ut verba vel restringi, vel ampliari debeant. Quod si verò verborum sensus sit ambiguus, aut intricatus, verba juxta substratam materiam sunt intelligenda; ratio est, quia materiam, de qua quis locutus est, ob oculos semper habuisse præsumitur, ad quam omnia sua dicta referre voluit; multum etiam juvat, ex ambiguis verbis verum & genuinum sensum eruere, si antecedentia & consequentia probè observentur. Insuper sequentes circumstantiæ dubium verborum sensum reddunt evidentiorem, ut quis observet, utrum materia sit favorabilis, vel odiosa, vel mixta; nam favorabilia laxè, & odiosa strictè sunt intelligenda, *t. ff. de reb. dubiis.*

Veritas est virtus, per quam id, quod in qualibet re verum est, solius veritatis amore simpliciter, & apertè fatemur, nihil addendo, vel detrahendo. Vel est assertio justa, & locutio aperta, *l. fin. ff. de probat.* quæ in rebus civilibus magis per oculos, quàm per aures hominum animis infigitur; rationem addunt JCti, quia ocularis inspectio in judicando operatur firmum judicium, quod in titulo finium regundorum ff. clarius detegit Imperator. Hæc veritas vocatur etiam candor, sinceritas & integritas &c. Veritas in jure versatur principaliter circa pacta, contractus, judicia, testimonia, testamenta &c. ut quis ingenuè dicat (quando opus est) quod sentiat; ne aliis veritatem injustè supprimat *l. ult. C. de probat.* Sic objectum veritatis est ipsum verum, quod in sermone & verbis, vel in actionibus, vel in moribus & gestu corporis, totaque hominis vitâ accuratè considerari solet; ita ut in illis nihil sit fictum, simulatum, aut falsum: ubi nec aliquid contra conscientiam amplificari, nec extenuari convenit; sed uti negotia humana se habent, ita ea proferre; adeoque animum in fronte gerit; nec aliud sentit, aut in pectore clausum habet, & aliud promptum in lingua; dum contra mentem dolosè loquitur. Veritatem hanc quilibet probus pro norma universali in omnibus suis actionibus sub peccati mortalis pœnâ habere debet: ob id asserunt JCti, quod error veritati præjudicium parere non debeat, *l. 6. §. 1. ff. de offic. præsid.* Interim negari haud potest, quod veritas in se justa, bona & laudabilis perverso mundo valdè displiceat: hinc illa lachrimæ, quod veritas in aulis Regum & Principum tolerari nequeat; ast adulatio semper tanquam dulce vene-

venenum fallaci mundo acceptissimum: unde commune oritur proverbium: ex tribus rebus optimis solent oriri pessimæ. (1) ex veritate oritur odium; ratio est, quia obsequium amicos, veritas odium parit, (2) ex felicitate invidia, quia plurimi aliorum felicitati lividis oculis invidere solent, & (3) ex familiaritate oritur contemptus; quoniam nimia familiaritas contemptum parere solet. Veritatis extrema sunt duo, (1) est in excessu arrogantia, & (2) in defectu dissimulatio, horum commune genus est mendacium. Cæterum veritas tantam in se habet efficaciam & potentiam, ut nullis machinis, nullo versuti hominis ingenio, astutiâ, arte aut fraude commodè subverti possit. Ergo quilibet pius, probus & cordatus vir meritò debet esse veritatis Studiosissimus, falsitatis osor, ac hostis perpetuus, ad peccatum mortale omni tempore piè vitandum; cum nullæ res inter se sint tam amicæ & concordes, quàm justitia & veritas, quasi sorores germanæ à Deo omnipotente congenitæ. Attamen negari nequit, humanam fragilitatem post primi nostri parentis Adami lapsum in corrupto hoc seculo esse tantam, ut falsum pro vero sæpissimè cœcâ mente arripiamus, & approbemus, quod tamen miseri mortales regulariter non credimus ex quadam culpâ, vel vitio veritatis; quoniam illa semper, & ubique est immutabilis; sed ex crassâ & fallaci nostrâ humanâ inscitiâ &c. veritatem sæpe supprimimus. En fragilitatem humanam!

Vestibus purpureis non nisi Senatores Romani, qui in Magistratu erant, olim utebantur; unde Magistratus adhuc hodiè vocantur Purpurati. Hodiè Cardinales & Episcopi purpureis vestibus & ornamentis utuntur.

Vicarius Imperii quinam sit, & quomodo vicariatus formandus? Resp. mortuo Imperatore vicariatus Imperii Palatino & Saxoni Electoribus est concessus, *juxta auream Bullam Caroli IV.* ut ipsi nomine Imperatoris omnia peragant, quæ ipse Imperator, *d. aur. Bull. tit. 5.* exceptis regalibus reservatis, quæ Statibus Imperii communicari non solent; ideo nihil de feudis regalibus, (Fahnlehn) de quibus Principes sub vexillis vel sceptro investiri solent ab ipso Imperatore, disponere possunt Vicarii, cum destituantur Majestate & plenitudine potestatis; nam nulli competit plenitudo, nisi habeat Majestatem; nec Majestas datur, nisi sit summa, independens & perpetua potestas; jam notum, quod neque summam, neque perpetuam habeant Vicarii potestatem; ratio est, quia imperium ad breve saltem tempus administrant, & administrationem electo Regi statim

tim reddere coguntur. Cæterum cum Vicarii ordinariam habeant jurisdictionem, ac judicia summa tam Cameræ imperialis Spirensis, quàm aulæ Cæsareæ exerceant; omnes causæ, sivè civiles, sivè criminales, sivè feudales fuerint, his duobus imperii Vicariis regulariter subjacent: attamen sicuti Mandatarius, vel Procurator Dominus quidem non est, nec res suo nomine, sed alieno administrat, nec proprio iure possidet, sed Domino restituere cogitur; ita & Vicarii hi, puta Palatinus & Saxo neque propria autoritate, neque proprio nomine jura Majestatis administrant, sed nomine Imperii; & Regi Romanorum electo retribuere tenentur. Ex dictis satis liquet, quod solus Imperator de feudis regalibus disponat. vid. *Recess. Imperii de anno 1521. tit.* Römisch Kaiß. Regiment. §. ob auch Sachen fürstelen / Fürstenthümen / Graffschafften belangende / so vom Reich zu Lehn herrühren / die will der Käiser sich allein vorbehalten haben / ꝛc.

Vicinus vicinum meritò adjuvare debet: attamen nemo potest cogi, ut vicino suo prosit, sed ne eidem directò noceat, cogi potest; ast per consequentiam vicino nocere licet, si quis absque dolo quid fecerit in sui commodum, undè vicinus incommodum sentit; ut si ædificaverit ædes suas altius, undè vicini ædes obscurantur, *l. 2. §. 5. ff. de aqua & aqua pluv. arcend.* vel si quis in fundo proprio ædificaverit ædes, vel effoderit puteum eâ intentione, ut sibi principaliter prosit, licet vicino absque dolo per consequentiam noceat, id legibus permittitur, *l. 24. §. fin. ff. de damn. infect.* ratio est, quia nemo cogitur vicini salutem saluti propriæ præferre, *l. 6. C. de servit. & aqua.* cum charitas ordinata incipiat à se ipsa. Verùm si quis animo nocendi aliquid fecerit, ut vicino saltem dolosè noceat, aliud statuitur; ratio est, quia malitiis hominum non est indulgendum, *l. 38. ff. de rei vindicat.* ne vicinus contra naturalem æquitatem iniquè lædatur.

Vicinus ratione futuri damni ad quid obligatur? Resp. quando vicinus à vicino ædes ruinosas habente cautionem de damno infecto non postulavit, si hæ ruinosæ ædes postea collapsæ vicino damnum dederint, ei indè nulla datur actio contra vicinum, cujus ædes sunt collapsæ, nec cogi potest ædium collapsarum Dominus, ut rudera tollat, si omnia, quæ diruta jacent, pro derelicto habeat, *l. 6. ff. de damn. infect.*

Vicinus regulariter præsumitur scire factum vicini, intellige, si factum sit publicum, quod etiam remotè habitantes scire solent, *c. 7. & seq. X. de præsumtionib.* Quod si verò factum vicini sit occultum, tunc vicinus non præsumitur id scire, ne is videatur iniquè scrutari, & indagare aliorum actiones, quas in propriis suis ædibus quisque privatim facit, remotis arbitris vel inspectoribus.

Victus victori in expensas à Judice regulariter non condemnatur, si condemnatus justam litigandi causam habuerit, *l. 13. C. de judic.* in hisce casibus expensæ invicem compensari solent. Ast si victus fuerit temerarius litigator, expensas solvere cogitur, si victor eas antea in libello suo petiverit, *dict. l. 13. §. 6.* Hîc probè observandum, si appellans in superiori judicio etiam condemnatur, regulariter in expensas condemnandus est ob præsumtum temerarium litigium; quia in utroque judicio condemnatus est, *l. 78. §. 2. ff. de legat. 2.* Ast si appellatus in appellationis judicio condemnetur, tunc expensæ regulariter compensantur; ratio est, quia is regulariter justam litigandi causam habere præsumitur, qui sententiam in inferiori judicio latam pro se habet. Excipe, nisi dolus & temeritas litigandi ex actis apertè probetur. Hoc in Camera imperiali hodiè observatur.

Vidua intra annum luctûs alii nubere jure civili prohibetur: ratio prohibitionis est, ne præsumtum prioris mariti semen cum subsequentis mariti semine sordidè commisceatur, quo vel sobolis procreatio impiè impeditur, vel familiarum confusio exoritur: ad hanc turpem seminis & sanguinis, ut & familiarum confusionem prudenter evitandam, Imperator intra annum luctûs nubentes infamiâ notari voluit, *l. 15. C. ex quibus caus. infam. irrogat. & l. 2. C. de secund. nupt.* Vidua etiam contra mariti manes graviter peccat nimiâ festinatione secundarum nuptiarum, suamque intemperantiam ac lasciviam indicat. In talibus casibus jus Canonicum longè clementius agit, quod ad evitandam delicti, (scortationis vel adulterii) occasionem pœnam remittit, *c. pen. & ult. X. de secund. nupt.* idem hodierna comprobat praxis.

Vim vi repellere, jura concedunt, *l. 3. ff. de just. & jur.* intellige, si quis vim honestè evitare non possit, sed resistit absque vindictæ studio. Nam quod quis ob tutelam corporis sui facit, jure facere intelligitur, cum defensor propriæ salutis in nullo peccasse videatur, *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Attamen moderamen inculpatæ tutelæ circa

violentam aggressionem semper est observandum, quod in tribus consistit, (1) in modo, (2) tempore, & (3) in causa. Modum observat, si armatus armato ob necessariam defensionem & imminens vitæ periculum statim resistat, ne vi iniquè opprimatur. Tempus observat, si vim vi eo tempore, quo periculum vitæ imminet, in continenti propulset; si enim posteà cessante vi & periculo aggressorem velit armatus aggredi, ei illud impunè non licet, quia id tunc non ob necessariam defensionem, sed ob vindictam facit. Ideò *in l. 3. §. 9. ff. de vi & vi armat.* dicitur, quod legitima defensio debeat fieri in continenti, durante rixa, flagrante adhuc crimine, nullo actu extraneo interveniente. Causam observat, si ab aggressore in publica via, vel alibi injustè & malitiosè aggrediatur, tunc ad se defendendum aggressori masculè resistere licet, si aggressus tutò evadere non possit, *l. 2. C. ad L. Cornel. de Sicar.* quia fugâ se defendere non modo periculosum, verùm etiam ignominiosum est: & quare homini denegandum esset, mala & injurias imminentes quovis honesto modo à se depellere, cum damni & injuriæ propulsationem ipsis brutis ad necessariam defensionem jura tribuant, *l. 1. §. 11. ff. si quadrup. pauper. fecisse dicatur.* De quo Cicero in Oratione pro Milone, & in officiis suis egregiè differit: omni namq; animantium generi, (inquit Cicero *libr. 1. offic.*) à natura tributum est, ut se, vitam, corpusque suum quovis modo tueatur, declinetque ea, quæ ei nocitura videntur; eo fine in oratione pro Milone dicit: non scripta, sed nata lex est, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in tela latronum aut hostium sivè inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis, &c. Ideò supremus rerum conditor DEUS omni animantium generi quædam arma ad se defendenda suppeditavit, ut lupis, canibus, apris & suibus dedit dentes; tauris cornua, catis, lincibus, ursis, &c. ungues; equis calces, avibus rostra & alas; quibus vitam corpusque contra aliorum insultus & imminentia mala validè defendere possunt.

Virginitas in thesi & absolutè loquendo non est de substantia matrimonii; ratio est, quia non tantùm virgines, verùm etiam viduæ, imò meretrices legitimè ducuntur uxores; ideò jus Canonicum dicit, qui ducit meretricem, opus facit misericordiæ, dum errantem ab

Eeee 2 erro-

erroris semita reducit in virtutis viam, eamque mediante matrimonio honori pristino restituit, *can. 20. X. de sponsalib.* ideò non culpandus est Propheta Osee, quod meretricem sibi conjugem sociaverit; sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit, eamque ad pudicitiam piè converterit, *vid. caus. 32. q. 1. can. ult. & pen.* Ast virginitas in hypothesi ratione circumstantiarum requiritur ad matrimonii essentiam, si nimirum sponsus sibi eligit virginem in vitæ sociam; quo casu æquum est, ne decipiatur. Ergo si sponsus plenè probare potest, se esse deceptum, sponsam ex alio esse gravidam; cum alius pro ipso gratis coluerit agrum, justè rescinduntur sponsalia, & promissum matrimonium. Sibi imputet sponsa, quod contra fidem conjugalem malitiosè egerit, aliumque colonum in præjudicium futuri proprietarii ad agrum suum colendum injustè & turpiter admiserit.

Virgo vi stuprata in sensu morali non censetur corrupta, vel amisisse virginitatem; ratio est, quia virginitas est virtus in animo, & non in corpore principaliter constituta, *S. Augustinus de civitate Dei libr. 1. c. 18. & caus. 32. q. 5. can. 6.* Idem comprobat S. Ambrosius *in c. revera. caus. 32. q. 5.* Distinguendum tamen hic censeo inter virginitatem animi & corporis. Virginitas animi propriè dicitur pudicitia, quam non modo virgines, sed & vidua, sivè matronæ honestæ habent, & illa per stuprum violentum neque aufertur, neque diminuitur; ratio est, quia illud carnis peccatum non voluntariò & datâ opera, sed invitè perpetratum est. Quo S. Augustinus, & S. Ambrosius piè respexerunt. Virginitas autem corporis est integritas pudoris & corporis incorrupti, quæ per violentam compressionem indignè amittitur; attamen corruptione corporis mens invita non polluitur; quoniam nullum delictum absque voluntate committitur; *caus. 32. q. 5. can. 14.* Hinc dicimus, quando munda à contagione est anima, corpus non peccat; ob id infamiæ maculam non incurrit puella per vim stuprata *l. 20. C. ad L. Jul. de adult.* quæ manibus, pedibusque intentatum malum ex toto animo depellere conata est, sed ob virium defectum non potuit. Ob allegatas tamen rationes virgo vi stuprata non potest amplius portare sertum, quia corona hæc est signum virginitatis corporis, non animi. *d. can. 14 caus. 32. q. 5.* alioquin viduæ & honestæ uxores jure sertum portare possent, quod tamen iis justè denegatur, cum non amplius sint virgines propriè dictæ.

Virtus

Virtus est habitus inclinans voluntatem hominis ad obediendum rectæ rationi. Eo respectu virtus & lex Dei dicuntur rectæ rationis norma & mensura. Cæterum duo sunt, quæ hominis animum ad virtutem præparant. (1) meditatio mortalitatis corporis humani, & (2) meditatio immortalitatis animæ; quoniam pia hæc consideratio & meditatio hominem valdè movet ad contemnenda terrestria quævis, & caducas corporis voluptates. Contra, magni æstimare facit spiritualia, quæ cum anima rationali perpetuò durant. Hic quæritur, an vitium in genere sit contra hominis naturam? Resp. affirmando, ratio est, quia est contra naturam rationalem: nam omne vitium est contra rationem, dum ratio semper honestum appetit, & turpitudinem aversatur.

Virtutes in genere sunt duplicis generis. (1) intellectuales, & (2) morales. Illæ mentem sive intellectum, hæ appetitum regere & perficere dicuntur. Intellectuales virtutes sunt quinque, ut intelligentia, scientia, sapientia, prudentia & ars. Morales sunt undecim; ut fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, modestia, mansuetudo, veracitas, comitas, verecundia sive urbanitas & justitia. Hic Nota, virtutes morales propriè sunt virtutes, & non intellectuales; ratio est, quia virtus est habitus electivus ad voluntatem spectans. Pietas ut virtutum omnium scaturigo meritò hic inter virtutes recensenda esset, sed Aristoteles, Plato, & Stoici pietatem quà Ethnici in suis præceptis moralibus omiserunt, sic illa non inter eas recensetur.

Virtutes morales non transmittuntur à parentibus in liberos cum sanguine & spiritu, sed acquiruntur usu, labore, studio & disciplina. Alioquin virtuosorum liberi non labore, sed naturâ & spontè varias virtutes, eruditionem &c. tanquam necessarii paternarum virtutum heredes semper possiderent, quod sæpissimè fallit, cum Heroum filii sint noxæ; Dii enim juxta Antiquorum assertum res suas laboribus unicè vendunt: nucem frangat oportet, qui nucleum esse vult. Ob has rationes probi Christiani virtutes & eruditionem consecuturi, illud *ora & labora, tunc Deus dat omnia sine mora*, constanter & quotidiè urgere debent. Ergo rectè dicitur, quod Majores Posteris, ut universalibus heredibus bona omnia relinquant, divitias, imagines & memoriam sui præclaram, sed virtutem propriam illis relinquere non possunt; ea sola neque dono datur, nec accipitur, aut in heredes gratis transfertur, sed proprio labore, industria, & ingenio acquiritur.

 Vis

Vis est major rei impetus, qui sine vi repelli non potest; vel est necessitas imposita contraria voluntati, quam vi repellere cogimur, si inde liberari velimus. Hic nota, quando quis dicitur aliquid per vim fecisse, distinctio probè observanda est, utrum ille hoc per vim publicam, vel per vim privatam fecerit, *l. 152. ff. de R. J.* Vis publica est, quam quis armis committit, ut si quis alterius stabulum, horreum, vel tugurium armatus malitiosè effringat, vel parietes destruat, vel in ædes alienas armatus irruat, aut vigiles insidiosè vulneret, *t. t. ff. & C. ad L. Jul. de vi public.* Vis privata sine armis committitur, & quidem variis modis; (1) Si quis convocatis hominibus alium sine armis de fundo suo vel possessionibus dejicit, pulsat, verberat, *l. 5. ff. ad L. Jul. de vi privat.* (2) si quis sine armis aliquem ex agro vel possessione sua dejicit *l. 5. ff. d. t.* (3) si creditor ad consequendum suum debitum res sivè bona debitoris sine Judicis jussu propriâ autoritate violenter occupat, *l. 1. & 2. ff. ibid.* Pœna vis publicæ olim erat deportatio cum bonorum amissione; & pœna vis privatæ erat tertiæ partis bonorum, cum honorum, & dignitatum privatione. *§. 8. Inst. de public. judic.* Hodiè utriusque criminis pœna arbitrio Judicis relinquitur, ut pro delicti commissi qualitate vel relegetur, vel carceri mancipetur, vel ei manus amputetur. Excipe, nisi vis publica in crimen fractæ pacis incidat (der Land-Fried-Bruch) quo casu pœna est capitalis sive bannum imperiale (die Reichs-Acht) quo delinquentis omnia bona publicantur, libertate insuper omnibus hominibus promiscuè concessâ, impunè violandi personam, corpus, & bona banniti, Da er ist Vogelfrey gemacht. *Ordin. Cameræ part. 2. tit. 9. & recess. imp. Wormat. de anno 1521. tit.* Die Pöne aller Fried-Brecher. Hic probè notandum, quod non omnis vis publica sit fracta pax, quamvis ex opposito, omnis fracta pax sit vis publica; ratio est, quia vis publica non per quamlibet vim, sed per atrocem saltem malitiosè violatur. Ut autem sciamus, quomodo crimen fractæ pacis propriè committi dicatur, tria requisita probè notanda sunt, (1) ut fiat per vim publicam armatam Mit gewehrter Hand. *recess. imp. de anno 1548. princ.* armati autem dicuntur non tantùm qui gladios, tela, hastas, & jacula habent, sed fustes, lapides, vel aliud, quo nocere possunt, *l. 3. §. 2. ff. de vi & vi armat.* (2) requiritur præter vim publicam armatam, ut vis sit atrox & major, quàm cui facilè resisti possit, *l. 1. §. 3. ff. de vi & vi armat.* mit gewaltiger Hand: dum quis collectis & coadunatis hominibus

nibus ad alteri nocendum contra reipubl. tranquillitatem pessimè prorumpit *l. 3. ff. ad L. Jul. de vi publ.* & (3) ut quis ex proæresi, malo proposito & datâ operâ alios armatos armatus convocet, ad vim atrocem inferendam. *l. 2. §. 2. ff. de vi bonor. raptor.* Hinc pax publica violatur, si quis seditionis causa homines in armis habet, vel ut arces, domos, aut oppida violenter oppugnet, effringat, expugnet, & diripiat bona; vel incendium cum aliquot armatis malitiosè excitet &c. Sic etiam latrones pacem publicam violant, vimque public. committunt, dum in publicis viis peregrinantes vestibus, pecuniis, aliisque suis rebus sine homicidio spoliant. *constit. crim. art. 12.*

Vis dicitur, quicquid nullo jure fit contra liberam alicujus voluntatem: Inde satis colligere licet, quod vis & metus inter se differant: nam actio violenta est, cujus principium foris contra animi nostri inclinationem est, ita ut patiens ad id nihil conferat, sed se merè passivè ad actum habeat, e.gr. quando navis exortâ tempestate contra nautæ voluntatem ad scopulos violenter alliditur, & quassatur: vel quando quis manibus pedibusque constrictus contra voluntatem in carcerem conjicitur: vel quando virgo honesta viribus debilis â libidinoso homine stupratur &c. Contra, actio metu peracta non absolutè est invita & violenta, sed certo respectu est spontanea, sivè voluntaria, dum quis ex duobus malis minimum eligit, e.gr. quando mercator exortâ tempestate ad se, socios, & navem salvandam ejicit merces in mare navis levandæ causa: is quidem hoc non facit libenter; id tamen ad majus malum â se devolvendum, puta mortem effugiendam, facere cogitur: vel si quis latroni mille imperiales metu mortis ad vitam redimendam offert. Sic coacta voluntas etiam est voluntas.

Vitium omne virtuti oppositum in excessu vel defectu consistens, nec rectam rationem, nec mediocritatem admittit, sed semper â virtutis tramite recedit. Ergo quæ actiones humanæ nec excessu, nec defectu laborant, tenendo medium, illæ ut virtuosæ meritò laudandæ sunt. Quædam vitia tam speciosa videntur, ut virtutem imitari censeantur; nam prudentiam malitia, liberalitatem prodigalitas, & fortitudinem audacia imitatur: sic etiam patientiam durities immanis, justitiam rigor sive acerbitas, religionem superstitio, & lenitatem mollitia animi imitari solent.

Vitia

Vitia animi & corporis in homine sunt regulariter triplicia, (1) sunt naturalia, ut si quis nascitur fatuus, mutus, cœcus, claudus, aut alio membro mancus, (2) fortuita, quæ vel ex morbo, vel alio aliquo casu adverso homini contingunt, ut si quis ex gravi aliquo morbo, aut ex doloribus capitis apoplexia &c. amittit memoriam, & intelligentiam; aut visum ex morbo, vulnere vel ictu amittit; vel si quis ex lapsu frangit pedem vel brachium. (3) sunt vitia voluntaria, quæ nostrâ culpâ & nostro vitio contrahuntur, ut si quis ex compotationibus & crebris commessationibus comparat sibi habitum intemperantiæ, perdit valetudinem, & efficitur podagricus. Ex tribus istis vitiorum generibus non possunt duo priora genera homini tanquam probrum objici; ratio est, quia non ipsius culpâ sunt contracta; ideo dicit Aristoteles, quod tales propter ejusmodi vitia potius commiseratione, quàm reprehensione dignos censere debeamus. Tertium verò genus vitiorum est dignum reprehensione, quia nostrâ culpâ est contractum.

Vitiosum quà tale diuturnitate temporis non corrigitur. Quod juxta juris canonici regulam verum est, non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit *c. 18. de R J. in 6to.* nam difficile est, ut ea bono peragantur exitu, quæ malo inchoata sunt principio *caus. 1. q. 1. c 25.* quod fit ob duplicem juris rationem, (1) quia tempus per se non est modus inducendæ vel tollendæ obligationis, *l. 44. §. 1. ff. de obligat. & act.* ideo solum tempus sine alterius causæ adminiculo actum ab initio invalidum confirmare non valet *c. 18. de R. J. in 6to.* (2) quia jura quemlibet actum civilem ex præsenti tempore regulariter æstimant, nec eventum ejus ex futuro & incerto eventu pendere volunt, *l. 137. §. 6. ff. de V. O.* Hinc si testamentum, contractus, matrimonium vel sententia judicis &c. ab initio fuerint vitiosa, & contra leges facta, temporis tractu non convalescunt, secundum juris regulam, quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *l. 29. ff de R. J.* Ergo si impubes vel furiosus condiderit testamentum, id censetur invalidum, vitiosum & nullum; quia tales nullum habent animi judicium, rerumque humanarum intellectum, *§. 1. Inst. quibus non est permiss. fac. test.* Limitatur hæc regula, nisi impedimentum, vel vitium cesset, & nova causa superveniat, quæ actum antea invalidum postea confirmat, e. gr. quando bona minoris à curatoribus sine decreto judicis sunt alienata, hæc alienatio per se non valet, sed est vitiosa; ast si

minor

minor postea major factus alienationem habuerit ratam, vel si post 25. ætatis annum quinquennium elabi sit passus, ut de alienatione tali injusta non sit conquestus, valebit alienatio, *l.fin.C.si major.fact. alienat.sine decret. rat.hab.*

Unio Ecclesiarum discordantium plurima commoda in toto Christianismo secum traheret, si tandem per Dei gratiam speranda esset, ut Catholici, Lutherani, Reformati, Arriani, Photiniani, Anabaptistæ, Judæi, &c. ad unam veram Catholicam Religionem plenariè reduci possent, ob concordiam subditorum & civium in republica tantò melius conservandam. Quanquam diversæ religiones in republica benè constituta tolerari possint ob spem futuræ conversionis; attamen longè melius & salutarius foret, si unus DEUS, unum baptisma, una religio & fides ab omnibus in eadem republica sincerè coleretur. Hîc probè attendendum, quod hodierni Politici juxta præsentem Imperii statum dicant; religionem esse sequelam jurisdictionis, ex qua positione & thesi multa exsurgunt absurda Atheo Doctore Magistro Samuele Puffendorffio, ut religio censeatur ejus, cujus est regio. Ob id religio dicitur anima reipublicæ, quâ sublatâ & respublica concidit: ea de causa Princeps, Rex, vel Cæsar religionem pro principali suo scopo in republica habere debet, ut DEUS misericors tantò benignius reipublicæ benedicat. Hinc fit, quod summus Pontifex ob spem conversionis multos Judæos toleret in ipsa urbe Roma, quos certis anni temporibus contra eorum voluntatem & innatam naturam cogit, concionibus interesse, easque metu coërcitionis auscultare. Eo fine Judæi Romani novo semper electo Pontifici in ipsius electionis solennitatibus obviam procedere coguntur, & designato Pontifici flexis genibus legem Mosaicam cum maximâ commendatione humillimè offerunt; quibus electus Pontifex publicè respondere solet. Sanctam legem, viri Hebræi, & laudamus & veneramur, utpote quæ ab omnipotenti DEO per manus Moisis patribus vestris tradita est; observantiam verò vestram, & vanam interpretationem damnamus atque improbamus; quia Salvatorem, quem adhuc frustrà exspectatis, Apostolorum fides jam pridem advenisse docet, & prædicat Dominum JESUM CHRISTUM, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat DEUS per omnia secula seculorum. Conditiones autem, sub quibus Judæi recipi possunt, sunt sequentes, (1) ut â blasphemiis, contumeliis & maledictis in DEUM Salva-

 torem

torem nostrum Christum sibi temperent; (2) ne quid in contemptum religionis, fideique Christianæ dicant, aut faciant; (3) in cultu divino Christianos non turbent, nec molestiam ullam ipsis creent, sed ut juxta sacrorum Canonum præscriptum diebus Dominicis, vel passionis Christi domi se contineant; (4) usuras immoderatas, aliosque fraudulentos & illicitos contractus non exerceant; (5) res Christianorum clandestinè non supprimant, (6) nec Christianorum quenquam ad Judaismi superstitionem dolosè alliciant, aut impellant, sed modestè absque aliorum offensione & aperto scandalo in republica quietè vivant, &c.

Unio prolium hodiè valdè frequens est, quam vocant parificationem, (germanicè die Einkindschafft) estque actus legitimus, quo liberi ex diversis matrimoniis, quoad jus filiationis uniuntur, quasi ex uno eodemque matrimonio essent nati. Ad unionem prolium regulariter requiritur consensus agnatorum & cognatorum, ut & tutorum coram Magistratu, & ut id actis publicis inferatur; dum pater vel mater ad secundas nuptias transiens cum novo conjuge paciscitur de liberis suis ex priori matrimonio procreatis, ut illi cum procreandis liberis imposterum sic uniantur, quasi omnes ex iisdem parentibus nati ad hæreditatem parentum promiscuè admittantur: hæc prolium unio juri civili est incognita, *Gail. 2. Observat. 125.*

Voluntas & propositum delicta distinguunt, *l. 53. ff. de furt.* ideò voluntas delictum à non delicto, & peccatum à non peccato distinguit, *c. 54. X. de sentent. excommunicat.* quoniam in delictis dolus, malum propositum, nocendi animus, & scientia rei requiritur, quibus cessantibus delictum propriè non est commissum; delicta enim æstimantur affectu & animo agentis, *§. placuit 7. Inst. de furt.* [illegible] *& l. 3. §. 1. ff. de injur.* sic mens peccat, non corpus: quo respectu dixit Cicero pro Milone, non exitus rerum, sed hominum consilia vindicantur. Ob hanc rationem maritus ab adulterio excusatur, si uxoris soror ad decipiendum affinem suum se in lecto ejus pro sorore noctu dolosè collocet, fingatque personam uxoris, & maritus cum uxoris sorore quasi cum propria uxore carnaliter dormiat; ratio est, quia maritus non habuit intentionem & propositum violandi thorum conjugalem, *caus. 34. quæst. 1. can. 6.* Sic etiam excusatur tabellarius à furto, qui pecuniam sibi concreditam ipse in itinere ad necessaria vitæ subsidia consumsit animo

resti-

restituendi, quia non furandi animo alienam pecuniam dolosè contrectavit & alienavit: diversi enim fines diversos operantur effectus; e. gr. DEUS dedit Filium suum in mortem pro peccatorum nostrorum redemtione, Judas autem pecuniâ corruptus ipsum pessimè prodidit contra DEI legem. Prima DEI actio est justissima, pi'ssima, & misericordiæ plena, ad genus humanum redimendum; altera verò Judæ actio est pessima, diabolica & crudelitate plena, qui Salvatorem mundi, suumque Magistrum ob sordidum lucrum malitiosè prodere voluit. Hinc JCti afferunt, quòd præsumtiones, conjecturæ & circumstantiæ facti animum cujusque dolosum, vel non dolosum declarent, vide *l. 16. ff. de pœn. & l. 5. C. de instit. & substit.*

Voluntas coacta etiam est voluntas, *l. 21. §. 5. ff. quod metus causa.* intellige, secundum juris civilis rigorem, e. gr. qui me ceu rerum mearum dominum vi aut metu compulit ad eam necessitatem, ut ei res meas tradam, is jure stricto fur non est, quia non planè me invito rem meam contrectat, *l. 14. §. 12. ff.* ~~de furt. in integr.~~ sed vi aut metu elicit meum consensum. Jure autem prætorio voluntas coacta est nulla; ratio est, quia consensus in omnibus negotiis debet esse liber, & non coactus. Hinc Prætor non vult actus civiles & negotia humana habere rata, quæ non à contrahentis libera voluntate & consensu principaliter dependent. Ob eam rationem Juris-Consulti sibi formant tria liberi consensûs principia, (1) intellectum, (2) voluntatem, & (3) potentiam sivè facultatem, quorum uno deficiente, legitimus & perfectus consensus adesse non censetur. Ergò quoties circa negotium civile intellectui obest error; vel voluntati violentia aut metus; vel potentia deest, tunc deficit consensus: ob id nec furiosus, nec mente captus, aut fatuus, quà tales ob mentis exilium consentire possunt; sic nec infans, nec impubes, &c. ob imperfectum judicium civilia negotia solenniter agere possunt. Ex eodem principio summè ebrius, (quem furioso comparant jura) non tenetur fidem virgini datam servare, nisi postea edormitâ crapulâ sobrius promissa comprobet, *c. unusquisq. 12. quæst. 5.* Hîc Jus Canonicum cum Jure Civili statuit, quod coacta voluntas (intellige, si ea sit conditionalis) quoque sit voluntas, e. gr. si latro, vel alius minetur alteri, nisi hoc fecerit, morietur; si jam is, cui capitaliter minatus est latro, vivere cupiens metu mortis vult hoc facere, idemque seriò promittit latroni, ut vitam conser-

vet, utique est voluntas, *cauſ. 15. quæſt. 1. can. 1.* Contrarium verò ſtatuit Jus Canonicum in coactione abſoluta; ubi quis in tantum cogitur, ut ejus voluntas nihil quicquam cooperetur, manibus forſan pedibusque ligatus; quo caſu nec elicitum, nec imperatum emittit quis conſenſum. Hîc ſciendum, qui aliquid coactè promittit metu mortis, illud ratione principii extranei urgentis eſt involuntarium; aſt ratione finis, qui eſt majoris mali evitatio, eſt voluntarium, quia homo in illa neceſſitate conſtitutus minus malum eligit, ut majus effugiat.

Voluntatem quilibet regulariter re adhuc integrâ mutare poteſt, quia quilibet homo ſanæ mentis & perfectæ ætatis ante aliquod negotium civile inchoatum & approbatum, poteſt hoc facere & omittere pro arbitrio ſuo; poteſt inire contractum vel matrimonium; poteſt eadem quoque negotia negligere & nolle, prout ei placuerit; cum quilibet rerum ſuarum ſit moderator & arbiter. *l. 21. C. mandat.* Verùm ſi ea ſemel approbaverit, poſtea impunè recedere nequit; quippe neque contractum ſemel initum, neque matrimonium ſemel inchoatum pœnitentiâ ſuâ diſſolvere poteſt, ſed quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debet. *l. 5. C. de oblig. & action.* nam lex voluntatem in negotiis civilibus jam datam certo modo reſtringit, ut in ſponſalibus ſivè matrimoniis, contractibus, ſententia Judicis & aditione hereditatis; in quibus nemo voluntatem ſemel interpoſitam in alterius præjudicium mutare poteſt; *l. 75. ff. de R. J.* qui enim ſemel fidem dedit ſponſæ, vel ſpontè inivit matrimonium, ſanctum illud fœdus contraria voluntate malitiosè frangere nequit *cauſ. 32. q. 5. can. 17.* nec poteſt quis altero contrahente invito, à contractu ſemel perfecto temerè recedere. Quoniam omnia hæc negotia ab initio ſunt liberæ voluntatis; aſt ſupervenientè contrahentium conſenſu ſunt neceſſitatis, *d. l. 5. C.* ſub hac lege morali, quicquid alteri firmiter promiſiſti, illud fideliter & conſtanter ſerva: ne negotia humana in omnium & ſingulorum hominum perniciem ſemper in lubrico & inſtabili ſtatu inique hæreant; unde nil niſi lites & jurgia ad rempublicam perturbandã & tranquillitatem in ea tollendam emergunt. Ex hoc fundamento nec poteſt Judex ſententiam ſemel latam (undè victori jus eſt quæſitum) in præjudicium victoris poſtea liberè revocare, *l. 55. ff. de re judic.* nec is, qui ſemel adiit hereditatem (undè hæres creditoribus & legatariis tacitè eſt obligatus) eam iterum licitè repudiare poteſt *l. 4. C.*

de re-

de repud. vel abstin. heredit. Contrarium statuitur in ultima voluntate, sive in materia testamentorum, ubi regula sequens valet. Voluntas hominis ambulatoria est usque ad supremum vitæ exitum. In hiscè casibus testatori licet voluntatem semel in testamento declaratam pro arbitrio quovis tempore liberè revocare, testamentum & legata revocando, vel annihilando *l. 4 ff. de adim. & transferend. legat.* vel abolito priori testamento novum testamentum condendo. &c.

Urbs sumitur vel materialiter vel formaliter. Materialiter ratione ædificiorum & situationis: ita ut muri sint termini & finis urbis. Quo sensu suburbia non sunt partes urbis, sed ejus tantum appendices. Formaliter verò urbs accipitur pro ordinatione & jure; quo sensu & in suburbio habitantes censentur in urbe commorari *l. 2. ff. de verb. signif.* Hic probè observandum, quod urbes, propugnacula, regna & respubl. securitatis & communis utilitatis causa conditæ sint, ut homines in societatem hanc civilem coëuntes, eorumque bona legum, armorumque præsidio sint tuta, & ab omni fraude & violentia munita.

Usucapio (germanicè die Verjährung) est verbum compositum, ab usu & capiendo dictum: nam usus denotat possessionem, & vice versa possessio significat rei usum. *l. 115. ff. de V. S.* capere verò est acquirere: hinc usucapere juridicè nihil aliud importat, quàm per usum sive possessionem rei certo tempore definitam, rem ipsam acquirere: ideo usucapio sic definitur, quod sit adjectio sive adeptio dominii (scil. veri & pleni, contra quod non datur restitutio ex capite ignorantiæ) per continuationem possessionis tempore lege determinato *l. 3. ff. de usurpat. & usucap.* quando quis rem alienam bonâ fide (hoc est opinione alienam non esse) & justo titulo per tempora lege definita continuò possidet; ut res mobiles per integrum triennium; res immobiles inter præsentes per 10. annos, inter absentes per 20. annos absque interruptione quietè possidet; & sic ei acquiritur dominium rei tanto tempore possessæ. Imperator usucapionem in veri domini præjudicium ideo introduxit, ut mulctet socordem & negligentem dominum, qui tanto tempore passus est, res suas penès alium fuisse, ne rerum dominia semper sint in incerto, & ut aliquis litium reperiatur finis. Hic notandum, in materia usucapionis hodiè semper sequimur jus Canonicum, quod generaliter statuit, bonam fidem in usucapionibus & præscriptionibus

nibus semper requiri. *c. ult. X. de præscript.* ratio est, quia omne, quod non est ex fide, peccatum est. Usucapio hodie æquiparatur præscriptioni, quâ quis dominium rei à non domino bona fide (sivè opinione rem alienam non esse) & justo titulo acceptæ per continuam possessionem legitimè acquirit. Usucapionis requisita sequentibus versiculis inclusa invenies:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinquè.
(1) bona fides, (2) justus titulus (sivè justa causa possidendi) (3) res non vitiosa
(4) quod res tradatur, (5) tempus quoque continuetur;

(1) Bona fides est ignorantia alieni dominii & injustæ possessionis. Contra, mala fides est alieni dominii & injustæ possessionis scientia, quando quis scit, se rem alterius injustè possidere. (2) titulus est justa possidendi causa, *l. 24. C. de R. V.* quales sunt emtio, donatio, dotis datio &c. Ex dictis patet, quod possessori non sufficiat, rem justo titulo possidere, si bona fides exulet; utrumque enim conjunctum requiritur. (3) res non debet esse inhabilis, sivè vitiosa, puta, sacra, sancta, religiosa, furtiva, vel vi ablata. Ergo bona fides, & justus titulus nihil operari possunt ob vitium rei adhærens. (4) traditionibus & usucapionibus rerum dominia transferuntur, *l. 20. C. de pact.* ideo nulla usucapio sine civili possessione valet, *l. 25. ff. de usucap.* (5) continuatio temporis requiritur, ne usucapio ante completum tempus interrumpatur, alioquin exspirat; hinc continuata dicitur usucapio, quæ ante perfectam & impletam usucapionem non fuit interrupta. Causa efficiens usucapionis est lex civilis 12. tabb. quæ postea variis Principum constitutionibus in melius est producta, *pr. Inst. de usucap.* Materia sivè objectum sunt omnes res, exceptis iis, quæ expressè prohibentur, sivè sint mobiles, sivè immobiles, &c. Forma usucapionis ex definitione patet, estque possessio civilis, justa & legitimè continuata. Quod si verò quis non habeat possessionem civilem cum affectione domini conjunctam, sed saltem naturalem; nihil facit ad inducendam usucapionem. Ergo coloni, usufructuarii, commodatarii, depositarii, emphyteutæ, superficiarii, precariò possidentes, vasalli, creditores &c. qui rem aliquam detinent, vel possident, sed non animo domini, illi eam non usucapiunt, *l. 2. C. de præscript. 30. annor.* Finis est, ne rerum dominia sint incerta, & ut aliquis reperiatur litium finis, quas minui, & sopiri publicè interest, ad tranquillitatem in re-

in republ. conservandam. Effectus usucapionis est, quod dominium possessori adjiciat. *l. 20. ff. de pact.* Contraria sunt mala fides, & injustus titulus &c.

Usura est certa quantitas sorti (sive quantitati principaliter debitæ) accedens in re ejusdem generis; quæ ob pecuniæ mutuò datæ usum exigitur; *vel quòd idem*: usura est compensatio ejus, quod creditoris interest, usu pecuniæ suæ caruisse, quamdiu debitor pecunia sua usus est. Usuræ non simpliciter jure Divino sunt prohibitæ. *Exod. 22. v. 25. Levit. 25. v. 37. Deut. 23. v. 19. & Luca. 6. v. 34.* cum non sint per se & moraliter malæ, sed tales duntaxat ex accidenti, quatenus illicitè exiguntur: ideo tunc demum censentur malæ, quando usuræ sunt mordaces modum excedentes; vel quando ab egenis & miserabilibus personis sumuntur: ideo jure civili admittuntur usuræ moderatæ, quæ pro diversa personarum & negotiorum qualitate sunt diversæ *l. 26. C. de usur.* ut in nautico fœnere creditori majores usuras accipere licet propter periculum maris *t. ff. de nautic. fœn.* Hodie Recessibus imperii quincunces usuras, hoc est 5. pro centum annuatim petere licet ad facilitanda commercia, *vid. recess. imp. de anno 1548. & 1577. sub. titulo* von wucherlichen *contract.* Quod si omnis planè usura tanquam res mala in republica prohiberetur, rerum commercia valdè supprimerentur; quis enim in corrupto hoc seculo, refrigeratâ in tantum charitate Christianâ alteri mutuò daret pecuniam, si indè nihil commodi speraret; nullus sanè: & quid insuper foret injustius, & rationi naturali magis contrarium, quàm ut mercator, qui 1000. imperiales mutuò à me accepisset, meâ pecunia 300. vel 400. imperiales lucraretur, totumque hoc lucrum solus sibi retineret; & ego, qui forsan idem, vel non nihil minus mea pecunia ipse lucrari potuissem, pro carentia pecuniæ meæ nihil quicquam de lucro participarem; utique talis in tali casu fieret locupletior cum meo damno &c. Jus Canonicum quidem regulariter rejicit usuras, quæ proximo nocent; non verò eas, quæ non supprimunt proximum: hinc regulariter distinguit inter usuras quâ tales, & inter eas, quâ interesse damni; illas rejicit Jus Canonicum, has verò admittit. Ergo si rem juxta Canonum mentem non nihil altius perpendamus, Canones moderatas usuras non damnant, sed potius approbant.

Usuræ adhuc solvendæ ultra alterum tantum (sive aliud tantundem) neque ex mutuo, neque ex aliis contractibus jure debentur; ideo

ne-

nec peti possunt, *l.27.§.1. C. de usur.* hoc est, usuræ deberi desinunt, quando eo usque excreverunt, ut sortem æquent, & si tales à debitoribus solvantur, condictione indebiti licitè repeti possunt *l. 26.pr.ff. de condict. indeb.* Quod si vero usuræ particulariter per temporum intervalla jam sint solutæ, quæritur, num illæ etiam ad dupli computationem debitoribus proficiant? Resp. negando *per l. 10. C. de usur.* ratio est, quia hæ diversis temporibus particulariter jam solutæ non videntur debitores usque adeo gravare, quàm si usuræ sortem multitudine æquantes in una summa simul creditoribus sint solvendæ.

Usura an usuram parere possit? Resp. quod non; ratio est, quia Jura civilia prohibent anatocismum, hoc est, usuras usurarum; ne usuræ prioris anni sorti annumerentur, & sic inde sequenti anno iterum usuræ solvantur, *leg. fin. Cod. de usur.* quia est contra charitatem proximi, usuras in sortem redigere, quod faciunt Judæi. Ideo talis creditor usurarius notatur infamia, *l.20. Cod. ex quibus caus. infam. irrogat.*

Ususfructus (germanice eine Fruchtniessung) generaliter consideratus accipitur dupliciter, (1) formaliter, (2) materialiter; ususfructus formalis non est dominii pars, sed servitutis, *l. 25. ff. de V. S.* quod ex definitione constat; ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi salvâ rerum substantia; cum non ipse Dominus, sed usufructuarius commodum rerum percipiat. Ergo ususfructus non est dominii pars, sed saltem inservit usufructuario. Contra, ususfructus materialis sivè causalis, quem impropriè duntaxat vocamus usumfructum, est pars dominii, *l. 4. ff. de usufruct.* qui propriè ad materiam servitutis non spectat; ratio est, quia non est species servitutis: dum res propria nemini serviat, *l. 26. ff. de servit. urban. præd.* & *l. 5. ff. si usufr. petatur.* usumfructum formalem immediatè constituit lex vel voluntas domini; sic lex usumfructum immediatè constituit patri in bonis liberorum non emancipatorum adventitiis vi patriæ potestatis, *§. 1. Inst. per quas person. cuiq. acquir.* voluntas domini usumfructum bonorum immediatè constituit liberis suis, amicis vel aliis pro arbitrio ad certum tempus, vel ad vitæ dies. Causa efficiens ususfructûs est duplex, (1) lex immediatè usumfructum deferens patri in bonis liberorum ob patriam potestatem &c. (2) voluntas domini usumfructum alicui ex gratia constituentis per legatum vel inter vivos, *d. §. 1. Inst.* Materia in qua constituitur ususfru-

fructus, sunt res mobiles vel immobiles, *§.2.Inst. d. t.* Forma consistit in jure percipiendi commoda ad vitæ dies, & obligatione ferendi onera; nam usufructuarius obligatur ad duo præstanda; (1) ut omnem rei, cujus usumfructum percipit, curam in se suscipiat custodiendo, reficiendo (si sumtus sint modici) sartam tectam conservando, damna avertendo, *l.7. C. de usufruct. l.7. §.2. ff. d.t.* gregem ex fœtu supplendo, loco demortuarum arborum alias plantando. (2) tenetur usufructuarius tributa & collectas solvere, *l.27. §.3. ff. h.t.* ratio hujus assertionis est, quia commoda & fructus percipit possessor, nam sicuti usufructuarius omnia commoda & emolumenta ex re usufructuaria nascentia percipit, *l.7. pr. & §.2. ff. h.t.* ita etiam inde regulariter onera nimirum tributa, vectigalia, refectionem ædium &c. sustinere debet, *l. 27. §.3. ff. ibid.* qui enim vult sentire alicujus rei commodum, is & incommoda ejus ferre debet, *l.10. ff. de R.J.* Quod si verò sumtus ultra fructus se extendant, excessum refundere tenetur proprietarius; usufructus constituitur inter vivos traditione, si is conventione promissus sit, vel constituitur ipso jure per legata. Unde actio confessoria datur legatario contra heredem ad usumfructum rei consequendum; si heres rem fruendam tradere nolit legatario. Finis & effectus est, (1) quod usufructuario re aliena ad vitæ finem & non ulterius frui liceat. *§.3. Inst. h. t.* quia ususfructus personæ usufructuarii adhæret, & ad heredes non transmittitur *l.3. §. fin. ff. h.t.* (2) effectus est, quod usufructuario liceat usumfructum alteri locare, vendere, aut oppignorare, *l. 8. princ. ff. de reb. author. jud. possid.* quia usufructuarius in hisce casibus frui videtur: si modo non ipsam rem usufructuariam distrahat, vel oppignoret, quod in domini directi præjudicium usufructuarius jure facere nequit, *l. 9. C. de usufruct.* Hîc occasionaliter quæritur, an usum prædii alieni ex domini concessione habens, ipsum etiam usumfructum habere censeatur? Resp. quod non, quoniam id partim ex usus & ususfructus definitione, partim ex aliis subsequentibus rationibus patet. Usus est servitus mixta, quâ usuarius ex re aliena commodum saltem ad necessitatem suam & quotidianum usum percipit, salva rei substantia, *l. 1. & l. 19. ff. de usu & habitat.* indè patet, quod ususfructus sit jus quoddam largius ipso usu, undè quis omnem rei utilitatem & emolumentum percipit, ex usu autem quis ea duntaxat percipit, quæ ad necessaria vitæ subsidia pro se & familia sua spectant, vescendo oleri-

oleribus, pomis, frumentis, utendo lignis, floribus &c. *l. 12. §. 1. & l. 15. ff. ibid.* Ergo usuario non licet frui iis rebus ad compendium & lucrum, ut illa, quæ ex fructibus & frugibus superfunt, licitè divendere possit, sicuti usufructuario est permissum, qui omnes fructus percipit, eosque pro arbitrio divendere potest, sed usuarius cogitur reliquos fructus domino proprietatis relinquere, *dict. l. 1. & L. 12. ff.*

Vulnus homini inflictum vel est lethale, vel non est lethale. Vulnus præsumitur lethale, si vulneratus intra triduum mortuus fuerit. Ut autem Judex sine hæsitatione de vulneris qualitate & lethalitate sit certior, ad vulneris inspectionem mittere debet Medicos & Chyrurgos, quorum judicio principaliter standum est, *ordin. crim. art. 149. in verb.* einen oder mehr Wund-Artzt. Ratio est, quia hoc judicium potius ad sententiam Medicam, quam legalem pertinet, *Mascard. de probat. conclus. 1034.* Ergo si Medici & Chirurgi ex inspectione vulneris unanimiter judicaverint, vulneratum ex inflicto vulnere post septimi, octavi, vel noni diei lapsum obiisse, tunc diuturnitas temporis non excusat lethalitatem, sed pœna capitalis reo dictanda, & infligenda est. Quòd si verò Medici & Chirurgi de vulneris lethalitate dubitent, tunc pœna delinquentis mitiganda est, quia melius est misericordiæ, quàm sævitiæ sive crudelitatis reddere rationem, *c. allegant. caus. 26. q. ult.*

Vulnus illatum in quantum vulnerantem obligat? Resp. Jus Romanum statuit, si quis ob vulnera illata aut membri mutilationem agat, tunc doloris, cicatricum, & deformitatis non habetur ratio, *§. 1. in fin. Inst. de obligat. quæ ex quasi delict. nasc.* Contrarium docet praxis & hodierna consuetudo, ut si virginis facies in tantum sit fœdata, vel vulnerata, ut commodè nubere non possit sui simili, nisi ampliori dote promissa; quo casu damni illati autor pro deformitate aliquid solvere cogitur: cum formosis sit dos altera forma: hinc rectissimè asseritur, quod virgo formosa, licet sit valdè pauper, nihilominus satis censeatur dotata, quæ marito affert exoptatam pulchritudinem, gratiam, & virginitatis florem, intellige, si formosa sit casta.

Uxorem olim in Republica Romana non ducens graviter mulctabatur veluti ingratus erga naturam, *tit. Cod. de infirmand. pœnis cœlibatus.* Sic lex Papia severè prohibebat, ne cœlebs heres institu-

tus quicquam ex testamento extranei caperet, nisi intra centum dies à morte testatoris matrimonium iniret. Hæc cœlibum pœna, hodiè est sublata; & quidem ob rationabilem causam: nam ubi nullum est delictum, ibi nulla etiam à Magistratu definiri potest pœna, cum virginitas potius favore, quàm pœnâ sit digna; quo statu nihil purius, nihilque sanctius esse potest, si piâ & purâ mente religiosè servetur: ast si quis nomine tenus virginitatem saltem conservare prætendat, hoc est, nudum titulum spretâ quasi vera virginitate, tunc est status pessimus, exemplo earum mulierum, quæ interrogantibus, (an non essent virgines.) rotundè responderunt, debebamus esse virgines: tales (virgines olim fuimus;) ubique terrarum plurimæ inveniuntur, quæ sub falso virginitatis colore juvenes lautè fallere solent. Occasionaliter hic quæritur, quid sentiendum sit de sequenti quæstione, animi recreandi gratia saltem prolata? Utrum melius & tolerabilius sit cornutum vulgò censeri, nec talem revera existere, an talem in quarto modo esse, nec pro tali communiter æstimari? ad hæc congruè respondeo; quamvis viro honesto ob famam conservandam neutrum placeat, si tamen ex hisce duobus malis unum necessariò eligendum esset, moraliter & Theologicè loquendo primum prævaleret; ut ut mundo placentes alterum tutius æstiment: ratio assertionis meæ est, quia plus est, quod est in veritate, quâm quod in opinione; hoc est, veritas opinioni semper præferenda est. Ergo fallant (dum mundus vult decipi) & fallantur contrarium statuentes & filii hujus mundi; cum DEUS cordium scrutator optimus ac unicus homines in extremo judicio non secundum perversam & præconceptam mortalium opinionem, sed secundum rei veritatem examinaverit, eorumque actiones verè dijudicaverit &c. Cæterum uxoribus frustra à maritis custodes pudicitiæ adjunguntur, si ipsæmet pudicitiam sponte conservare non studuerint; cum nec centoculus Argus fallacium mulierum astutiam & malitiam præcavere sufficerit: tam astutum & fallax animalculum est mulier. Ad quod lepidè alludit Oënus.

Fœmina nulla bona est, aut si contigerit ulla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

Ad hoc argumentum urgendum mihi olim in Suecia dixit uxor quædam illustris perraræ formæ; si meum maritum deprehende-

rem ex quadam conjugii diffidentia nimis anxiè in actiones meas inquirentem, utique ei in vindictam studio ignominiosè imponerem cornua. Egregia sanè vindicta, quæ propriam ignominiam & conscientiæ vermem progenerat. Hic animi recreandi gratia porrò quæritur, utrum in vita civili tolerabilius sit paupertate semper premi, ducta formosa uxore, an deformem ducere uxorem divitiis affluentibus? Resp. quamvis oculis perquam grata sit formosa & jucunda puella; si tamen ex duabus odiosis conditionibus alteram eligere oportet, malo carere consortio formosæ puellæ, cumque deformi conjungi, quàm durum paupertatis jugum pati, quo malo nihil intolerabilius: externa namque mulierum deformitas solet ut plurimum dotibus animi compensari: in tali casu longè melius est, habere vitæ sociam dotibus animi, quàm corporis præditam: formosa enim tot infinitis juvenum dolis & insidiis periculosè exposita est, ut centoculus Argus hic decipiatur. Ipsos etiam insuper maritos egregia uxorum forma sæpè vitæ periculo exponit: vivum habemus exemplum in Abrahamo, qui ob raram uxoris Saræ pulchritudinem in tanto vitæ periculo erat constitutus apud Ægyptios, concupiscentes eam, ut se Saræ fratrem pro marito falsò fingeret. *vid. Genes. 12. v. 11. & seq.* idem infortunium obtigit Isaaco, qui ob egregiam uxoris Rebeccæ formam occidi metuit. *vide Genes. 26. v. 7. & seqq.* Antecedentem hanc meam sententiam mundo placentes adhibitis illicitis remediis impiè approbare solent, non bono mecum, sed malo fine, dicendo, paupertatis malum in conjugio esse incurabile, deformitatis verò malum certis remediis tolli vel sublevari posse: ob id se primum ceu summum malum aversari, & alterum utcunque tolerabile amplecti, juxta impiam impuri Poëtæ instructionem

Si Tibi deformis conjux, si serva venusta,
Utaris serva &c.

Quoniam sufficere putant deformem saltem honoris causa habere conjugem, & ancillam formosam loco ejus substituere &c. quales petulantes & lascivi homines sibi sub peccatis levibus, revera tamen mortalibus perversè persuadent, formosam ancillam sibi in jucundis & sordidis amplexibus id supplere, quod illis deformitas uxorum in conjugio & perpetua cohabitatione denegaret, quod propositum Epicureum Deo per omnia displicet.

Uxor

Uxor consequitur mariti dignitatem & nobilitatem, licet sit plebeja *l. 8. ff. de Senator. l. 13. C. de dignit.* ratio est, quia uxor mariti radiis coruscat, ejusque conditionem sequitur. *Novell. 105. c. 2. & l. fin. C. de nupt.* item familiam, domicilium, & forum mariti consequitur. *l. 65. ff. de judic. & l. pen. ff. de jurisdict.* & per consequens liberi patris, non matris conditionem sequuntur. *l. 19. ff. de stat. hom.* Ex his principiis porrò fluit, quod uxor omnia privilegia, & eundem dignitatis statum post mariti fata retineat illæsum, quem vivente marito habuit; ideo opificum viduæ gaudent privilegiis opificum, nisi ob fornicationem supervenientem se collegii privilegiis indignas reddiderint. Ex opposito, si uxor nobilis viro ignobili nupserit, nobilitatem amittit, *d. l. 8. ff. de Senator.* Idem de liberis è tali matrimonio natis asseritur; ratio est, quia non mater, sed pater nobilitat. *d. l. 19. ff.*

Uxor & concubina jure civili distinguuntur solâ animi destinatione *l pen. ff. de concubin.* & nisi dignitate inter se distinguerentur, nihil interesset inter uxorem & concubinam, *l. 49. §. 4. ff. de legat. 3.* quia vox uxoris, matrisfamilias & Dominæ sunt nomina dignitatis & honoris. Contra, concubina est nomen voluptatis; quando quis extra matrimonium mulierem diuturnæ cohabitationis & veneris illicitæ causa alit, liberos ex illa non legitimos, sed naturales suscipit &c. Concubina tamen per diuturnam cohabitationem æque cum viro corpus miscet, sicuti uxor cum suo marito: nec vir concubinam habens poterat olim aliam superinducere ad libidinem & luxuriam hominum restringendam *Novell. 18. c. 5. in med. &c.* In corrupto hoc seculo jam eo proh dolor res devenit, ut quidam Reges & Principes sordidum & illicitum concubinarum amorem ac amplexus casto conjugali amori longè præferant: exempla multa sunt in promtu; ast cum sint odiosa, & omnibus nota, illa tacitè prætereo, ne quosdam Majorum gentium studio offendere videar.

Uxor pro dote restituendâ vel conservandâ à marito fidejussorem exigere nequit; Ratio est, quia fidejussorem expetens videretur marito diffidere, & plus fidei extraneo fidejubenti, quàm marito tribuere; cum tamen se, suamque vitam marito committat: undè jurgium, rixæ, pravæ suspiciones inter conjuges erumperent; quæ omnia à statu conjugali amovenda sunt, ne conjugia reddantur infelicia.

Uxor ob mariti furtum, vel aliud crimen commissum, excepto adulterio, à marito non separatur, *l. 24. C. de donat. inter virum & uxorem.* quos enim DEUS conjunxit, homo non separet. Ergo sicuti uxor dignitatis mariti est particeps, ita ejus infortunii, *l. 22. §. 7. ff. solut. matrim.*

Uxor ob commissum adulterium privatur dote, *l. 8. §. 4. C. de repud.* quia fidem conjugalem malitiosè fregit. Quod si eam maritus in adulterio deprehensam ex nimio iracundiæ fervore necaverit, non ultimo supplicio, sed mitiori pœnâ (in exilium missione) delictum ejus punitur; quia justum dolorem in tam turpi causa temperare non potuit, *l. 4. Cod. de adult.* hoc uxoricidium longè gravius æstimat Jus Canonicum, ut ex *caus. 33. quæst. 2. can. 6.* videre licet. Quod si verò maritus quoque concubinam vel meretricem habuerit, dotem uxor ob adulterium non amittit; Ratio est, quia uterque in eodem delicti genere deprehensi sunt. Undè paria delicta mutuâ compensatione tolluntur, *l. 39. ff. solut. matrim.* Interim utriusque conjugis delictum coram DEO non excusatur: quoniam scortatores & adulteri regnum DEI non possidebunt, nisi prævia pœnitentia convertantur.

Hic

Hîc in fine libri ſubjungere placuit unum ex Programmatibus meis, quæ ut olim Academiæ Rector in Carolina Gothorum Academia Londini Schanorum anno 1668. publicè intimavi, verba ejus ſunt ſeqq.

Pereximiis & Literatisſimis Dominis Studioſis at atatem hic Londini Schanorum degentibus Rector (tunc temporis) Academiæ Carolinæ NICOLAUS BECKMANN, J. U. D. & Juris Romani Profeſſor Ordinarius: Salutem plurimam dicit.

UTinam omnium Studioſorum cordibus paterna illa Ciceronis ad filium adhortatio eſſet inſcripta. Mi Fili, Athenas, tanquam ad mercatum bonarum artium abiiſti, inanem redire, & tibi probroſum, & ſtudiis tuis exitioſum foret. Multas enim absque fructu viſitare Academias, ampla ingredi auditoria, ſuperba divitum & Magnatum ſuſpenſa mente aſpicere palatia, optimarum civitatum turres, portas, valla, foſſas, armamentaria, & extructa, ad ſtuporem uſque curioſè examinare propugnacula, per ſe parum, aut nihil juvat: ſiquidem ad ſolidam eruditionem conſequendam grata hæc oculorum pabula inverſo ordine nihil quicquam conferunt; ſed domi indefatigata diligentia & publicè Doctorum & Profeſſorum doctæ prælectiones adjunctâ deinceps peregrinatione omne abſolvunt. Ut tales ſucceſſu temporis cum omnium bonorum applauſu condignè evadant, qui Sereniſſimo & Potentiſſimo noſtro Regi Carolo XI. dulciſſimæ Patriæ, & Proximo ſuo ex voto inſervire valent. Liberales quippè artes Rempubl. inſigniter juvant, quarum Cultores nobiliſſimâ hâc ſcientiâ totum illuſtrant mundum. *Auth. habita. C. ne filius pro patr.* ut ſic Galli Academiam haud indignè vocaverint, la fontaine dr Helicon, le havre des Muſes, & l'Ocean des ſciences. Spretis verò his neceſſariis expoliendæ mentis requiſitis, haud raro evenire ſolet, ut multa præclara ingenia amore deteſtandi otii, luxus, debachationis, & intempe-

ſtivæ

ſtivæ peregrinationis voluntariam ſæpè perniciem anxiè quærant, dum nec arte, nec Marte emergere conantur. Nolo tamen mihi quiſpiam præter intentionem & proprium meum exemplum hanc affingat mentem, quaſi omnem omninò peregrinationem cum imperitis ruſticis & domi perpetuò latitantibus damnem, abſit. Multum certè utilitatis in Rempublicam ex ea redundat, ſi illa tempeſtivè & prudenter inſtituatur; hoc eſt, peregrinationem ſuſcepturus ejus ſit ætatis, & qualitatis, ſivè eruditionis, ut Rerumpublicarum formas, earum virtutes & vitia, mores populorum, atque varias variorum hominum converſationes & ingenia cum accurato Gauzio, & aliis politioris ingenii hominibus accuratè obſervare queat. Contrà, qui vel tenerrimæ adhuc ſunt ætatis, vel literarum rudes, aut ſatis tenuiter in literis inſtructi, quid quæſo commodi ex moleſta & pretioſa peregrinatione haurire poſſunt. In hos meritò quadrat vulgare illud: qui trans mare currunt,cœlum, non animum mutant. Quapropter ne Studioſorum quiſquam ſpem parentum, cognatorum; vel noſtram cum inæſtimabili temporis & patrimonii diſpendio miſerè fallat, omnes & ſingulos ſtudiorum gratia hic viventes ſedulò adhortamur, ut hodiè, qui eſt 17. Sept. M DC LXVIII. horâ 2. pomeridianâ in majori templi auditorio conveniant, nominaque ſua certis Profeſſorum lectionibus adſcribi curent, & ſub noſtrâ directione, fideli informatione aliquid re & nomine dignum addiſcant; atque ſic cum fructu tandem, quibus accepta eſt peregrinatio, peregrinari incipiant. Sicut hâc in re ſingulorum diligentiam & obedientiam percepturi ſumus, ita nos ad omnia honeſta & poſſibilia officia quovis tempore paratiſſimos invenient. Valete. Dabam Londini, die 17. Septembris Anno M DC LXVIII.

Huic

Huic tandem addo quædam ex hodierna Imperii matricula, ut studiosa juventus inde aliquod in jure publico lumen consequatur. Hinc sequentia probè notanda sunt.

So offt Reichs-Anlagen pro temporum necessitate in Imperio R. gemacht werden / muß ein jeder Stand im Reich / (es seynd Churfürsten / Fürsten / Grafen / Reichsstädte / oder andere) pro quota nach der Reichs-Matricul für jeden Monat geben / wie folget: insonderheit müssen sie für einen jeden Mann zu Roß geben 12. fl. und für einen jeden zu Fuß 4. fl. Die Verzeichniß dieses allgemeinen Anschlages ist nach die zehen Circulos Imperii eingerichtet / worvon ich nur die vornehmsten Stände hierinn angezogen.

Primus Imperii Circulus est Austriacus.

Wiewol das Hochlöbliche Hauß Oesterreich exemt, und des Anschlages befreyet / so gibt es dennoch so viel / als zwey Churfürsten / nemlich 3656. fl. oder 120. zu Roß / und 554. zu Fuß / und das wegen Oesterreich / Tyrolen / Steyer / Kärnten und Krain. Dann

1. Oesterreich ob- und unter der Ens / gibet monatlich hierzu an Geld 1218. fl. oder gibt zu Roß 40. Mann / und zu Fuß 184.
2. Tyrolische Länder geben auch monatlich an Geld 1218. fl. oder 40. zu Roß / 184. zu Fuß.
3. Stäyer / Kärnten und Kräin geben 1218. fl. 40. zu Roß / 184. zu Fuß.
4. Bißthum Tryent vertritt Tyrolen / gibt 532. fl.
5. Bißthum Brixen vertritt Tyrolen / gibt 532. fl. 14. zu Roß / 91. zu Fuß.
6. Grafschafft Kirchberg vertritt Tyrolen / 28 fl.
7. Stadt Constantz gibt 236. fl. Summa 4984. fl.

Hhhh Secun-

Secundus Circulus Imperii est Burgundicus.

Unter welchen die Nieder-Länder gerechnet werden.

Weil Burgund mit seinen Ländern vom Reich soll geschützet werden/ so hat es vormahls so viel gegeben / wie zwey Churfürsten / als 3656. fl. oder 120. zu Roß/ und 554. zu Fuß/ allein weil dieser Kreyß unter den König von Spanien gehöret / hat er in vielen Jahren zum Reich nichtes contribuiret.

Tertius Circulus Imperii est Electoralis Rhenanus.

1. Churfürst zu Meintz bezahlet wegen des Churfürstenthum Monatlich 1828. fl. oder 60. zu Roß/ 277. zu Fuß.
2. Churfürst zu Cöllen gibt wegen des Churfürstenthum 1828. fl. 60. zu Roß/ und 277. zu Fuß.
3. Churfürst zu Trier/ hat zuvor pro Electoratu, Monatlich gegeben 1216. fl. 40. zu Roß 184. zu Fuß/ ist aber anietzo auf 806. fl. moderiret.
4. Churfürst Pfaltzgraf gibt wegen an Chur Beyern übergebene Ober-Pfaltz nur die Helffte des Churfürstl. Anschlages / als 914. fl. 30. zu Roß und 138½. zu Fuß.
5. Probstey Seltz gibt 24. fl. 1. zu Roß/ 4. zu Fuß.
6. Balley Coblentz/ 128. fl. 4 zu Roß 20. zu Fuß.
7. Fürsten zu Arenberg 48. fl. 2. zu Roß 6. zu Fuß
8. Graffschafft Nieder Eisenburg 56. fl. 2. zu Roß 8. zu Fuß.
9. Herrschafft Reineck 12. fl. &c. In diesen Churfürstl. Rheinischen Kreiß seynd 11. Stände/ (worvon ich nur die vornehmsten Kürtze halber specificire) als da seynd 4. Churfürsten/ 3. geistliche (welche auch Ertzbischöffe seynd) und ein Weltlicher/ 1. Balley/ 1. Probstey/ 3. Graffschafften/ 2. Herrschafften.

Quartus Circulus Imperii est superior Saxonicus.

1. Churfürst zu Sachsen gibt wegen des Churfürstenthum 1984. fl. zu Roß 65. zu Fuß 301.

2. Diese drey folgende Bisschofthümer als Meissen/Märseburg und Naumburg werden von ChurSachsen sine onere eximiret, haben sonsten iedweder geben Monats 96. fl.
3. Gibt ChurSachsen für den 4. Aembtern in Thüringen/als Weida/ Sachsenburg/ Arnshag und Zügenrück 140. fl. Monatlich.
4. Imgleichen gibt ChurSachsen für ihr halbes Theil in Voigtland 304. fl. 10. zu Roß und 36. zu Fuß.
5. Gibt ChurSachsen für 4. folgende Graff- und Herrschafften/ als (1. für der Graffschafft Leißnigk 20. fl. (2. für der Graffschafft Beuchling / in Thüringen/ 24. fl. (3. für der Graffschafft Tautenberg 28. fl. und (4. für der Herrschafft Wildenfels 20. fl.
6. Der Churfürst zu Brandenburg gibt wegen seins Churfürstenthum 1828. fl. 60. zu Roß und 277. zu Fuß.
7. Das Bisthum zu Brandebuerg vertritt der Churfürst daselbst/gibt sonsten davon 64. fl. 2. zu Roß 10. zu Fuß.
8. Das Bisthumb Havelberg 240. fl.
9. Das Bisthum Lebus 120. fl.
10. Sachsen Altenburg gibt 228. fl.
11. Sachsen Weymar 219. fl.
12. Sachsen Gotha 219. fl.
13. Sachsen Coburg gibt 316. fl. 10. zu Roß 49. zu Fuß.
14. Hertzogthum Pommern wird in vor- und hinter Pommern getheilet/jenes hat Schweden zuvor gehabt/ dieses Brandeburg/ ietzo aber besitzet es Brandeburg fast allein / gibt iedes zum halben Theil 604. fl. erst zusammen 1208. fl. 34. zu Roß 200. zu Fuß.
15. Das Bisthum Kamin vertritt ChurBrandenburg 184. fl. 6. zu Roß 28. zu Fuß.
16. Fürst zu Anhalt gibt Monats 188. fl. 9. zu Roß 20. zu Fuß.
17. Abtey Gernigeroda vertritt Anhalt 36. fl.
18. Abtey Walckenried gibt 48. fl.
19. Abtissin zu Quedlinburg gibt 52. fl. 1. zu Roß 10. zu Fuß.
20. Die Grafen zu Schwartzburg von den 4. Grafen des Reichs in Thüringen geben 200. fl. 7. zu Roß 29. zu Fuß.
21. Die Grafen von Stollberg zahlen an der Graffschafft drey viertel/als 63. fl. und ChurSachsen ein drittheil/als 21. fl.

22. Die Graffschafft Mansfeld gibt insgesambt 300. fl. 10. zu Roß und 45. zu Fuß / hiervon geben die Grafen nur 120. fl. das übrige gibt ChurSachsen und Magdeburg.
23. Die Herren Reussen zu Graitz und Kranichfeld geben sämbtlich alle Monat 96. fl. 3. zu Roß 15. zu Fuß.

In Obersächsischen Kreiß seynd 2. Churfürsten / 7. Bischoffe / 2. Abte/ 2. Abtissinnen/ 2. Hertzoge / 1. Fürst / 1. Burggraf/ 9. Grafschafften/ 6. Herrschafften.

Quintus Circulus Imperii est Franconicus.

1. Bischoff zu Bamberg gibt Monats 1088. fl. 30. zu Roß 182. zu Fuß.
2. Bischoff zu Würtzburg 1372. fl. 45. zu Roß 208. zu Fuß. idem vertrit die Stadt Schweinfurt 20. fl. oder 5. zu Fuß.
3. Bischoff zu Eichstadt 768. fl. 20. zu Roß 132. zu Fuß.
4. Der teutsche Meister 448. fl. 19. zu Roß 151. zu Fuß.
5. Die Marggrafen zu Brandenburg/ Kulmbach und Onoltzbach geben ieder zur helffte 1032. fl. 34. zu Roß 156. zu Fuß / das ist/ ieder 516. fl. 17. zu Roß 78. zu Fuß.
6. Die Grafen zu Wertheimb / geben 160. fl.
7. Die Grafen zu Hohenlohe sämbtlich 256. fl. 8. zu Roß 40. zu Fuß.
8. Grafen zu Lövenstein 160. fl. 5. zu Roß 25. zu Fuß.
9. Grafen zu Erbach 56. fl.
10. Der Graf zu Schwartzenberg in Francken/ ist Anno 1674. aufm Reichs-Tag zu Regenspurg im Fürsten-Rath Solenniter aufgenommen/ ist anietzo Reichs-Hoffrahts Præsident 24. fl.
11. Graffschafft Reineck und Lahr am Main unter Carlstadt gibt 64. fl. 2. zu Roß 10. zu Fuß / diese Graffschafft ist außgestorben/ succediren Chur-Maintz/ Graf von Erbach und Hanau.
12. Die Herren Schencken zu Limpurg semper frey Speckfelder Linie und Geilendorff geben zusammen 116. fl. 4. zu Roß 17. zu Fuß.
13. Herrn von Seinsheim geben 28. fl. 1. zu Roß 4. zu Fuß.
14. Stadt Nürnberg 1480. fl. 40. zu Roß 250. zu Fuß.
15. Stadt Rotenburg an der Tauber 380. fl. 10. zu Roß 65. zu Fuß.

16. Stadt

16. Stadt Winsheim 168. fl. 4. zu Roß 30. zu Fuß.
17. Stadt Schweinfurt wird von Würtzburg eximiret/ wie schon erwehnet.
18. Stadt Weissenburg am Nortgau 100. fl. 3. zu Roß 16. zu Fuß. Im Fränckischen Kreiß seind 22. Stände. Als 3. Bischöfe/ 1. Teutsch-Meister/ 1. Probstey/ 1. Marggraf/ 1. Gefürstete Grafschafft / 7. Grafschafftten / 3. Herrschafften / 5. Reichs-Städte.

Sextus Circulus Imperii est Bavaricus.

1. Ertz-Bischoff zu Saltzburg / gibt 1828. fl. 60. zu Roß 277. zu Fuß.
2. Bischoff zu Passau 528. fl. 18. zu Roß 78. zu Fuß.
3. Bischoff zu Freysingen 464. fl. 12. zu Roß 80. zu Fuß.
4. Bischoff zu Regenspurg 216. fl. 8 zu Roß 30. zu Fuß.
5. Probst zu Berchtolsgaden 104 fl. 2. zu Roß 20. zu Fuß.
6. Abt zu Keisersheim gibt 288. fl. 4. zu Roß 60. zu Fuß.
7. Abt zu St. Emmeren in Regenspurg 96. fl.
8. Abtissin zu Nieder-Münster in Regenspurg 24. fl.
9. Abtissin zu Ober-Münster daselbst 24. fl.
10. Hertzog in Beyern gibt wegen die Ober-Pfaltz im Anschlag Monatlich 1828. fl. oder 60. zu Roß 277. zu Fuß. idem eximiret die Landgrafschafft Leuchtenberg / die Grafschafft Haag und Grafschafft Ortenburg.
11. Der Pfaltzgraf zu Neuburg gibt 640. fl. 20. zu Roß 100. zu Fuß woran Pfaltz-Sultzbach etwas erlegen muß.
    idem vertrit die Herrschafft zu Heideck/ gibt 88. fl. und die Herrschafft Stausenfels/ 36. fl.
12. Herren von Wolfenstein 40. fl.
13. Herren von Meichselrein 20. fl.
14. Stadt Regenspurg 320. fl. 10. zu Roß und 50. zu Fuß.

Im Beirischen Kreiß seind 19. Stände/ als 1. Ertz-Bischoff/ 3. Bischöfe / 1. Probst / 3. Abte / 2. Abtissin / 2. Pfaltzgrafen / 1. Landgraf / 2. Grafschaften/ 3. Herrschafften/ 1. Reichs-Stadt.

Septimus Circulus Imperii est Suevicus.

Der Schwäbische Creiß.

1. Bischoff zu Augspurg giebt 652. fl. 21. zu Roß 100. zu Fuß.
2. Bischoff zu Constantz 204. fl. 7. zu Roß 30. zu Fuß.
3. Die gefürstete Abtey Kempten giebt 152. fl. 6. zu Roß 20. zu Fuß.
4. Die gefürstete Probstey Elwangen 132. fl. 5. zu Roß 18. zu Fuß.
5. Die Abtey zu Reichenau vertrit der Bischoff zu Constantz 40. fl.
6. Abt zu Salmans-Weiler giebt 316. fl. 4. zu Roß 67. zu Fuß.
7. Abt zu Weingarten 120. fl. 4. zu Roß 18. zu Fuß.
8. Abt zu Weissenau 80. fl. 2. zu Roß 14. zu Fuß.
9. Abt zu Petershausen 24. fl.
10. Abt zu Schußenriet 80. fl.
11. Abt zu Roggenburg 64. fl.
12. Probst zu Wellenhausen 24. fl.
13. Abt zu Ochsenhausen 128. fl.
14. Abt zu Marchthal 44. fl.
15. Abt zu Elchingen unter Ulm giebt 88. fl. 3. zu Roß 13. zu Fuß.
16. Abt zu Münchroth 44. fl. 1. zu Roß 8. zu Fuß.
17. Abt zu Aursberg 40. fl.
18. Abt zu Gegenbach 24. fl.
19. Abt zu S. Ulrich in Augspurg wird vom Bischoff zu Augspurg eximiret.
20. Abtissin zu Lindau ist eine gefürstete Abtissin 20. fl. 5. zu Fuß.
21. Abtissin zu Buchau ist auch eine gefürstete Abtissin 48. fl.
22. Abtissin zu Rotenmünster bey Rothweil 28. fl.
23. Abtissin zu Hegenbach bey Biberach 20. fl. 5. zu Fuß.
24. Abtissin zu Gutenzell bey Tübing 20. fl. 5. zu Fuß.
25. Abtissin zu Bund 12. fl. 3. zu Fuß.
26. Alschhausen der Land-Commendator wegen der Balleyen Elsas und Burgund 169. fl. 3. zu Roß 31. zu Fuß.

27. Der

27. Der Hertzog zu Würtenberg hat vor den Krieg gegeben 1828. fl. 60. zu Roß 277. zu Fuß / worunter die gefürstete Grafschafft Mümpelgart / die Herrschafft Steußlingen / die 2. Aemter Oberkirch und Ettenheim gerechnet / (so der Bischoff von Straßburg pro tempore possediret) wie dan auch die Klöster im Lande / welche anjetzo abgehen ꝛc. item die Grafschafft Löwenstein hat er zu vertreten.

28. Der Marggraf von Baden Durlach giebt wegen der halben Marggrafschafft Baden 452. fl. 17. zu Roß / 62. zu Fuß / worunter Baden / Hochberg / Röttein und Sausenberg gerechnet werden.

29. Der Marggraf zu Baaden Baden giebt wegen die Obermarg-Grafschafft 416. fl. 18. zu Roß 50. zu Fuß / unter diesen wird gerechnet die Grafschafft Sponheim.

30. Die Fürsten von hohen Zöllern geben wegen der halben Werdenbergische Güter und Sigmaringen pro quota 138. fl. 4. zu Roß 22. zu Fuß.

31. Die Grafen zu Fürstenberg geben wegen der Grafschafft Baar 192. fl. 6. zu Roß und 30. zu Fuß / Item geben wegen die Helfte der Gräflichen Werdenbergischen Gütter 138. fl.

32. Die Grafschafft Helfenstein und Wiesensteig hat Chur Beyern anjetzo / weil die Grafen 1627. ausgestorben / giebt 24. fl.

33. Die Grafen zu Oettingen geben am gantzen Anschlag zusammen 276. fl. 8. zu Roß 45. zu Fuß. worvon die Grafen von Otting zu Oetting geben die Helfte / als 138. fl. und die andere Helffte die andern Grafen von Oetting zu Wallerstein und Spielberg.

34. Grafschafft Monfort giebt wegen Tetwang und Argen 68. fl.

35. Die Grafen von Königsegg geben wegen Stauffen und Rothenfels / so sie Monfort abgekaufft 40. fl.

36. Graffen von Königseg wegen Königseckersberg 20. fl.

37. Die Grafschafft Eberstein 26. fl.

38. Die Grafen Fugger geben am Anschlag zusammen 108. fl. 4. zu Roß 15. zu Fuß. ꝛc.

39. Die Stadt Augspurg giebt 900. fl. 15. zu Roß 150. zu Fuß.

40. Stadt Ulm 900. fl. 25 zu Roß 150. zu Fuß.

41. Eßling giebt 220. fl.

42. Reutling 188. fl. 3. zu Roß 38. zu Fuß.

43. Nord-

43. Nordling 260. fl.
44. Rothweil 280. fl.
45. Schwäbisch Hall mit dem Schloß Lümburg 440. fl. 10. zu Roß 80. zu Fuß.
46. Heilbron 280. fl.
47. Memmingen 248. fl.
48. Lindau 196. fl.
49. Dunckelspühl 208. fl.
50. Biberach. 196. fl.
51. Ravensburg 196.
52. Kempten 156. fl.
53. Kaufbeyern 160. fl.
54. Offenburg 120. fl.
55. Gengenbach 60. fl. 22.

Im Schwäbischen Kreiß seynd 87. Stände/ als zwey Bischoffe/ achtzehn Abte/ zwey Pröbste/ sechs Abtissin/ ein Balley/ ein Hertzog/ ein Marggraf / elf Graffschafften / zwölf Herrschafften / drey und dreissig Reichsstädte.

Octavus Circulus Imperii est Rhenanus superior.

1. Der Bischoff zu Speyer giebt 456. fl. 18. zu Roß 60. zu Fuß.
2. Bischoff zu Worms giebt 76. fl. 2. zu Roß 13. zu Fuß.
3. Bischoff zu Straßburg 616. fl. 18. zu Roß 100. zu Fuß.
4. Bischoff zu Basel 84. fl. 2. zu Roß 15. zu Fuß.
5. Die drey Bischoffthümer 1. Metz / 2. Tull / und 3. Verdun geben anietzo nichts mehr / weil sie der König in Franckreich anno 1648. bey den Münsterischen Frieden-Schluß an sich gebracht.
6. Daß Ertz-Bischoffthum zu Bisantz hat vormahls gegeben 440. fl. giebt aber anjetzo wegen schlechtes Einkommen sede vacante nichtes.
7. Fulda ist eine gefürstete Abtey 404. fl. 17. zu Roß 50. zu Fuß.
8. Mürbach ist auch eine gefürstete Abtey 148. fl. 6. zu Roß 19. zu Fuß.
9. Abtey Herschfeld besitzt Hessen Kassel 60. fl.
10. Abtey Prumen vertrit Chur Trier 64. fl.

11. Ab-

11. Abtey Münster in S. Gregorien-Thal 28. fl.
12. Johanniter Meister giebt 240. fl. 10. zu Roß 30. zu Fuß.
13. Probstey Weissenburg vertrit der Bischof zu Speyer 80. fl.
14. Probstey Odenheim 40. fl. 1. zu Roß 7. zu Fuß.
15. Hertzog zu Lothring giebt anietzo nicht den Anschlag / als 1216. fl.
16. Hertzog zu Savoyen giebt wie ein Churfürst 1828. fl.
17. Pfals-Graf zu Zweybrück für der Graffschafft Veldens 240. fl.
18. Die Landgrafen zu Hessen / als Hessen Kassel und Darmstadt geben zusammen an Anschlag 1640. fl. oder 50. zu Roß 260. zu Fuß.
19. Die Graffschafft Nassau/Saarbrück/Lohr und Weilburg 192. fl.
20. Die Graffschafft Nassau Wißbaden und Itzstein 64. fl.
21. Wild- und Rheingrafen 96. fl. 4. zu Roß / 12. zu Fuß.
22. Grafen von Hanau/Liechtenberg 60. fl.
23. Hanau Müntzenberg 240. fl. 10. zu Roß 40. zu Fuß.
24. Graffschafft Leiningen / Tarburg 72. fl. 3. zu Roß 9. zu Fuß.
25. Leiningen Westerburg gibt 40. fl. 2. zu Roß 4. zu Fuß.
26. Graffschafft Waldeck gibt 120. fl. 4. zu Roß 18. zu Fuß.
27. Graffschafft Königstein und Epstein 100. fl. 4. zu Roß 13. zu Fuß.
28. Graffschafft Solms/Lich und Labach 144. fl. 4. zu Roß 24. zu Fuß
29. Grafen zu Solms Braunfels oder Müntzenberg 120 fl. 4. zu Roß 18. zu Fuß.
30. Graffschafft Witgenstein gibt 28. fl. 1. zu Roß 4. zu Fuß.
31. Graffschafft Ober-Isenburg in der Wetterau 168. fl. 6. zu Roß 24. zu Fuß.
32. Stadt Straßburg gibt 900. fl. 25. zu Roß 150. zu Fuß.
33. Franckfurt 800. fl. 20. zu Roß 140. zu Fuß.
34. Speier 276. fl.
35. Wormbs 276. fl.
36. Hagenau 192. fl. 6. zu Roß 30. zu Fuß.
37. Colmar 168. fl.
38. Schlettstadt 144. fl. 4. zu Roß 24. zu Fuß.
39. Weissenburg am Rhein 112. fl.
40. Landau 96. fl.
41. Obernheim 80. fl.
42. Keysersberg 84. fl. 2. zu Roß 15. zu Fuß.
43. Friedberg 48. fl. 12. zu Fuß.

Uxor ob mariti furtum, vel aliud crimen commissum, excepto adulterio, à marito non separatur, *l. 24. C. de donat. inter virum & uxorem.* quos enim DEUS conjunxit, homo non separet. Ergo sicuti uxor dignitatis mariti est particeps, ita ejus infortunii, *l. 22. §. 7. ff. solut. matrim.*

Uxor ob commissum adulterium privatur dote, *l. 8. §. 4. C. de repud.* quia fidem conjugalem malitiosè fregit. Quod si eam maritus in adulterio deprehensam ex nimio iracundiæ fervore necaverit, non ultimo supplicio, sed mitiori pœnâ (in exilium missione) delictum ejus punitur; quia justum dolorem in tam turpi causa temperare non potuit, *l. 4. Cod. de adult.* hoc uxoricidium longè gravius æstimat Jus Canonicum, ut ex *caus. 33. quæst. 2. can. 6.* videre licet. Quod si verò maritus quoque concubinam vel meretricem habuerit, dotem uxor ob adulterium non amittit; Ratio est, quia uterque in eodem delicti genere deprehensi sunt. Undè paria delicta mutuâ compensatione tolluntur, *l. 39. ff. solut. matrim.* Interim utriusque conjugis delictum coram DEO non excusatur: quoniam scortatores & adulteri regnum DEI non possidebunt, nisi prævià pœnitentia convertantur.

Hic

Hîc in fine libri ſubjungere placuit unum ex Programmatibus meis, quæ ut olim Academiæ Rector in Carolina Gothorum Academia Londini Schanorum anno 1668. publicè intimavi, verba ejus ſunt ſeqq.

Pereximiis & Literatisſimis Dominis Studioſis at atatem hic Londini Schanorum degentibus Rector (tunc temporis) Academiæ Carolinæ NICOLAUS BECKMANN, J. U. D. & Juris Romani Profeſſor Ordinarius: Salutem plurimam dicit.

UTinam omnium Studioſorum cordibus paterna illa Ciceronis ad filium adhortatio eſſet inſcripta. Mi Fili, Athenas, tanquam ad mercatum bonarum artium abiiſti, inanem redire, & tibi probroſum, & ſtudiis tuis exitioſum foret. Multas enim absque fructu viſitare Academias, ampla ingredi auditoria, ſuperba divitum & Magnatum ſuſpenſa mente aſpicere palatia, optimarum civitatum turres, portas, valla, foſſas, armamentaria, & exſtructa, ad ſtuporem uſque curioſè examinare propugnacula, per ſe parum, aut nihil juvat: ſiquidem ad ſolidam eruditionem conſequendam grata hæc oculorum pabula inverſo ordine nihil quicquam conferunt; ſed domi indefatigata diligentia & publicè Doctorum & Profeſſorum doctæ prælectiones adjunctâ deinceps peregrinatione omne abſolvunt. Ut tales ſucceſſu temporis cum omnium bonorum applauſu condignè evadant, qui Sereniſſimo & Potentiſſimo noſtro Regi Carolo XI. dulciſſimæ Patriæ, & Proximo ſuo ex voto inſervire valent. Liberales quippè artes Rempubl. inſigniter juvant, quarum Cultores nobiliſſimâ hâc ſcientiâ totum illuſtrant mundum. *Auth. habita. C. ne filius pro patr.* ut ſic Galli Academiam haud indignè vocaverint, la fontaine d'Helicon, le havre des Muſes, & l'Ocean des ſciences. Spretis verò his neceſſariis expoliendæ mentis requiſitis, haud rarò evenire ſolet, ut multa præclara ingenia amore deteſtandi otii, luxus, debachationis, & intempeſtivæ

ſtivæ peregrinationis voluntariam ſæpè perniciem anxiè quærant, dum nec arte, nec Marte emergere conantur. Nolo tamen mihi quiſpiam præter intentionem & proprium meum exemplum hanc affingat mentem, quaſi omnem omninò peregrinationem cum imperitis ruſticis & domi perpetuò latitantibus damnem, abſit. Multum certè utilitatis in Rempublicam ex ea redundat, ſi illa tempeſtivè & prudenter inſtituatur; hoc eſt, peregrinationem ſuſcepturus ejus ſit ætatis, & qualitatis, ſivè eruditionis, ut Rerumpublicarum formas, earum virtutes & vitia, mores populorum, atque varias variorum hominum converſationes & ingenia cum accurato Gauzio, & aliis politioris ingenii hominibus accuratè obſervare queat. Contrà, qui vel tenerrimæ adhuc ſunt ætatis, vel literarum rudes, aut ſatis tenuiter in literis inſtructi, quid quæſo commodi ex moleſta & pretioſa peregrinatione haurire poſſunt. In hos meritò quadrat vulgare illud: qui trans mare currunt,cœlum, non animum mutant. Quapropter ne Studioſorum quiſquam ſpem parentum, cognatorum; vel noſtram cum inæſtimabili temporis & patrimonii diſpendio miſerè fallat, omnes & ſingulos ſtudiorum gratia hic viventes ſedulò adhortamur, ut hodiè, qui eſt 17. Sept. M DC LXVIII. horâ 2. pomeridianâ in majori templi auditorio conveniant, nominaque ſua certis Profeſſorum lectionibus adſcribi curent, & ſub noſtrâ directione, fideli informatione aliquid re & nomine dignum addiſcant; atque ſic cum fructu tandem, quibus accepta eſt peregrinatio, peregrinari incipiant. Sicut hâc in re ſingulorum diligentiam & obedientiam percepturi ſumus, ita nos ad omnia honeſta & poſſibilia officia quovis tempore paratiſſimos invenient. Valete. Dabam Londini, die 17. Septembris Anno M DC LXVIII.

Huic

Huic tandem addo quædam ex hodierna Imperii matricula, ut studiosa juventus inde aliquod in jure publico lumen consequatur. Hinc sequentia probè notanda sunt.

SO offt Reichs-Anlagen pro temporum necessitate in Imperio R. gemacht werden / muß ein jeder Stand im Reich / (es seynd Churfürsten / Fürsten / Grafen / Reichsstädte / oder andere) pro quota nach der Reichs-Matricul für jeden Monat geben / wie folget: insonderheit müssen sie für einen jeden Mann zu Roß geben 12. fl. und für einen jeden zu Fuß 4. fl. Die Verzeichniß dieses allgemeinen Anschlages ist nach die zehen Circulos Imperii eingerichtet / worvon ich nur die vornehmsten Stände hierinn angezogen.

Primus Imperii Circulus est Austriacus.

Wiewol das Hochlöbliche Hauß Oesterreich exemt, und des Anschlages befreyet / so gibt es dennoch so viel / als zwey Churfürsten / nemlich 3656. fl. oder 120. zu Roß / und 554. zu Fuß / und das wegen Oesterreich / Tyrolen / Steyer / Kärnten und Krain. Dann

1. Oesterreich ob- und unter der Ens / gibet monatlich hierzu an Geld 1218. fl. oder gibt zu Roß 40. Mann / und zu Fuß 184.
2. Tyrolische Länder geben auch monatlich an Geld 1218. fl. oder 40. zu Roß / 184. zu Fuß.
3. Stäyer / Kärnten und Kräin geben 1218. fl. 40. zu Roß / 184. zu Fuß.
4. Bißthum Tryent vertritt Tyrolen / gibt 532. fl.
5. Bißthum Brixen vertritt Tyrolen / gibt 532. fl. 14. zu Roß / 91. zu Fuß.
6. Graffschafft Kirchberg vertritt Tyrolen / 28 fl.
7. Stadt Constantz gibt 236. fl. Summa 4984. fl.

Secundus Circulus Imperii est Burgundicus.

Unter welchen die Nieder-Länder gerechnet werden.

Weil Burgund mit seinen Ländern vom Reich soll geschützet werden/ so hat es vormahls so viel gegeben/ wie zwey Churfürsten/ als 3656. fl. oder 120. zu Roß/ und 554. zu Fuß/ allein weil dieser Kreyß unter den König von Spanien gehöret/ hat er in vielen Jahren zum Reich nichtes contribuiret.

Tertius Circulus Imperii est Electoralis Rhenanus.

1. Churfürst zu Meintz bezahlet wegen des Churfürstenthum Monatlich 1828. fl. oder 60. zu Roß/ 277. zu Fuß.
2. Churfürst zu Cöllen gibt wegen des Churfürstenthum 1828. fl. 60. zu Roß/ und 277. zu Fuß.
3. Churfürst zu Trier/ hat zuvor pro Electoratu, Monatlich gegeben 1216. fl. 40. zu Roß 184. zu Fuß/ ist aber anietzo auf 806. fl. moderiret.
4. Churfürst Pfaltzgraf gibt wegen an Chur Beyern übergebene Ober-Pfaltz nur die Helffte des Churfürstl. Anschlages/ als 914. fl. 30. zu Roß und 138½. zu Fuß.
5. Probstey Seltz gibt 24. fl. 1. zu Roß/ 4. zu Fuß.
6. Balley Coblentz/ 128. fl. 4 zu Roß 20. zu Fuß.
7. Fürsten zu Arenberg 48. fl. 2. zu Roß 6. zu Fuß
8. Graffschafft Nieder Eisenburg 56. fl. 2. zu Roß 8. zu Fuß.
9. Herrschafft Reineck 12. fl. &c. In diesen Churfürstl. Rheinischen Kreiß seynd 11. Stände/ (worvon ich nur die vornehmsten Kürtze halber specificire) als da seynd 4. Churfürsten/ 3. geistliche (welche auch Ertzbischöffe seynd) und ein Weltlicher/ 1. Balley/ 1. Probstey/ 3. Graffschafften/ 2. Herrschafften.

Quartus Circulus Imperii est superior Saxonicus.

1. Churfürst zu Sachsen gibt wegen des Churfürstenthum 1984. fl. zu Roß 65. zu Fuß 301.

2. Die-

2. Diese drey folgende Bischofthümer als Meissen/Märseburg und Naumburg werden von ChurSachsen sine onere eximiret, haben sonsten iedweder geben Monats 96. fl.
3. Gibt ChurSachsen für den 4. Aembtern in Thüringen/als Weida/ Sachsenburg/ Arnshag und Zügenrück 140. fl. Monatlich.
4. Jmgleichen gibt ChurSachsen für ihr halbes Theil in Voigtland 304. fl. 10. zu Roß und 36. zu Fuß.
5. Gibt ChurSachsen für 4. folgende Graff- und Herrschafften/ als (1. für der Grafschafft Leißnigk 20. fl. (2. für der Grafschafft Beuchling / in Thüringen/ 24. fl. (3. für der Grafschafft Tautenberg 28. fl. und (4. für der Herrschafft Wildensels 20. fl.
6. Der Churfürst zu Brandenburg gibt wegen seins Churfürstenthum 1828. fl. 60. zu Roß und 277. zu Fuß.
7. Das Bisthum zu Brandeburg vertritt der Churfürst daselbst/gibt sonsten davon 64. fl. 2. zu Roß 10. zu Fuß.
8. Das Bisthumb Havelberg 240. fl.
9. Das Bisthum Lebus 120. fl.
10. Sachsen Altenburg gibt 228. fl.
11. Sachsen Weymar 219. fl.
12. Sachsen Gotha 219. fl.
13. Sachsen Coburg gibt 316. fl. 10. zu Roß 49. zu Fuß.
14. Hertzogthum Pommern wird in vor- und hinter Pommern getheilet/jenes hat Schweden zuvor gehabt/ dieses Brandeburg/ ietzo aber besitzet es Brandeburg fast allein / gibt iedes zum halben Theil 604. fl. erst zusammen 1208. fl. 34. zu Roß 200. zu Fuß.
15. Das Bisthum Kamin vertritt ChurBrandenburg 184. fl. 6. zu Roß 28. zu Fuß.
16. Fürst zu Anhalt gibt Monats 188. fl. 9. zu Roß 20. zu Fuß.
17. Abtey Gernigeroda vertritt Anhalt 36. fl.
18. Abtey Walckenried gibt 48. fl.
19. Abtissin zu Quedlinburg gibt 52. fl. 1. zu Roß 10. zu Fuß.
20. Die Grafen zu Schwartzburg von den 4. Grafen des Reichs in Thüringen geben 200. fl. 7. zu Roß 29. zu Fuß.
21. Die Grafen von Stollberg zahlen an der Grafschafft drey viertel/als 63. fl. und ChurSachsen ein drittheil/als 21. fl.

22. Die Graffschafft Mansfeld gibt insgesambt 300. fl. 10. zu Roß und 45. zu Fuß / hiervon geben die Grafen nur 120. fl. das übrige gibt ChurSachsen und Magdeburg.
23. Die Herren Reussen zu Graitz und Kranichfeld geben sämbtlich alle Monat 96. fl. 3. zu Roß 15. zu Fuß.

In Obersächsischen Kreiß seynd 2. Churfürsten / 7. Bischoffe / 2. Abte / 2. Abtissinnen / 2. Hertzoge / 1. Fürst / 1. Burggraf / 9. Grafschafften / 6. Herrschafften.

Quintus Circulus Imperii est Franconicus.

1. Bischoff zu Bamberg gibt Monats 1088. fl. 30. zu Roß 182. zu Fuß.
2. Bischoff zu Würtzburg 1372. fl. 45. zu Roß 208. zu Fuß. idem vertrit die Stadt Schweinfurt 20. fl. oder 5. zu Fuß.
3. Bischoff zu Eichstadt 768. fl. 20. zu Roß 132. zu Fuß.
4. Der teutsche Meister 448. fl. 19. zu Roß 151. zu Fuß.
5. Die Marggrafen zu Brandenburg / Kulmbach und Onoltzbach geben ieder zur helffte 1032. fl. 34. zu Roß 156. zu Fuß / das ist / ieder 516. fl. 17. zu Roß 78. zu Fuß.
6. Die Grafen zu Wertheimb / geben 160. fl.
7. Die Grafen zu Hohenlohe sämbtlich 256. fl. 8. zu Roß 40. zu Fuß.
8. Grafen zu Lövenstein 160. fl. 5. zu Roß 25. zu Fuß.
9. Grafen zu Erbach 56. fl.
10. Der Graf zu Schwartzenberg in Francken / ist Anno 1674. aufm Reichs-Tag zu Regenspurg im Fürsten-Rath Solenniter aufgenommen / ist anietzo Reichs-Hoffrahts Præsident 24. fl.
11. Grafschafft Reineck und Lahr am Main unter Carlstadt gibt 64. fl. 2. zu Roß 10. zu Fuß / diese Grafschafft ist außgestorben / succediren Chur-Maintz / Graf von Erbach und Hanau.
12. Die Herren Schencken zu Limpurg semper frey Speckfelder Linie und Geilendorff geben zusammen 116. fl. 4. zu Roß 17. zu Fuß.
13. Herrn von Seinsheim geben 28. fl. 1. zu Roß 4. zu Fuß.
14. Stadt Nürnberg 1480. fl. 40. zu Roß 250. zu Fuß.
15. Stadt Rotenburg an der Tauber 380. fl. 10. zu Roß 65. zu Fuß.

16. Stadt

16. Stadt Winsheim 168. fl. 4. zu Roß 30. zu Fuß.
17. Stadt Schweinfurt wird von Würtzburg eximiret/ wie schon erwehnet.
18. Stadt Weissenburg am Nortgau 100. fl. 3. zu Roß 16. zu Fuß. Im Fränckischen Kreiß seind 22. Stände. Als 3. Bischöfe/ 1. Teutsch-Meister/ 1. Probstey/ 1. Marggraf/ 1. Gefürstete Grafschafft / 7. Grafschafftten / 3. Herrschafften / 5. Reichs-Städte.

Sextus Circulus Imperii est Bavaricus.

1. Ertz-Bischoff zu Saltzburg / gibt 1828. fl. 60. zu Roß 277. zu Fuß.
2. Bischoff zu Passau 528. fl. 18. zu Roß 78. zu Fuß.
3. Bischoff zu Freysingen 464. fl. 12. zu Roß 80. zu Fuß.
4. Bischoff zu Regenspurg 216. fl. 8 zu Roß 30. zu Fuß.
5. Probst zu Berchtolsgaden 104 fl. 2. zu Roß 20. zu Fuß.
6. Abt zu Keisersheim gibt 288. fl. 4. zu Roß 60. zu Fuß.
7. Abt zu St. Emmeren in Regenspurg 96. fl.
8. Abtissin zu Nieder-Münster in Regenspurg 24. fl.
9. Abtissin zu Ober-Münster daselbst 24. fl.
10. Hertzog in Beyern gibt wegen die Ober-Pfaltz im Anschlag Monatlich 1828. fl. oder 60. zu Roß 277. zu Fuß. idem eximiret die Landgrafschafft Leuchtenberg / die Grafschafft Haag und Grafschafft Ortenburg.
11. Der Pfaltzgraf zu Neuburg gibt 640. fl. 20. zu Roß 100. zu Fuß woran Pfaltz-Sultzbach etwas erlegen muß.
idem vertrit die Herrschafft zu Heideck/ gibt 88. fl. und die Herrschafft Staufenfels/ 36. fl.
12. Herren von Wolfenstein 40. fl.
13. Herren von Meichselrein 20. fl.
14. Stadt Regenspurg 320. fl. 10. zu Roß und 50. zu Fuß.

Im Beirischen Kreiß seind 19. Stände/ als 1. Ertz-Bischoff/ 3. Bischöfe/ 1. Probst / 3. Abte / 2. Abtissin / 2. Pfaltzgrafen / 1. Landgraf / 2. Grafschaften/ 3. Herrschafften/ 1. Reichs-Stadt.

Septimus Circulus Imperii est Suevicus.

Der Schwäbische Creiß.

1. Bischoff zu Augspurg giebt 652. fl. 21. zu Roß 100. zu Fuß.
2. Bischoff zu Constantz 204. fl. 7. zu Roß 30. zu Fuß.
3. Die gefürstete Abtey Kempten giebt 152. fl. 6. zu Roß 20. zu Fuß.
4. Die gefürstete Probstey Elwangen 132. fl. 5. zu Roß 18. zu Fuß.
5. Die Abtey zu Reichenau vertrit der Bischoff zu Constantz 40. fl.
6. Abt zu Salmans-Weiler giebt 316. fl. 4. zu Roß 67. zu Fuß.
7. Abt zu Weingarten 120. fl. 4. zu Roß 18. zu Fuß.
8. Abt zu Weissenau 80. fl. 2. zu Roß 14. zu Fuß.
9. Abt zu Petershausen 24. fl.
10. Abt zu Schußenriet 80. fl.
11. Abt zu Roggenburg 64. fl.
12. Probst zu Wellenhausen 24. fl.
13. Abt zu Ochsenhausen 128. fl.
14. Abt zu Marchthal 44. fl.
15. Abt zu Elchingen unter Ulm giebt 88. fl. 3. zu Roß 13. zu Fuß.
16. Abt zu Münchroth 44. fl. 1. zu Roß 8. zu Fuß.
17. Abt zu Aursberg 40. fl.
18. Abt zu Gegenbach 24. fl.
19. Abt zu S. Ulrich in Augspurg wird vom Bischoff zu Augspurg eximiret.
20. Abtissin zu Lindau ist eine gefürstete Abtissin 20. fl. 5. zu Fuß.
21. Abtissin zu Buchau ist auch eine gefürstete Abtissin 48. fl.
22. Abtissin zu Rotenmünster bey Rothweil 28. fl.
23. Abtissin zu Hegenbach bey Biberach 20. fl. 5. zu Fuß.
24. Abtissin zu Gutenzell bey Tübing 20. fl. 5. zu Fuß.
25. Abtissin zu Bund 12. fl. 3. zu Fuß.
26. Altschhausen der Land-Commendator wegen der Balleyen Elsas und Burgund 169. fl. 3. zu Roß 31. zu Fuß.

27. Der

27. Der Hertzog zu Würtenberg hat vor den Krieg gegeben 1828. fl. 60. zu Roß 277. zu Fuß/ worunter die gefürstete Grafschafft Mümpelgart / die Herrschafft Steußlingen/ die 2. Aemter Oberkirch und Ettenheim gerechnet / (so der Bischoff von Straßburg pro tempore possediret) wie dan auch die Klöster im Lande/ welche anjetzo abgehen ꝛc. item die Grafschafft Löwenstein hat er zu vertreten.

28. Der Marggraf von Baden Durlach giebt wegen der halben Marggrafschafft Baden 452. fl. 17. zu Roß/ 62. zu Fuß/ worunter Baden/Hochberg/ Rötteln und Sausenberg gerechnet werden.

29. Der Marggraf zu Baaden Baden giebt wegen die Obermarggrafschafft 416. fl. 18. zu Roß 50. zu Fuß / unter diesen wird gerechnet die Grafschafft Sponheim.

30. Die Fürsten von hohen Zöllern geben wegen der halben Werdenbergische Güter und Sigmaringen pro quota 138. fl. 4. zu Roß 22. zu Fuß.

31. Die Grafen zu Fürstenberg geben wegen der Grafschafft Baar 192. fl. 6. zu Roß und 30. zu Fuß/ Item geben wegen die Helffte der Gräflichen Werdenbergischen Gütter 138. fl.

32. Die Grafschafft Helfenstein und Wiesensteig hat Chur Beyern anjetzo/ weil die Grafen 1627. ausgestorben/ giebt 24. fl.

33. Die Grafen zu Oettingen geben am gantzen Anschlag zusammen 276. fl. 8. zu Roß 45. zu Fuß. worvon die Grafen von Otting zu Oetting geben die Helfte/ als 138. fl. und die andere Helffte die andern Grafen von Oetting zu Wallerstein und Spielberg.

34. Grafschafft Monfort giebt wegen Tetwang und Argen 68. fl.

35. Die Grafen von Königsegg geben wegen Stauffen und Rothenfels/ so sie Monfort abgekaufft 40. fl.

36. Graffen von Königseg wegen Königseckersberg 20. fl.

37. Die Grafschafft Eberstein 26. fl.

38. Die Grafen Fugger geben am Anschlag zusammen 108. fl. 4. zu Roß 15. zu Fuß. ꝛc.

39. Die Stadt Augspurg giebt 900. fl. 15. zu Roß 150. zu Fuß.

40. Stadt Ulm 900. fl. 25 zu Roß 150. zu Fuß.

41. Eßling giebt 220. fl.

42. Reutling 188. fl. 3. zu Roß 38. zu Fuß.

11. Abtey Münster in S. Gregorien-Thal 28. fl.
12. Johannitter Meister giebt 240. fl. 10. zu Roß 30. zu Fuß.
13. Probstey Weissenburg vertrit der Bischof zu Speyer 80. fl.
14. Probstey Odenheim 40. fl. 1. zu Roß 7. zu Fuß.
15. Hertzog zu Lothring giebt anietzo nicht den Anschlag / als 1216. fl.
16. Hertzog zu Savoyen giebt wie ein Churfürst 1828. fl.
17. Pfaltz-Graf zu Zweybrück für der Graffschafft Veldens 240. fl.
18. Die Landgrafen zu Hessen / als Hessen Kassel und Darmstadt geben zusammen an Anschlag 1640. fl. oder 50. zu Roß 260. zu Fuß.
19. Die Graffschafft Nassau/Saarbrück/Lohr und Weilburg 192. fl.
20. Die Graffschafft Nassau Wißbaden und Itzstein 64. fl.
21. Wild- und Rheingrafen 96. fl. 4. zu Roß/ 12. zu Fuß.
22. Grafen von Hanau/Liechtenberg 60. fl.
23. Hanau Müntzenberg 240. fl. 10. zu Roß 40. zu Fuß.
24. Graffschafft Leiningen/ Taxburg 72. fl. 3. zu Roß 9. zu Fuß.
25. Leiningen Westerburg gibt 40. fl. 2. zu Roß 4. zu Fuß.
26. Graffschafft Waldeck gibt 120. fl. 4. zu Roß 18. zu Fuß.
27. Graffschafft Königstein und Epstein 100. fl. 4. zu Roß 13. zu Fuß.
28. Graffschafft Solms/Lich und Labach 144. fl. 4. zu Roß 24. zu Fuß
29. Grafen zu Solms Braunfels oder Müntzenberg 120 fl. 4. zu Roß 18. zu Fuß.
30. Graffschafft Witgenstein gibt 28. fl. 1. zu Roß 4. zu Fuß.
31. Graffschafft Ober-Isenburg in der Wetterau 168. fl. 6. zu Roß 24. zu Fuß.
32. Stadt Straßburg gibt 900. fl. 25. zu Roß 150. zu Fuß.
33. Franckfurt 800. fl. 20. zu Roß 140. zu Fuß.
34. Speier 276. fl.
35. Wormbs 276. fl.
36. Hagenau 192. fl. 6. zu Roß 30. zu Fuß.
37. Colmar 168. fl.
38. Schlettstadt 144. fl. 4. zu Roß 24. zu Fuß.
39. Weissenburg am Rhein 112. fl.
40. Landau 96. fl.
41. Obernheim 80. fl.
42. Keysersberg 84. fl. 2. zu Roß 15. zu Fuß.
43. Friedberg 48. fl. 12. zu Fuß.

44. Wetzlar 32. fl. 8. zu Fuß.

Im Rheinischen Kreyß seynd 55. Stände / als 7. Bischöpffe/ 2. Probsteyen / 1. Johanniter Orden/ 5. Abte/ 1. Abtissin/ 2. Hertzoge 1. Pfaltzgraf/ 1. Landgraf/ 13. Grafschafften / 6. Herrschafften / 16. Reichsstädte.

Nonus Circulus Imperii est VVestphalicus.

1. Bischoffthum zu Paderborn 352. fl. 18. zu Roß/ 34. zu Fuß.
2. Bischoffthum Lüttig/nebst der Stadt Lüttich/Stadt Bullion und Mastricht sollen geben am Anschlag Monatlich 1280. fl. 50. zu Roß 170. zu Fuß.
3. Bischoffthum Münster gibt 832. fl. 30. zu Roß 118. zu Fuß.
4. Bischoff zu Oßnabrück 216. fl. 6. zu Roß 36. zu Fuß.
5. Stifft Verden 120. fl.
6. Stifft Minden 184. fl. 10. zu Roß 16. zu Fuß.
7. Abt zu Werden und Helmstett in Westpfahlen 48. fl.
8. Abtey zu Stable / vertritt der Bischoff zu Straßburg / 112. fl.
9. Abtey Corvey mit der Stadt Hörter 60. fl. 2. zu Roß / 9. zu Fuß.
10. Abtissin zu Essen mit der Stadt gibt 76. fl. 2. zu Roß/ und 13. zu Fuß.
11. Hertzogthümer Gülich / Cleve und Bergen geben zusammen 2132. fl. 70. zu Roß 323. zu Fuß / hiervon bezahlt der Churfürst zu Brandenburg wegen Cleve und Marck 1066. fl. item wegen Ravensberg 142. fl. und Pfaltz Neuburg zahlt wegen Gülich 639. fl. item wegen Bergen 284. fl.
12. Fürst von Ostfrießland 192. fl. 6. zu Roß / 30. zu Fuß.
13. Die Grafen zu Naussau Dillenburg geben 300. fl. welche werden in 3. Theil getheilet/ als Nassau Dillenburg/Siegen und Dietz.
14. Grafen zu Sain geben 112. fl. 4. zu Roß 16. zu Fuß.
15. Grafen zu Wied 96. fl. 4. zu Roß 12. zu Fuß.
16. Graffschafft Oldenburg und Delmenhorst haben Ihro Königl. Mayest. von Dennemarck pro tempore und geben 296. fl. zusamen/in specie aber geben sie wegen Oldenburg 216. fl. oder 8. zu Roß/ 30. zu Fuß/und wegen Delmenhorst und Harbstatten 80. fl. 2. zu Roß 14. zu Fuß.

17. Die

17. Die 2. Graffschafften Bentheim und Tecklenburg / werden von den Grafen von Steinfurth vertreten/ geben zusamen 276. fl. 9. zu Roß 30. zu Fuß.
18. Graffschafft Schaumburg / Gemmen 2c. geben 176. fl. worvon die Helffte Hessen Kassel/ die ander Helffte hat der Graff von der Lippe.
19. Die Grafen und Herren zu der Lippe 120. fl. 4. zu Roß / 20. zu Fuß.
20. Stadt Cöllen gibt 1100. fl. oder 25. zu Roß 200. zu Fuß.
21. Aachen 204. fl.
22. Dortmund 204. fl. 7. zu Roß 30. zu Fuß.

In Westphalischen Kreiß seynd 40. Stände/ als 7. Bischöpffe 4. Abte/ 2. Abtissinnen/ 1. Hertzog/ 18. Graffschafften/ 2. Herrschafften/ und 6. Reichsstädte.

Decimus Circulus Imperii est Saxonicus inferior.

1. Ertz-Stifft Magdeburg wird vom Hertzog zu Sachsen Hall administriret/ soll nach dessen Todt/ vi instrumenti Pacis art. 11. auf Chur-Brandenburg kommen / gibt 1300. fl. 43. zu Roß/ 196. zu Fuß.
2. Ertzstifft Brehmen besitzet ietzo der Hertzog zu Zell/ und Bischoff zu Münster/ geben davon an Anschlag 688. fl. oder 24. zu Roß 100. zu Fuß.
3. Bischoffthum Hildesheim nebst der Stadt gibet 336. fl. 18. zu Roß 80. zu Fuß. Hiervon bezahlet der Bischoff ein drittentheil/ als 178. fl. die übrigen zwey drittheil zahlen die Hertzogen von Braunschweig.
4. Stifft Halberstadt vertritt ChurBrandenburg 432. fl. 14. zu Roß 66. zu Fuß.
5. Hertzogthum Holstein wird unter Ihre Königl. Mayst. von Dennemarck und Fürsten von Holstein getheilet / geben zusammen 800. fl. 40. zu Roß 80. zu Fuß.
6. Braunschweig/ Lüneburg / Zell nebst der Stadt Lüneburg geben 720. fl. oder 20. zu Roß 120. zu Fuß. Idem Zell vertritt Grubenhagen / mit der Stadt Einbeck 60. fl. oder 5. zu Roß.
7. Braunschweig Calenberg mit den Städten Hannover/ Göttingen nnd Nordtheim geben 686. fl. oder 22. zu Roß/ 104. zu Fuß.

8. Braunschweig Wolffenbüttel mit der Stadt Braunschw. 686. fl.
9. Hertzog zu Sachsen Lauenburg 216. fl. 8. zu Roß 30. zu Fuß.
10. Die Hertzöge zu Mechlenburg / als Hertzog zu Schwerin / und Hertzog zu Güstrau geben beyde zusammen 748. fl. 40. zu Roß 67. zu Fuß / ist für ieden 374. fl.
11. Ratzenburg gibt 60. fl.
12. Stadt Lübeck 960. fl.
13. Stadt Brehmen 320. fl.
14. Hamburg 720. fl.
15. Mühlhausen 160. fl.
16. Northausen 120. fl.
17. Goßlar 120. fl.

Im Niedersächsischen Kreiß seynd 19. Stände / als 2. Ertz-Bischöffe / 6. Bischöffe / 1. Abt / 4. Hertzoge / 2. Graffschafften / 4. Reichs-Städte.

Sic tandem cooperante Divina gratia illud cum omnium proborum applausu, & ipsius Momi rubore feliciſſimè finio, quod per aliquot annos aliis publicis negotiis impeditus multo cum sudore in maximum cupidæ legum juventutis commodum operosè conſcripſi.

DEO ſit Laus, Honor, & Gloria in Secula Seculorum, Amen.

ERRATA.

pag. 10. in lin. 8. corrige sic allegatam *l. 1. §. 6. ff.* uti posſi. p. 34. l. 12. *astre* pro *estre* p. 49. l. 4. *irrevelantes* pro *irrelevantes* p. 61. l. penult. *dele de* p. 99. l. 15. *indicant* pro *indicunt* & ibidem in lin. 20. *indicare* pro *indicere* p. 127. l. 26. pone *indefinita & definita*, quæ hic inverso ordine contra ſenſum poſita ſunt. p. 174. l. 5. à fine *turpo* pro *turpe* p. 213. l. 3. *fides* pro *fide* p. 258. l. 22. *putendo* pro *pudendo* p. 256. l. 13. *iniqua* pro *antiqua* p. 308. l. 19. *justitiam* pro *injustitiam* p. 318 l. 12. *accensentur* pro *recensentur* p. 340. l. 3. *culda* pro *culpa* p. 358. l. penult. *inferreretur* pro *inferretur* p. 406. l. 7. à fine *remedium* pro *medium* p. 408. l. 17. pro *vel* pone *&*. p. 412. l. 2. *matrimonialia* pro *patrimonialia* p. 416. l. 1. *suspicere* pro *suscipere* p. 426. l. 8. *famam* pro *famem* p. 477. l. 19. *sequerenda* pro *sequenda* p. 518. l. 7. à fine *solvo* pro *solve* p. 524. l. 11. *pecario* pro *precario* p. 531. l. 15. *id jure repetere* (adde) *non poterit* p. 532. l. 6. pro l. 3. *pone*, l. 30.

FINIS.

LEopoldus Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum nobis honorabilis noster, sacriq; Imperii fidelis, dilectus Nicolaus Beckmann, J. U. D. humillimè exposuerit, quem in modum opus suum, Doctrinam Juris nuncupatum, ante biennium nobis demississimè dedicatum, interea multifariè auctum denuò prælo committere constituerit; vereatur autem, ne, quod sæpè fieri soleat, alij quoq; lucri causâ eandem suam editionem præproperè & vitiosè imitentur, seque tum laboris, tum impendii sui fructu frustrentur, demissè supplicando, quatenus indemnitati hoc loci sua privilegio nostro typographico consulere clementer dignaremur; Nos iisce precibus uti æquitate nitentibus benignè annuendum duxerimus, prout hisce annuimus, ac proinde omnibus ac singulis Bibliopolis, Typographis & Bibliopegis, cæterisq; rem seu negotiationem librariam exercentibus seriò inhibemus & vetamus, ne eorum quisquam sine præscitu Impetrantis Nicolai Beckman, aut ab eo inscriptis obtentâ licentia supradictam Doctrinam Juris sub quatuor marcarum auri pœna intra quinquennium proximum â prima editionis die computandum, intra sacri Romani Imperii, Regnorumq; & Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines in simili vel alio typo, vel forma recudere, invehere, apportare, clam seu palam divendere, aut distrahere quovis modo præsumat: siquis verò edictum seu privilegium hoc nostrum violare seu transgredi ausus fuerit, eum non solum exemplaribus ubicunque repertis, perperam quippè recusis

& apportatis (quæ quidem dictus Impetrans propria authoritate, ſivè Magiſtratûs illius loci auxilio ſibi vendicare poterit) privandum, ſed & ſupra ſata pœna ex ſemiſſe fiſco ſeu ærario noſtro Imperiali inferenda, ex altero verò ſemiſſe injuriam paſſo pendenda, omni ſpe veniæ ſublatâ mulctandum decernimus: dummodo tamen dictum opus tenorem hujus noſtri privilegii pro cujusvis notitia præimpreſſum exhibeat, illiusq; quatuor ad minimum exemplaria ad Cancellariam noſtram Imperialem transmittantur. Mandantes porrò univerſis noſtris & ſacri Romani Imperii, regnorumq; & Provinciarum noſtrarum hæreditariarum Magiſtratibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, cujuscunque ordinis, conditionis & gradûs fuerint, ne quenquam huic noſtro Cæſareo privilegio ullatenus impunè contravenire patiantur, quin ejusdem transgreſſores ſupradictâ pœnâ, aliisq; licitis modis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigillo noſtro Cæſareo munitarum, quæ dabantur in Civitate noſtra Vienna die decima octava Julii Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo, Regnorum noſtrorum Romani vigeſimo primo, Hungarici vigeſimo quarto, Bohemici vigeſimo ſecundo.

Leopoldus

V. Leopoldus Guillielmus
Comes in Kinigseggs



Ad mandatum ſacræ Cæſareæ
Majeſtatis proprium

Chriſtophorus Beüer.